
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 H
27 /1



Coll. Rom. Soc. Iesu cat. inscr. B. S.

PAVLLI SACRATI CANONICI FERRARIENSIS

In XXXIII. Psalmos commentarius.

Eiusdem Homiliae XVIII.

AD SANCTISSIMVM ac Beatissimum D. N. *SIXTVM V. PONT. MAX.*

CVM PRIVILEGIO.



BONONIÆ, Apud Alexandrun Benatium.
Superiorum concessu M D LXXXVIII.



SANCTISSIMO AC BEATISSIMO D· N· SIXTO V. PONTIFICI MAX.

PAVLLVS SACRATVS Canonicus Ferrarienſis Humillimus Seruus

Perpetuam felicitatem, atque incolumitatem.



AGNA profectò vis eſt humilitatis, magna eius laus, atque præſtantia, Sanctiſſime, ac Beatiſſime Pater, quæ cum ſit animæ decor, nec poſt mortem.

ſicut & charitas deficiat, hominem apud DEVM *valde gratioſum reddit: Ea qui vere inſigniti ſunt & non ficte, ij facile ceteras virtutes conſequuntur, & à Deo illius cauſſa in cælum extolluntur. Atque huiuſce rei euidētia multa exempla afferre poſſem. at cur longius abeam, cum tu mihi vnus inſtar ſis omnium, qui ſanctiſsime, atque humiliter vitam ſemper egiſti? vt nemini mirum videri debeat, quòd publico nuper ampliſsimorum omnium Cardinalium conſenſu ad iſtam celſiſsimam dignitatis ſedem aſcenderis, et ab eiſdē numine diuino afflatis, nullaque in*

re discrepantibus ad Petri nauim regendam, iampridem ab hæreticis exagitatam, & aßidue fluctuantem repente electus fueris; tantis enim animi bonis à DEO immortali ornatus es, omnibusque virtutibus adeo excellis, vt te uno ex cunctis sapiētiorem, ac prudentiorem, & ad hanc prouinciam suscipiendam aptiorem quenquam deligi haud potuisse appareat, & ex euentu ab omnibus iudicetur. Ac sanè à tui Pontificatus initio statim quod humilitatis, integritatis, ac puræ, & incorruptæ mentis specimen non dedisti, cum publice indixisti te vniuersis, ac

ſingulis, qui peccata ſua confeſſi, ac pane cæleſti aliti fuerint, delictorum omnium veniam plene daturum eſſe, dum DEVM *Optimum Maximum precentur cuncti, vt is menti tuæ clariſsimum lumen præferre, & omnes cogitationes tuas dirigere velit ad ea perficienda, quæ illius maieſtati placitura, & admodum grata futura ſint? non ne humilitatem in viſceribus inhærere declaraſti? Equidem obſtupui, & annos iam ſeptuaginta quatuor agens tale quid nunquam audiui, quod omnibus fere huiuſce Ciuitatis viris (vt taceam, quæ ab alienigenis multis*

intel-

intellexi) industria præsertim, & aliqua rerum notitia ornatis contigit, vt hoc accidisse nunquam meminerint, sed ne legerint quidem: qua enim ratione te cum clementissimo DEO voluntate coniunctissimum esse velle, aptius significare potuisti, quàm hoc à Domino poscere Salomonem imitans, qui sibi sapientiam dari postulauit? Nempe ex rebus tuis hactenus gestis tanto te ingenio, tantaque prudentia præditum omnes admirantur, vt à benignissimo DEO te impetrasse, quod concupieras, facile cognoscant: Nec est, quòd ijs prorsus ascribas, qui à te liberalitate

tua inuitati ad DEVM *pro te supplices confugerunt, vt te exaudiret; tua namque singuláris bonitas, Pater sancte, atque humilitas, tuaque propensissima in* DEVM *voluntas; Iustitia denique, in qua virtutis tuæ splendor maxime elucet, te charum, atque acceptum* DEO *reddidit; Nam cum ipsa in suo cuique tribuendo maxime cernatur iustitia, latronibus, qui vias omnes, & Italiam totam ita obsederant, vt nemini tutum esset iter, nec cuiquam uia pateret, quin immo domi se tueri nullus valeret; & in foro cædes fierent, ac strages vbique innume-*

rabi-

rabiles ederentur, nonne ſimulac clauum cœpiſti tenere, quod eorum erat, tribuiſti ipſis, cum illos morte mulctaſti? certe malò huic cito medicinam attuliſti, ac non modo ab illis ſceleris veſtigijs forum, & Ciuitates, Italiam denique totam expiaſti, ſed tutam etiam viam cuilibet viatori ita confeciſti, vt de incolumitate, ac ſalute ſua dubitarit poſtea nemo, nec inſidias, aut violentiam vllam metuerit quiſquam: Furentes autem illi, ac violenti, ſi qui mortem fugerunt, ſe ipſos ſponte exilio damnarint in longinquas, & vltimas regiones, ac terras abeuntes. Ex quo

facto tantam à bonis, atque innocentibus laudem reportasti, vt ij quotidie te beatum, ac vere felicem prædicent; non enim in eo multum tempus posuisti, sed minimo momento totum imperium tuum, ac fines tuos ab excursionibus, & latrocinijs liberasti. Itaque eam consecutus es gloriam, quæ cælo vix capi posse videatur; ceteris autem non ne iura sua recuperare licet? cunctis certè, te regnante, ius suum sic obtinent: vt omnia bona iniuste amissa postliminio redeant, quod æquabile in omnibus statuisti, vt ipsa tibi iustitia nihil antiquius esse patefacias. Quod

si

si sola hac omnium virtutum regina ornatus esses, an non iure vniuersi te suspicerent, similemque DEO *iudicarent? Quid eos sentire arbitraris, cum te fortem, atque constantem, & in exequendis cogitationibus tuis strenuum perspiciunt, nisi te nihil formidare, at omnibus formidolosum esse? nec testibus opus est nobis; orbis enim terrarum totus testatur nihil esse tam arduum, atque difficile, quod tu virili animo non aggrediare, atque ad finem perducas. An de summa temperantia tua sileam? minime; ita enim te contines, atque temperas, sobrie*

que viuis, vt nulla te cupiditas, nullus appetitus animum tuum, cogitationemque à maximis rebus auocare poßit, quem etiam rationi ita obedientem præbes, vt nemo queat ambigere, quin illa potißimum regat. Vnde quẽadmodum Dauid iubet, omne cogitatum tuum in Domino figis, qui te nutrit. Verum, quod amplius eſt, argumentis, ac ſignis euidentibus, & omni luce clarioribus cuncta ſic agis, ac moderaris, vt ipſa euidentia illuſtrior reperiri non poßit cuiuſquam etiam eloquentißimi viri oratio, aut aßidua diuinarum laudum tuarum prædicatio. In

quo

quo mecum præclare agitur, quòd, cum ne facultas quidem vlla dicendi à natura mihi tributa sit, non est necesse me in sermonem de te longum ingredi; quòd admirabilis virtutum tuarum fama incredibilium omnibus linguam euellat, cunctosque, quos stupor opprimit, silentium facere cogat. Quæ cum ita sese habeant, quamuis ego, Sanctissime Pater, tacere deberem, qui fari nescio, propensio tamen inexplicabilis meæ erga te voluntatis, ac diuini nominis tui summa Veneratio mihi suadent, vt hoc tibi significem me æquabilitatem vniuersæ vitæ tuæ, tum

singu-

ſingularum actionum tuarum maxime decoram quotidie commemorare, atque admirari, meque in ſacris meis ſemper nomen tuum vſurpare; nulla enim res me magis oblectat, quàm de te cogitare, cum amicis, & collegis de te colloqui, præclariſsimaque geſta tua narrare: Ac nimirum id me adeo vehementer afficit, quod tanta charitate non ſolum in pauperes, ac diuites, dummodo ij probitate, ac moribus optimis eniteant, præditus es, ſed erga doctos etiam viros, & omni artium optimarum ſcientia excellentes, vt non poſsim te beatiſsimum non appellare, quòd

cum

cum integerrimus, ac longe doctissimus sis, tui similes amantissime complectare, in eosq́ beneficia libentissime conferas; sicuti nuper Iacobo Sacrato Carpentoracti Episcopo Fratri meo eximia tuæ benignitatis, & amoris in eum signa dedisti: Nam indies te de aliquo benemeritum esse auditur, vt iuste dicere queamus, imperante Romæ SIXTO *reipsa sanctissimo Pontifice veræ quidem virtutis domicilium ibi existere, vitiorum vero omnium exilium. Quam vrbem quoque non solum aquarum ductibus, ac riuorum à fontibus deductione, viarumque exstructione*

ne

ne admirabiliter exornasti, sed & columnarum collocatione in pulcherrimis illius locis, & adium magnificentia ita decorasti, vt alienigenis, & extraneis cunctisque istuc confluentibus incredibiles fabricas tuas aspiciendi, contemplandi, atque admirandi maximus sit labor impositus. Itaque sine controuersia vna voce exclamare debemus, O seculum aureum, cuius ne posteritas quidem omnium seculorum immemor erit; hoc enim à tot eruditißimis viris ac disertissimis, mihi crede, ita celebrabitur, vt res à Sanctitate tua gestas, quæ amplissimæ sunt, & explicari

haud

haud digne queunt; nulla vnquam vetustas obruat, nec vlla omnino deleat obliuio. Ego quidem immortales DEO *Clementissimo gratias agere non cesso, et quoad hac luce fruar, perpetuò gratiam habebo; qui pro sua infinita bonitate, ac benignitate mihi largitus est donum hoc certe diuinum, vt ad hoc vsque tempus vitam perduxerim, quo dulcissimi nominis tui gustare suauitatem, illiusque assidua mentione delectari mihi liceat; quique spiritu suo me licet haud dignum afflarit, vt cũ ego nuper aliquot Psalmos breuiter interpretatus sim; Homiliasq; more veterum Pa-*

trum

trum duodeuiginti confecerim, alias additurus, si DEO præpotenti placuerit, vt vita suppetat, ac mens constet, has vigilias meas, laboresque sanctitati tuæ dicarem, & consecrarem: Nam sponte mea nunquam ad te aspirassem optime mihi conscius lucubrationes meas te dignas non esse, quas in manibus habeas, ne dum legas. Verum vis illa diuina me impulit, vt in hanc cogitatio nem venerim, ac tuo sanctissimo nomini inscriptas emanare in vulgus permiserim, quod ego quo que libentissime feci: nam cum ego incredibili erga sanctitatem tuam amore ardeam: nemini

enim

enim penitus concedo, qui te maiori obseruantia, cultu, ac veneratione prosequatur; (nam ab eo die, quo illustrem admodum animi tui candorem perspexisse mihi visus sum, me humillimum tibi seruum addixi) hac ratione animum in te meum propensissimum, tibi notissimũ esse optaui. Tu ergo, beatissime Pater, accipe hilari, atque læta fronte, quodcunque licet exiguum Io: Angelus Papius Antistes integerrimus & eloquentissimus meo nomine tibi offert, meque indignũ seruum tuum hoc studio orna, vt illius saltem memoria apud te existat: non enim tam audax, & impu-


dens

dens ſum, vt à te ad exilia ſcripta mea lectionem adhiberi petam, præmeſerrem namque, quantopere cogitationes grauiſsimæ, altiſsimæque in mente tua verſentur, mihi perſpicuum non eſſe; at vt inter minimos, fideliſsimoſque ſeruos tuos me quoque numerari patiare. Quod ſi aſſequor, hoc reliquum vitæ tempus feliciſsime degam, & quòd hoc dono à Domino DEO, *& à Sanctitate tua affectus fuerim, lætus moriar. Interea* DEVM *orare, atque obſecrare non deſinam, vt te nomine felicem, ſed re feliciſsimum perpetuò cuſtodiat, ac protegat, diutiſsimeque incolumen ſeruet,*


quò

quò commisso fidei tuæ populo, & plebi consulere, ac prouidere, & eam exemplo, atque optimis institutis regere, sicut hactenus sapientissime, præclarissimeque fecisti, valeat Sanctitas tua; cui post pedum deuota oscula beatorum me totum humillime commendo, atque trado.


Ferrariæ.



A D



AD LECTOREM.



IRVM tibi forte videbitur, Lector optime, quòd ego iam Septuaginta quatuor annos natus ad hæc Sacræ Theologiæ, ac diuinæ sapientiæ studia me cõtulerim, præsertim cum hæc exacta ætas requietem iam desideret, & otium, animiq; tranquillitatem poscat; Sed scito me à ceteris oblectationibus, & voluptatibus omnino desertum, hoc vnicum ad recreandam, ac reficiendam summam senectutem meã remedium reperisse, vt hoc reliquum vitæ tempus, quam post hac per immensam Dei benignitatem degere mihi licebit, in lectione diuinarum scripturarum, ac scriptione, magna cum iucunditate, atque commoditate traducam, quę & animam ab omnibus vitijs alienant, & ad contemplationem diuinę maiestatis alliciunt. Itaque post tria Epistolarum Volumina, quæ exierunt, & in vulgus emanarunt, ac Paręneses duas ad socios meos Sacerdotes conscriptas hæc duo Scriptorum genera confeci, Commentaria videlicet in Psalmos aliquot, breuia illa quidem, ne te molestia afficerem, præsertim cum omnes hoc tempore breuitate delectentur, talia vero, quæ ad percipienda Dauidis sensa, vt opinor, satis esse queant, & ὁμιλίας aliquot, siue sermones in Euangelia, more sanctorum Patrum,

quæ

quę nunc tibi propono, vt cum vtraque legeris (si modo ea huiusmodi censueris, in quorum lectione operam consumere, & hoc me studio ornare debeas, vt in manus illa sumas) quod ex ijs tu dignum magis iudicaueris, in quo me versari oporteat, tantum iudicio tuo tribuam, vt in eo omnem cogitationem meam, ac mentem figam. Non tamen existimes velim, me hoc sentire, vt alicui me profuturum esse credam; conscius .n. mihi sum leuiora esse scripta mea, quàm vt in illis proficere queat quisquam; at id tantum mihi decretum fuisse, vt quo ad fieri potest, Deo imprimis propitio, animum meum à terrenis bonis auocem, atque cęlestibus maxime nutriam, & in eorum meditatione eum valde oblectem. Interea tu mecum precare DEVM immortalem obsecro, vt is diuino suo me numine afflet, quoad hæc ætas à sepulchro aberit, ac demum post obitum meum memoriam mei pro tua humanitate eximia tenere statue. Vale, Lector humanissime, & me ama.



AD

SIXTVM V.

PONTIFICEM
OPT. MAX.




IMINA qui celsi reseras, qui claudis Olympi,
Et Christi vt spectrum, SIXTE beate, nites:
Qui bona partiris Cælestia, Sidere cuius
Felici fertur tuta Carina Petri,
Sume hilari vultu, SACRATI nomine Sacrum
PAPIVS Antistes quod tibi tradit opus.
Purus in hoc sermo, lepor, est facundia Tulli;
Fatidici & Regis sensa reposta patent.

In Eiusdem Gentilitia Insignia.


M*ons, Leo, Stella, Pyrus, sublimis, peruigil, ardens,*
Frugifera, extollit, seruat, fortunat, adauget.

Iulius Signius.



PAVLLI SACRATI CANONICI FERRARIENSIS IN PSALMOS COMMENT.

PROOEMIVM.



Vm omnis sacræ scripturæ lectio, vt pote à sancto Spiritu conscripta, vtilis atque iucunda est, quam qui ex animo amant, certe vitia odio habebunt; Tum Psalmorum longe iucundissima est, & vtilissima, quos quantopere doctores omnes tam greci, quàm latini laudent, & in cælum tollant, hoc demonstrare necesse non habeo; patet enim, quòd psalmus est cum Deo sermo, qui Angelos allicit, & dęmonas fugat, quiq; diuinat futura, legem vitæ sancit, & quæ facienda sunt, admonet; Ille item animorum est tranquillitas, laborum diurnorum requies; cor etiam durum mollit, vetera animarum vulnera sanat, recentibusq́; cito medicinam adhibet. Itaq; omni hominum generi virorum, ac mulierũ communiter ac separatim, & vbiq; clypeus est inexpugnabilis: Nec errauerit quisquam, si vniuersam sacræ scripturæ doctrinam in hoc psalmorum libro simul haberi dixerit; inest enim in ipso Theologia perfecta,

& totum carnis à Christo sumptæ mysterium continetur. Hic præcipuę illæ virtutes, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantiaq́; discutiur. Quare voluminis huius σκοπός, & materia vniuersa est de omni opere Domini. Siue Christus ac membra eius est argumentum: Tractat enim scriptor antiquitates Iudæorum, & eorum captiuitatem; res etiam naturales & cælestes, atq; omnia quæ Dominus Iesus carne indutus fecit & docuit: gentes autem à Deo vocatas, & ecclesiæ stabilitatem prædicit: Trinitatem, Angelos, Dæmones, & animam clarius cæteris demonstrat; morũ disciplinam, ac mandatorum rationem tradit. Et vt breui comprehendam, est commune bonarum doctrinarum & medicinæ penu, ac thesaurus. Qua ratione factum est, vt psalmi in ecclesia magis frequententur, quòd scripturam totam complectantur; Et verba, quod caput est, ita accommodantur ad ea, quæ dicere cupimus, vt quisq; ad explicanda sensa sua illis vti queat. Modus autem seu forma est confessio, siue laudatio: omnes enim ferè psalmi, aut Deum laudant, aut ei gratias agunt, aut fundunt orationem & vota faciunt; atque eorum cantus, (quod est admirabile) non auocat quenquam ab operibus, at suauem laborantibus laborem reddit. Quorum omnium finis est, vt boni ac sapientes efficiamur & Dij, atq; mentem nostram erigentes cum Deo excelso, ac sancto cõiungamur. Scriptor huius libri Spiritus sanctus primum fuit; non.n. sicut aliæ scientiæ humana industria atq; ratione eduntur, sic scriptura sacra: Nam, vt ait D. Petrus afflati Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines: De

inde Dauid noster, cuius lingua in ipsis psalmis se habuit, sicut pueri verba exprimentis, quæ alius dictat. Hic primus personarum trium vniusq; Dei præco fuit. An autem totus liber ab ipso confectus fuerit, varij varia dicunt: Græci ab ipso conscriptas omnes fuisse sentiunt, quibus assentitur. D. Augustinus; nonnullos autem illis quatuor chororum præfectis filijs Core, Idithum, Ethan, Asaph iuxta nominum inscriptionem ad canendum tradita fuisse, alios vniuerse ab omnibus cantoribus cantatos fuisse, nouem à Dauide tantum, vt idem Augustinus ait; D. Chrisostomus addit eos qui aliter censuerunt, adhuc non ostendisse, vbi Dominus vel apostolus quisquam in vllo psalmo alterius quàm Dauidis mentionem fecerit. Hilarius autem post longam disputationem psalmorum librum, sicut à D. Luca appellari debere concludit. Hieronymus psalmos omnes ab illis confectos fuisse, quorum sunt inscriptiones, in epistolis sentire videtur. Ego communem opinionem sequor. Prophetam ac vatem fuisse Dauidem nemo est, qui inficietur; dicimus tamen, cum tria prophetarum genera sint, alterum quidem, cum per res quæ sensui patent, prædicitur aliquid, sicuti Danieli apparuerunt digiti, & scripturam is interpretatus est; alterum vero per similitudines, imaginesq;, sicut Iosephus Pharaonis somnium explicauit, & Isaias, vidi Dominum; Dauidem nostrum veritate sibi à spiritus sancti numine patefacta atque illustrata prædixisse omnia, atque diuinasse: Nam ceteri eo modo quo diximus, vaticinati sunt; noster vero Dauid pure edoctus fuit; & cum alij prophetæ, aut vates, qui spiritus

ſancti quoque inſtrumenta fuerunt, præterita narraue-rint, alij futura, ipſe omnia tempora percurrit, & modo factum narrat, quod futurum eſt; modo futura pro iam factis explicat. Verum pſalmos ab Eſdra ſiue Ezechia Rege in vnum collectos fuiſſe & editos, vt illi reperti ſunt, arbitrãtur græci, licet latini de vario illorum ordine multa dicant, quorum lectio omnibus patet. Reſtat, vt quid ſit pſalmus, canticum & huiuſmodi, interpretemur. Ac dicimus pſalmum carmen eſſe, quod muſico inſtrumento canimus, pſalterio ſcilicet; Canticum, numeroſam quandam cum verbis elocutionem eſſe ore factam, ſiue vocem quandam muſicam cum harmonia ore prolatam, & pro pſalmo interdum poni; canticum enim pſalmo antiquius eſt, cuius inuentor Moyſes fuit. Hymnum eſſe diuinæ gloriæ ampliorem quandam laudem. Canticum pſalmi eſſe, quando muſicum inſtrumentum prius pulſatur, conſequitur deinde vox. Pſalmum Cantici, quando contrarium fit. Diapſalma mutationem ſententiæ aut cantus ſignificare aiunt Græci; ſed D. Hieronymo credendum eſſe puto, qui poſt multa exempla verbum hoc ſuperiora pariter & inferiora connectere inquit, aut certe docere ſempiterna eſſe, quę dicta ſunt. Vniuerſum pſalmorum argumentum in duas partes diuiditur, in eam quæ ad mores pertinet, & in illam quæ ad dogmata ſpectat. Ac moralis partis iterum fit partitio triplex; nam aut ſingulorum, aut nationis ac gentis Iudeæ tantum, aut omnium communiter hominum mores corriguntur. Item illius partis, quæ ad dogmata attinet, duplex fit partitio; nam aliqui pſalmi in eos inuehuntur, qui ea

quæ

quæ ſunt, caſu aut fato exiſtere, aut fieri dicunt: alii in eos, qui vlla mundum prouidentia regi negant; Qui autem primum ſtatuunt, & ſecundum eos affirmare non è contra conſentaneum eſt. Cum igitur pſalmos interpretari cœpturus ſim, de hoc lectorem admonere volui me horum duorum virorum conſilium D. Hieronymi, & D. Chriſoſtomi ſecuturum eſſe; ait enim Hieronymus referente etiam D. Thoma, res geſtas, & pſalmorum verba ſic exponenda eſſe, velut aliquid innuentia, vel ſignificantia de Domino Ieſu Chriſto, aut eccleſia: Chriſoſtomus autem ait à veritate ipſorum ſe non receſſurum eſſe; ſed ex hiſtoria & ex ipſa dictione nec ſenſum anagogicum, nec ſubtiliorem contemplationem excerpi vetiturum, quòd illis non aduerſetur hiſtoria, ſed è contra, altiorum intelligentiarum ea fundamentum, ac baſis exiſtat.

Ad primum Pſalmum venio, Beatus vir.

AIunt quidam ſancti ſpiritus quaſi præfationem eſſe; Deus enim loquens introducitur, ideo careretitulo, & quid diuino verbo præponeretur: vel potius operis ſequentis titulum eſſe. Eſdram autem addere illum non fuiſſe auſum, quòd ipſe Dauidem in ſequentibus Chriſti perſonam reſpicientem hunc libri caput appellaſſe animaduerteret. Apud Hæbreos aliquos hic & ſequens vnus eſt pſalmus, quod ab iis comprobatur; cum enim à beatitudine ordiatur, in eadem de-

ſinit inquiens, beati qui confidunt in eo; Secundum latinos ſequens ſcilicet, Quare, pro ſecundo habetur, qui tamen cum inſcriptione primus eſt, vt infra dicetur.

Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſedit.

ET ſi proprie Deus eſt, ac dominus noſter Ieſus Chriſtus, à quo omnis beatitudo effluit, quæ omnium bonorum fons eſt, nobis tamen conceſſit, vt beati ſicut Dij vocemur. Itaque ad fidelem quemlibet congrue accomodatur, qui demum beatitudinem ipſam adipiſci velit. Inquit igitur, Beatus vir nunc ſpe, poſt reipſa, non excludendo mulierem, cuius caput vir eſt; vel vir: quòd ad prælia, & pugnas pro virtute ſuſcipiendas hortetur. Qui non abijt; rectè, nam qui viuit adhuc, & in via eſt, quandiu deliberat, beatus dici non debet; incertus enim eius exitus. Cur autem non eum potius, qui bene agit, beatum prædicauit, quàm illum qui à malis abſtinet? quia principium ad aſſequenda bona eſt, vt ait Dauid, declinare à malo, & poſt facere bonum. Quare qui ambulant, & non qui ambulauerũt in lege Domini, beati nuncupantur? quia adhuc ambulantes in ipſo opere laudem conſequuntur. Qui vero malum fugiunt, non ſi ſemel & iterum, ſed ſi penitus illud effugerint, gloriam adipiſcuntur. In conſilio impiorum

piorum abijt Adam, cum à Deo recessit, in via peccatorum stetit, cum delectatus est peccato, sedit, in superbia sua glorians nisi per Christum in viam redire nequiuit; qui tria hæc vitauerit, beatum eum nuncupabimus. Vel per consilium intelligit consensum, viam, actiones; cathedram, doctrinam. Sed cathedra pestilentiæ, perniciosa est doctrina; quæ sic vocatur, quia à Deo ordinata non est: corruptio enim est mortem pariens, sicut damnationem iniquitas; nam ibi iudicium non esse iniquum non potest. In cathedra Dei sedentes si innocentem opprimant, iudicium iniustum erit, non cathedra. Vel tres delictorum species significat, cogitationis, operis, permansionis; Beatus ergo qui malum non cogitauerit, non commiserit flagitium, & in peccato non perseuerauerit, nec permanserit. Verum impius in Deum dicitur, quoniam aut eum non colit, aut plures; peccator in se ipsum, quoniam licet fidelis sit, prauis tamen & perditis moribus imbutus est; pestilens in proximum, quia morbo suo alios inficit. Hieronymus pestilentiæ loco, derisorum, legit, quia peruersæ doctrinæ doctores vere derisores existunt. Rerum ergo naturam secuti primum inimus consilium, postea illud confirmamus; denique in eo insistimus.

Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

S*Ed vere beatus ille, qui spretis impijs, ac derelictis peccatoribus, pestilentiæq; cathedram abnuens, as-*

fiduam habet in lege D. N. Iesu Christi, videlicet, in Euangelio versandi voluntatem; is enim per dilectionem in lege est, qui secundum eam agit, ille vero agitur, qui sub lege per timorem existit Meditatur autẽ legem die ac nocte, idest, assidue ac sine intermissione, vel in prosperis & aduersis, siue in lætitia & afflictationibus, non qui verba ipsius memoriæ mandat; nam eius meditatio non in verbis tantum, sed in opere & religione consistit; verum qui bene agendo ad meditationem bonorum, quæ in lege continentur, operum, in cunctos vitam secundum illam ducentes bona sua impendit. Vnde talis perfecti viri, qui cum ratione afflata diuinitus omnia gerit, pro oratione actio habetur.

Et erit tanquàm lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo.

COmparatur iustus hic atque beatus ligno, siue arbori prope aquas consitæ, quæ in tempore suo, idest opportune fert fructum; nam sicut illa sæpe irrigata surculos edit, quia sterilis esse non potest, ita hic diuina doctrina, quam aquæ nomine Christus cum Samaritana loquens nuncupauit, sacraq; scriptura, tanquam riuulis aquarum & gratiarum affluentia rigatus fructus suos maturos præbebit, idest, virtutis opera, dum tempus est ea nauandi (fructus enim est quicquid præcipui boni agitur, iustitia scilicet, & sapien-

tiæ

tia amor) & tempore illi præfinito præmium assequetur. Vel similis est ligno vitæ fructuoso, scilicet filio Dei, qui fructum edet, idest, ecclesias constituet in tempore suo; nam postquã is clarus & illustris surrexit, & in cælum ascendit, tunc misso ad apostolos spiritu sancto, & edoctos ab eodem innumerabiles populos sibi conciliauit, atque ad fidem attractos adiunxit.

Et folium eius non defluet.

ET *folium, quo fructus perfecte custoditur, idest, studium, quod ad vsum vitæ & mores attinet, nõ decidet, dummodo omnia ad gloriam Dei comparentur, atque accurate viuendo seruentur; vnde in arbore, cuius folia non cadant, vitam significasse patet. Vel folium, idest, spes salutis virescens, quæ omnem dolorum sensum tollit, nunquam deficiet; nã veri virtutis athletæ laborum suorum in posterum fructus consequentur: Interim hac spe ducti tanquam folia florent, quia nec in minimis operibus & exterioribus à Deo deserũtur, similes illis arboribus, quæ illa retinent; ac laborum grauitatem interno animi solatio compensant. Cur non folium etiam humilitatem interpretemur, quę non deponitur, quæq; virtutes omnes non secus ac proprios fructus conseruat? Vel folium .i. verbum Dei non erit irritum, sed ad vitam ducet.*

Et omnia quæcunq; faciet, prosperabuntur.

ET *sic omnia prospere succedent; à Domino enim gressus hominis diriguntur, & ad viam bonam*

qui

qui huiusmodi hominem nihil aduersus leges conari velle non ignorat; prosperabuntur, inquam, quia nulla actio Deo grata vtilitate caret, & quisq; remoto impedimento prospere & feliciter viam suam peragit. Quæcunq; igitur lignum illud attulerit, ea omnia fructus & folia. i. facta & dicta accipienda sunt. De nullo tamen sanctorum hic videtur accipi posse, nisi forte in futuro sæculo; vnde satius est de illo intelligi, qui semper existens carnem tamen propter nimiam caritatem sumere voluit.

Non sic impij non sic.

NOn ita florent, nec fructum ferunt impij, sicut ille quem beatum appellamus, quia vmbratilem virtutem habent, & ijs quæ suggeruntur licet vanis facile cedunt; ideo nihil ipsis in futuro prosperum erit.

Sed tanquàm puluis quem proijcit ventus à facie terræ.

SEd sunt sicut puluis, qui huc atque illuc dispergitur, & nunquam in eodem loco remanet, at quocunque illum ventus impulerit. Ita Iudæi flante aduersus eos vehementi Apostolorum prædicationis spiritu dispersi sunt. Ita & Dæmones aduersarij impios quosque dissipabunt. Verum notandum est impios pulueri tripliciter comparari. Nam puluis terræ non adhæret, sed est in superficie; lignum autem. i. iustus radicitus plantatum est; Et lignum humidum est, puluis

vero siccus; & lignum compactum est, puluis vero diuisus. Nec non beati cælestibus bonis inhærent, terrestribus impij sustentantur. Ἀλληγορικῶς ventus .i. superbia impium eijcit, quia inflat, à facie terræ .i. à stabilitate æterna, quia vt hic terra nutrit hominem & continet, sic interiorem illa, à qua Lucifer & Adam deiecta sunt, quamuis D. Hieronymus hæc verba non legat: à facie terræ.

Ideo non resurgunt impij in Iudicio, neque peccatores in consilio Iustorum.

DOctores aliqui tres tantum modos ponunt, inquientes alios iudicaturos esse, non iudicandos, quia recte crediderunt, & fidem operibus comprobarunt, vt apostoli ac perfecti; alios .s. peccatores surrecturos non esse in congregatione iustorum, vt legit Hieronymus, quò iudicent, quia iudicandi sunt; non enim in eorum cœtu numerari merentur: alios vero, impios scilicet, qui non crediderunt, nec iudicaturos, nec iudicium subituros, sed ad pœnam à mortuis excitatos iri; damnati enim illi certissimo supplicio multabuntur. Non nulli alij quatuor gradus faciunt, eorum qui iudicabunt, & non iudicabuntur, vt sancti; Et eorum qui nec iudicabunt, nec iudicio subiecti erunt, vt impij damnati. Item fidelium qui peccant, alij iudicabuntur, & salutem consequentur, vt mediocriter boni, qui tamen nec in numerum beatorum ascribentur; alij iudicabuntur

dicabuntur & peribunt, vt pessimi fideles, qui à iustis penitus separabuntur, vt acceptę legis rationem mandatorum reddant. Ergo impij non surgunt in iudicio, & quia tanquàm puluis proijcientur, quibus hoc auferri ait, quod superbi ambiunt, vt iudicent; Et quia spernentes legem Dei ac negantes, non est vnde in iudicio interrogati rationem reddant. Ex quo patet Dauidem de iustis loqui, qui ad vitam æternam suscitantur, quia impij & perduelles & si surgunt, vt perspiciant esse verum, quod credere noluerunt; omnes enim inquit D. Paullus, surgemus, non tamen vitæ, sed æternæ morti destinantur. Iustos autem Dauid significat, non qui in peculiari iustitiæ virtute se exercent, sed omnes generatim sanctos, vt potè à Deo iustos effectos, sicut scriptura appellare solet.

Quoniam nouit Dominus viam Iustorum, & iter impiorum peribit.

ALibi dicit, Nouit Dominus qui sunt eius; certe cognoscit Deus viam iustorum, quia in eius lege ambulant, & illam approbat, ignorat autem mala, quia cognitione ipsius indigna sunt, & ideo impios quorum iter extra legem est, non nosse simulat, quia illos tales non fecit; nam nesciri aliquem à Deo, perinde est ac perire, sicut sciri à Domino est manere; vel nouit. i. domesticos inuisit, honorat, amat; & cum iustorum virtutes velut eorum diuitiæ permaneant, iter. i. actiones impiorum delebuntur, aut impietas ipsa penitus

tus tolletur. Ex quo constat à Dauide hereticos illos reprehendi & corripi, qui substantias & naturas ipsas omnino interire, atque ad nihilum redigi opinantur. Conemur igitur & nos omne malitiæ genus effugere; et cum peccatoribus versari nolimus, nec in eorum consuetudinem nos ipsos immergere, vt beati vocemur, et in numero illorum habeamur, qui ita florent, vt fructus optimos afferant, quique in congregatione iustorum futuri sint, atq; iudicaturi, vt potè à Deo cogniti ac probati; quod facile assequemur, si virtutes iustorum imitari, atque ab impiorum via adiuuante Deo immortali prorsus deflectere studuerimus, qui est benedictus sempiternis seculis Amen.

IN PSALMVM SECVNDVM: Quare fremuerunt, &c.

PSalmus hic ordine secundus est, titulum tamen primus habens secundum latinos talem. Psalmus Dauid, quòd ab eo compositus sit. Secundum D. Hieronymum, & Heb. titulo caret, & qui à latinis legitur, secundum eos fictus est; secundum quos etiam Dauid de victoria, quam contra Palestinos reportauit, Deum laudat. Sed D. Petro in actis apostolorum maxime credendum est de Christo psalmum exponenti, qui primùm ignorantiam gentium, & Iudæorum carpit; deinde insidias eorum qui Iesum occiderunt; Et Iudæorum exitium vaticinatur, ac prædicit. Demum vocandas esse gentes, quas ad salutem inuitat.

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt Inania?

QVatuor hominum genera aduerſus Chriſtum coniuraſſe inquit Dauid, gentes.i. milites, populos, Iudæos videlicet, Reges Hærodem, & Pilatum, principes, Iudæorum primarios Annam & Caypham; Et admirans inſectantium malitiam quam præuidebat, Quare fremuerunt, ait, propter quid, & quo fine moti Iudęi equorum & leonum more frenduerunt, et in Chriſtum ſæuitiam crudelitatemq́; exercuerunt, & arroganter ſuperbierunt, (increpare, non interrogare videtur).i.cur cum tanto furore tumultuati ſunt, & meditati inania.i.falſa, & fruſtra conati ſunt in ſpem venientes ſe poſſe eum tollere, qui viuit in æternum, nõ ſunt aſſecuti, quę optauerunt, vt Chriſtus extingueretur.

Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & Chriſtum eius.

IDeſt affuerunt, & coniurauerunt reges, ideſt Herodes, & Pilatus, & conſociati ſunt in vnum aduerſus Dominum patrem, & Chriſtum eius filium; inſidioſa enim conſilia contra Chriſtum, in ipſum quoque patrem redundant, qui filium gentium regem vnxerat.

rat. Dicant nunc iudæi si valent, cuinam eorum Regi hęc contigerunt. Nunquis alius insidias passus fuerit; nunquis alius Dei filius vocatus; si quis gentibus omnibus imperauerit: si quis in toto terrarum orbe cognitus fuerit. Itaque eorum quæcunq; prædicta fuerunt, Christus finis fuit ac terminus. Hieronymus ex heb. tempore futuro vsus est. Quare turbabuntur & meditabuntur atque consurgent, ea, opinor, ratione, vt Dauid futura ante oculos à spiritu sancto sibi posita esse ostendat, cum secundum aliam interpretationem futura vt pręterita narret.

Dirumpamus vincula eorũ, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.

NOn nulli græci, & aliquot latini Augustinus præsertim, ita exponunt, vt diapsalma non existat, conuenerunt in vnum inquientes: dirumpamus, & à nobis iugum repellamus; dixerunt enim non habemus Regem nisi Cæsarem, à nobis. i. per nos ipsos efficiamus, auxilium non expectantes, ac rationes Christi atque discipulorum reijciamus & aspernemur, quibus nos sibi ipsis addicere volunt, vinculaq; rumpamus. i. operam demus, ne nos deuinciat ipsius religio, & sub iugũ eius mittat. Theodoretus tamen ex persona spiritus sancti, Hilarius, Apostolorum, hæc dicta esse affirmãt, vt diapsalma extet, licet in hebræo non contineatur: Inquit enim Petrus, quid tentatis ceruicibus Apostolorum iugum. i. legem imponere? Alij aiunt latini, Dauidis

nidis esse vocẽ inquientis, quæ contra Christum machinati sunt, ea euertenda esse, & fideles hortantis, vt cum infidelibus nullius rei societatem facere velint. Quas opiniones Augustinus quidem non reijcit, primam vero magis, sicut & ego, probat.

Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.

QVi domicilium habet in cælo Dominus pater, & qui ab illis proditus & captus fuit, filius irridebit eos tanquàm fatua sequentes, & inania conantes; pœnasq; ab eis exiget, vt euentus comprobauit, expugnata à Romanis Hierosolyma, et subsannabit, vt sit repetitio. i. manifestam faciet irrisionem; nam tunc eos irrisit, cum positis custodibus & sepulcro obsignato surrexit; delusit, cum apostolos per mundum dispertijt; licet hæc more humano intelligere nõ debeamus, vt quasi buccis Deus irrideat, naso subsannet. Vel qui habitat in cælis. i. in animabus sanctis, irrisione illos dignos in futuro reddet. Irrisio autem, vt ait D. Augustinus, præsciendi vis est, qua Deus sanctos donat, vt perspicientes illi nomen Christi peragrasse omnes gentes, aduersarios inania cogitasse intelligant.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: & in furore suo conturbabit eos.

TVnc quando scribis & phariseis dixit: Væh, quoniam à vobis Dei regnum auferetur; de vltione loquetur, & contra eos sententiam feret; iram enim

*Dei tempore iudicij experientur; furor autem est ira excandescens: eius enim principium est, furoris finis ira; Vtrunq; in Deo non perturbationem, sed vim, quæ iustissime in peccatores animaduertit, nos intelligere decet. Ergo ira Dei motus est in anima legem Dei cognoscente, quam ipsa à peccatore non seruari videt; & vt apertius ac planiùs ostendat, quomodo loquetur, dixit,*conturbabit eos,*idest pœna æterna puniet. Hęc igitur quattuor in iudicio cõtinebuntur. Irridebit Dominus, eos à sinistris statuens, subsannabit, exprobrans illis, Esuriui; loquetur in ira, in eos sententiam hanc ferens: ite maledicti, conturbabit demum dicens: eant hi in supplicium ęternum.*

Ego autem cõstitutus sum Rex super Syon montem sanctum eius.

VOx Iesu Christi inquientis, Ego vero, cuius vincula, & iugum à vobis deijcere conati estis, rex sum constitutus, vt homo, licet natura filius; supra montem Syon, Iudæam videlicet; ait enim Christus, nõ sum missus, nisi ad oues domus Israel quę perierunt, quia in illo monte doctrinam suam promulgauit; vel super montem ecclesiam, quam propter firmitatem montem appellat, & super eos, qui credunt in ipsum.

Prędicans præceptum eius.

NAm homo factus Domini præceptum prædicat scilicet Euangelium, aut mandatum nouum, &

tanquam homo Rex creari dicitur; quia quatenus Deus, Rex semper existit.

Dominus dixit ad me, filius meus es tu.

Haec verba propter æternam, ac diuinam generationem dicta sunt, Dominus dixit, idest quasi dicendo me genuit; vnde filius verbum est, quod pater dixit, idest gignendo produxit, proprietas vero demonstratur, cum dicit, meus, *non adoptatus, sicut ij, quibus se filios Dei, vt efficiant, concessit, sed natura; ideo filius meus naturalis est, & eiusdem mecum substantia existens.*

Ego hodie genui te.

Graeci & latini hoc loco discrepant; nam graeci verbum hoc hodie *temporis signum esse aiunt, in quo verbum caro factum est, atque perinde valere, ac si dicat, præsenti die, quia de generatione in tempore facta loquitur, cum verbum carnem induit: Nam de illa, quæ principio caret, alibi dicit Dauid, ex vtero ante Luciferum genui te; latini hoc verbo* hodie *æternitatem significari inquiunt; non enim noua est, sed æterna generatio, & ideo verbum* hodie *præsentiam indicare, quoniam quod æternum est, semper existit; dicit etiam,* genui, *ad designandam generationis perfectionem, quamuis de die, qua homo natus est, intelligi quoque queat, vt ait D. Augustinus.*

Postula

Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.

CVm Dominus natura ſit, quatenus Deus; quatenus homo vniuerſarum rerum dominatum accepit, & conſilio diuino hæres inſtitutus eſt. Cum ergo dicitur, quòd regnum acceperit, & hereditatem petere iuſſus ſit, hæc omnis ratio ad ſuſceptum hominem refertur; poſtula, inquit, & gentes tibi tradam, quæ copulentur cum ſequentibus Chriſtum, atque à morte redimantur, quæq; tibi ſubiectæ ſint, ac demum exiſtat hęreditas. Scire autem oportet eum qui virtutis particeps eſt, cum ſimilis Deo efficitur, Dei hæreditatem dici. Quandiu igitur Iſrael bonus extitit, de illo dictum eſt, Iacob pars hæreditatis eius; Et quoniam fides in Deum, *& mandatorum obſeruatio in hęreditatem vocat, eorum pręuaricatio huiuſmodi honore illum priuauit; quare Iſrael, qui beneficium* Dei *inſigne neglexit accipere, merito corruit; cuius exemplum cum ante oculos nobis verſetur, ne tanto bono decidamus, maxime nobis cauendum eſt.*

Poſſeſsionem tuam terminos terræ.

IDem repetitum eſt; poſſeſſionem enim pro hæreditate poſuit: Terminos terrę, pro eo ac dabo tibi gentes, quia euangelij ſermo, ideſt doctrina tua vbiq; dominabitur, & in omnem terram, & in omnes fines eius

penetrabit. Animaduerte, quomodo ad Dominum *Ie-sum Christum, quę illi natura suppetunt, etiam carne indutum diuitiæ peruenerint; nam si quæcunq; in mundo existebant, patris erant, pariter & Verbi fuisse dubitandum non est; inquit enim omnia tua, mea, & mea tua sunt. Cæterum cum in nullum eorum, qui regnauit in terra Israel, conueniat regnum hoc, non ne clarissimum indicium habemus omnia in vnum Christum penitus quadrare? pudeat ergo ita Iudæos, vt pudorem rubor consequatur, quia neminem habent, de quo hæc vere dici queant.*

Reges eos in virga ferrea, & tanquàm vas figuli confringes eos.

CVm plenam potestatem assecutus fueris, atque orbis terræ, gentium hæreditatem adieris, reges eos, ait, principes iudæorum, & illos qui vana cogitauerunt, & qui aduersum te coniurarunt, non pastorali virga, sed ferrea, quę Christi est potestas, seu eorum pœna, qui non crediderunt, vel potentia Romana, quã ferream appellauit Daniel, & eos dissipabis, atque illorum arrogantiam lutei vasis instar confringes, quod Vespasiani, ac Titi tempore ipsis euenit: Nam Iudæi à Romanis ferè perditi fuerunt, de quorum pernitie, atq; exitio Iosephus incredibilia quasi narrat: eos tamen Christus qui agnouerunt ipsum, seq; ipsius potestati subiecerunt, in læta pascua adducens pauit, vt grex eius rationis particeps, dicat, Dominus regit me, nihil mihi

deerit.

deerit. At contumaces, qui non habebant alium Regem quam Cæsarem, tanta pœna affecit, quantam eorũ improbitas atque peruersitas postulabat; atque Cæsaris ipsius militum opera vsus est, vt non eos solum, sed ciuitatem etiam funditus perdiderit: Et sic oracula, quæ fuderũt Esaias, Hieremias, & Christus ipse, verissima fuerunt. Si vero ad gentes dicta referantur, reges, inquit, eas virga ferrea, idest iustitia, quæ flecti nequit, & conteres eas, non vt destruas, aut omnino perdas, sed vt instaures, atque iterum formes: Nam in sacris litteris etiam in bonam partem accipitur, vt in psalmo, cor contritum non despicies, & tanquàm vas figuli eas confringes; sicut enim de manu figuli delapsum vas cadit, atque conteritur, non deletur tamen, quia Figulus non lutum aliud quam vetus, aquam tantum addens denuo format, sic Dominus Iesus Christus fecit, in eis enim idolorum cultum, terrenasq́; cupiditates, ac veteris hominis sordes eluit, & per baptisma renouans diuini spiritus igne perfectas illas effecit. Nos quoque spiritum nostrum conterere oportet, vt is gratum Deo sacrificium fiat.

Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui Iudicatis terram.

H*Inc vox est Propheta ad principes, ac Reges, Heu vos, quotquot agnouistis, quanta sit eius potestas, qui gentium hæres factus est, & qualis illa virga ferrea, qua vos cæsi estis, iam bellum gerere desistite, intelligiteq́;, idest scientiam capescite, & discipli-*

næ, quæ vos erudiat, et correptioni vos met tradite, qui terram, ideſt terrena in vobis iudicatis, & corpus dam natis, libidines frænate, appetitumq; ſuperate; & qui antea imprudentes illi ſcilicet Chriſto inſidias feciſtis, ſaltem pœnitentia ducti modo reſipiſcite, & ſapientiã amate. Cum Reges admonet, populos ipſis ſubiectos monere quoque videtur. Vel Regum nomine ſancti in telliguntur, qui innouati contritis luteis vaſis ſe regere valent; proprie namq; Rex dicitur, qui innocenter im perare nouit; & certe ſi recte examinemus, cur ſanctus ille vir Rex vocari non debet, qui proprijs affecti bus dominari non ignorat, atque à peccato ſe amplius vinci non ſinit? Nam ſancti terræ iudices erunt, at quomodo? nimirum præclaris eorum factis dijudicabunt illos, qui eadem imitati non ſunt; Niniuitæ etiam, & regina Auſtri in iudicio ſurgent, & iudices eorum erunt, quos Chriſtum audientes non pœnituit, & hoc fortè modo duodecim tribus Iſrael, quæ in Chriſtum minimè crediderunt, diſcipuli iudicabunt.

Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

H*Ic reges Domino ſeruire iubentur; Seruitutis iugum à vobis non repellite, vt apud Deum lætitię & exultationis participes efficiamini; hoc autem agere oportet cum timore, qui peccare non ſinit, (is enim pro obſeruantia ab Origene ſumitur, quæ reuerentia appellatur, & nunquam pœnam habet) nam vbi timor eſt,*

est, illic mandatorum obseruatio; sed ne seruitus, quã filius seruire potest, miseria videatur, cum non timor solum, sed caritas seruitutis causa existat, addidit, Exultate ei, *scilicet in Domino, cuius lętitia sunt actiones bonæ, & diuinæ legis meditatio; &* gaudete *mirũ in modum; verum hoc vestrum gaudium cum tremore commixtum sit, & non effusum, ne hæc lætitia incredibili elati, & arrogantes omisso timore excidatis; Exultate igitur propter spem, verum propter peccatum contremiscite; ea enim vera exultatio est, cum quid boni facimus, & multo cum studio opera egregia nauamus. Sed quomodo tales viri in tremore existere dicuntur? nunquid illos cogi arbitrabimur? minime; at quoniam ex Regibus alij perfecti sunt, alij timore erudiuntur, vt terræ Iudices existant, eis non conceditur illa dissoluta exultatio, ne alias inflati glorientur, & cadant.*

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via Iusta.

S*Cientiam scilicet euangelij, quasi præsidium contra omnia, quæ obesse possunt, percipite, ne vobis segnitia vtentibus & cũctantibus irascatur Dominus & succenseat, à qua qui aberrant, de via iusta cadunt, idest de via iustorum, vel Iustitiæ; si quidem non satis est diuinæ cognitionis acquisitio ad perfectionem assequendam, sed virtutem actuosam esse oportet, quia illius laus omnis in actione consistit; si certam ac tutam*

viam conficere velimus. Origenes ait hoc verbum iusta, nec apud Hebræos, nec apud interpretes haberi; nec D. Hieronymus legit. Dicitur autem homo, quandiu in mundo existit, in via esse, si cadit, surgere valet, nec quod reparari potest, perire putandum est; verum si de via declinat, recuperare se nequit; sicut enim in via sumus, cum mandata Dei seruamus, sic ab ea ab erramus, cum ea non conficimus; quam pœnam magnã sustinent illi, qui iustitiæ dulcedine antea capti fuerũt. Hieronymus legit, adorate pure, ne forte; Iudæis enim qui filium Dei adorare noluerunt, iratus est pater; & ideo relicta via, quæ Christus est, recta, ipsi perierunt.

Cum exarserit in breui ira eius, Beati omnes, qui confidunt in eo.

POst exitum vitę supplicium futurum exprimit, ac iudicij tempus quod instat (breuis enim, & momentanea est hęc vita præsens) eiusq; celeritatem & vehementiam significat; in breui dixit, repentinum aliquid fore innuens, dum hoc remotum, ac diuturnum futurum peccatores existimabunt. Vel vindictæ tempus venerit, quæ impijs & peccatoribus apud infernas partes præparatur, non solum furor confidentes non attinget, sed beati erunt ij, quia ad regnum peruenient; quæ gloria ex pœna malorum maior apparebit; vel cum ardebit indignatio, modo enim castigat vt pater, quia pęnitentiæ locum relinquit, nihil patientiæ dabitur loci, sed iudicium breui fiet: nam non singula pec

cata

cata separatim, & simul omnia diligenter perpendet, atque examinabit Dominus. Confidere autem nihil aliud significat, quàm fidem firmissimam, ac stabilem cum spei constantia coniunctam habere: nam qui confidit, haud dubitat, quin difficillimis temporibus Dominus sibi præsto futurus sit. Dauid igitur à beatitudine exorsus, in primo psalmo in eadem terminauit; in hoc enim additum est, quod deerat primo, vt apud Hebreos non iniuria coniuncti sint ambo, & pro vno censeantur. Nam non satis est in consilio impiorum non abire, & in lege Domini meditari, sed planè oportet nos non frustra nec temere meditari, & ex ipsis verbis cognoscere Christum Dominum, & aduersus eum non murmurare, nec coniurare, at fieri nos hæreditatis suæ partem, fideq; & operibus in ipso confidere, semperq; in timore versari ne eum lædamus: sic enim & futurum iudicium non formidabimus, & maximam ex rebus bene gestis iucunditatem, & amplissimum spei nostræ fructum, beatitudinis scilicet præmium consequemur.

IN PSALMVM TERTIVM.
Domine quid.

I*Nscribitur, Psalmus Dauid cum fugeret à facie Absalonis filij sui. Historia nota est 2. Regũ. Absalonem patrem insectatus est, eumq; occidere nitebatur, cui Dauid ex Hierusalem exiens cum suis cessit, quod ob scelus in Vriæ vxorem editum, & maritum occisum*

cisum sibi contigisse non ignorauit: Nam post peccatum à patre Absalon desciuit, quem fugiebat Dauid, quoniam ipse castitatem fugerat, & pudicum matrimonium violauerat. Cum igitur in fugam se conferret, diuino illi ob feruorem pœnitentiæ, ex qua maximũ fructum tulit, numine aspirante præsentem psalmum composuit; & cum Absalon patris pax dicatur, puero pacem dedit pater præcipiens populo ad bellum proficiscenti, vt eum seruaret. Hunc autem psalmum ad personam Christi applicandum esse mihi persuadet, inquit D. Augustinus, quod dictum est. Ego dormiui, Sed et hoc ad Dauid aliquo modo græci aliquot referũt; vt infra dicitur. In hoc namq; psalmo agitur & Christum passum fuisse & surrexisse, in quo multa insunt, inquit Origenes, quæ an ad Historiam referri queant, animaduertendum esse putat, qui probat in pluribus scripturę locis Dauidis nomine Christum appellari. Filius est Iudas, à quo fugisse Christum, quanuis secundum historiam intelligi possit, quando illo discedente cũ cęteris in montem secessit, ἀλληγορικῶς tamen cum mentem Iudæ filius Dei, idest eius sapientia deseruit, & cor eius Dæmon intrauit, recte dicitur eum fugisse, non quòd Christus Dæmoni cesserit, sed Christo ipso discedente ille occupauerit, quem discessum ob celeritatem fugam appellatum esse existimandum est; inquit enim quod facis, fac citius, cui Iudæ in conuiuio, & osculo pacem Christus dedit. Etiam cuilibet Iusto in afflictionibus versanti psalmus hic attribui potest.

Domine

Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt aduersum me.

NOn tam interrogantis quàm admirantis est, quid, pro valde, vehementiam enim significat; admiratur autem & stupore afficitur ob insidiatorum multitudinem, & tanquam homo timet, sed audet, & superiorem se fore in Domino Deo confidit. Hi vero Dauidem afflixerunt primarij, Achitophel, Theon, Semei, quos plurimi secuti sunt. Hæc de Christo prædici futura supra relatum est, quem & filius suus Iudas & principes Iudæorum insectati sunt. Circunseptus igitur sum tentationibus, inquit Dauid, sed fide munitus minime corruo. Multi insurgunt, *hostium est insultare, id est factis me perdere cupiunt. Sciendum est autem cunctos, qui præscripto Dei vitam instituunt, afflictationes expectare oportere, in omnibus vero grauia quæq; viriliter sustinere. Affligunt quidem dæmones per se, qui per voluntarias voluptatum tentationes diuinorum mandatorum nos præuaricatores efficiunt; per homines vero, cum eos inducunt, vt in nos irruant, vt profligent Dæmones, homines insultent.*

Multi dicunt animæ meæ non est salus ipsi in Deo eius.

MVlti (iteratur hoc verbum, vt magnum eorum numerum esse demonstret) non esse animæ meæ, idest

idest mihi ipsi in Deo salutem aiunt; alij quidam videlicet præter irruentes, & affligentes esse possunt, qui Absalonem minime secuti sunt, at cum perspicerent Dauidem victum esse, illa verba facerent. Verum qui Christum Iesum cruciarunt, turbæ fuerunt, tolle, tolle, clamantes; Insultarunt Iudas, & Cayphas, Annasq; & Herodes; Qui autem dixerunt: non est salus, illi existimandi sunt, qui nisi desperarent eum surrecturum esse, non vtiq; occiderent: Ideo aiunt, si filius Dei est, descendat de cruce; ergo nec Iudas eum prodidisset, nisi extitisset ex eorum numero, qui eum spernerent inquietes, non est salus in eo, quem colit, quæ tamen iustorũ vox est, sicut alibi dicitur: salus autem Iustorum à Domino.

Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

D*Iapsalma, pro quo Hieronymus semper, habet ꝉ Vox enim est Dauidis pro virili afflictiones tolerantis, & sperantis nunquam se desertum iri; at maximis auxilijs, & summa gloria in regnum restitutum iri credentis, inquit enim.* Tu autem Domine susceptor meus existis, *vel vt legit D. Hieronymus, clypeus circa me, idest defensor meus, vt à multis affligentibus me liberes;* Gloria mea, *Deus enim fide creditus sanctorum gloria est, & illorum qui virtute illustrantur.* Et extollens caput meum, *idest mentem præcipuam, & principem animæ facultatem; effertur enim*

mens, cum multiplicem Dei scientiam percipit. Elatus autem fuit Dauid per vniuersum orbem, vt qui ob Christum ex semine eius secundum carnem nasciturũ celebris factũ sit. ἀλληγορικῶς, Christus confidens se ad vitam reuocandum esse, ait, tu suscipiens me pater es, & dissipatis omnium insidiatorum consilijs in pristinum gloriæ splendorem me restituens, extollens caput meum, idest diuinitatem meam, quæ efferri dicitur, cum per fidei demonstrationem manifesta redditur.

Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo.

HIc non precatur Dauid, sed se hoc munere ante secreto functum fuisse declarat, antequam votũ eius à Deo auditum fuisse explicet. Voce mea, idest cordis voce, quæ hominibus silere videtur, Deo autem clamat, ad Dominum clamaui, à quo est auxilium; silentium propter vehemens mentis desiderium clamorem vocans, qua voce qui clamant, à Deo exaudiuntur, vt Susanna, vt Moyses, qui ore tacentes, corde exclamabant. Itaque qui per psalmum ad Deum vocem intendit, non aliunde quàm à monte sancto, idest à cælo exauditur, si quidem alibi dicitur, exaudiuit illum de cælo sancto suo, qui mons propter habitationem Dei firmissimam sanctus vocatur. Vel de altitudine iustitiæ tuæ exaudiuit; iustum enim erat;

vt

vt innocentem occisum, cui mala pro bonis retributa sunt, à mortuis suscitaret, atque digna in sectantibus rependeret. D. autem Hieronymus legit, clamabo & exaudiet, ea, opinor, ratione, vt Christum ad patrem hac verba facturum praeuideat Dauid.

Diapsalma, Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.

OStendit in quo exauditus fuerit, quia exurrexi, inquit; Discrimen autem est inter mortuum & dormientem, quia mortuus non surgit, dormiens sic; Nam quando afflictio tanta est, vt homo ad priorem statum non reuertatur, mors dicitur; quando vero cruciatus & tentatus in peccatum cadit, & iterum se erigit, dormire dicitur. Dauid igitur, inquit, socordia dormiui, & magna profecto pœnitentia surrexi à filio, & à peccato liberatus: Dormire enim dicitur parum, soporari quasi multum; vnde aliter legitur, somnum cepi, idest arcte & grauiter dormitaui: Nam cum ipse dormierit, eum fuisse excitatum asserit, quòd Dominus eum susceperit, illud innuens & indicans tempus, quo finem habuit de Christo praedictio, nimirum cum ipse apparuit, & cum à mortuis se excitasset, multa corpora surrexerunt, inter quae animam Dauid fuisse non dubitandum est; sic enim ait Christus, Dormiui, quia sponte mortis perpessioni me obtuli, & soporatus sum, quia mors secuta est; somnus enim pro morte accipitur, et propria virtute me à mortuis excitaui, quia

Dominus suscepit me, uel sustentauit, vt legit. D. Hieronymus: habuit enim diuinitatis virtutem, qua se erigeret.

Non timebo millia populi circundantis me. Exurge Domine saluũ me fac Deus meus.

Vox viro sancto digna securitatem ob fiduciam in Deo præseferente, qui alibi ait, si consistant ad uersum me castra, non timebit cor meum: præuidit millia populi contra se insidias struentis, & ad Deum solum confugit, qui innumerabilem hostium multitudinem præsentia sua dissipare potest, quod Christus dicere potuit multitudinem plebis eum in crucem tolli flagitãtem præuidens, ἀναγογικῶς de Dęmonibus exponi potest, qui à fronte spem prosperi exitus, à tergo cogitationes rerum malarum memoriam excitantes dum nobis proponunt, decipere nos tentant, à dextra per carnis affectionem, à sinistra & læua per inanem nos gloriam, ac superbiam seducunt. Exurge domine, idest ad vindicandum me expergiscere, non quo dormiat, aut iaceat ipse, sed sacræ scripturæ mos est Deo tribuere, quod ipse in nobis efficit. Pręedicit autem Christum surrecturum esse, qui dicat, manifestam fac virtutem tuam, & me à mortuis suscita: Dauid vero cum præcognouisset hoc futurum esse, & credidisset, deinceps orat, vt hoc acceleret: inquit enim saluum me fac, idest fac me tuæ salutis participem.

Quoniam

Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa.

IDest, quoniam sermones, & execrationes eorum qui mihi sine causa aduersarij sunt, præcidisti, & abscidisti; odio enim me habuerunt gratis; nam qui simultatis, & odij occasionem non afferunt, illis sine causa homines infensi sunt, cuiusmodi sunt, qui viuunt innocentia muniti, & tamen contumelijs, & afflictionibus opprimuntur; & de ijs, qui mecum graues inimicitias gerebant, supplicium sumpsisti.

Dentes peccatorum contriuisti.

VErba peccantium, vel verba eorum, qui maledictis filium discerpebant, & contumelijs lacerabant; irrita fecisti, & eorum principes confregisti, quorum auctoritate quisq; à societate recte viuentium deducitur. His dentibus contrarij sunt dentes ecclesię, quorum auctoritate qui errori gentilium, & varijs dogmatibus credunt, redarguuntur & conuincuntur, & ad eam, quæ corpus Christi est, ecclesiam transferuntur. Hieronymus legit, omnium inimicorũ maxillam, dentes impiorum confregisti, idest ita Absalonem percussisti, vt dentes contriueris, idest eorum satellites, et stipatores ad nihilum redegeris.

Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.

NOn ergo quærenda eſt aliunde, non enim ab homine, ſed à te ſolo ſalutem expecto, & populus, qui mecum oppugnatur; quin & de hoſtium ſalute ſollicitus ſum; ſit ſuper hos, & illos benedictio tua, ideſt his & illis benedic Domine. D. Auguſtinus aliter etiã exponit, vt totus Chriſtus cum corpore loquatur.

Cum igitur innumerabilibus peccatis noſtris euenisſe non ignoremus, vt ab inimicis affligamur, & præſertim Dęmonibus, conemur ſocordiam excutere, & tam vehementi, ac feruenti pœnitentia exurgere, vt cum ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum clamauerimus, exaudiat nos de ſede ſancta ſua; ſic enim nec aduerſarios homines, nec dęmones ipſos formidabimus; immo de ſalute noſtra cum totam ſpem noſtram in ipſo collocauerimus, is non ſolum præſtabit nos ſaluos, ſed hoſtes etiam noſtros profligabit.

IN PSALMVM QVARTVM: Cum inuocarem.

INſcribitur pſalmus ſic: In finẽ in hymnis pſalmus Dauid. ſecundum Græcos; aliàs: in finem pſalmus cãtici Dauid, ſecundum latinos. Origenes arbitratur in finem, quandam finis notionẽ indicare, quia ſicut in om

ni arte, ac scientia nobis proponimus finem, in quem properamus, si artem illam legitime adipisci velimus, sic cuiuslibet, qui ratione vtitur, finis est, in Christo vita frui; ac decertanti finis victoria est. Vel in finem, quia ostendit ea, quæ prænuntiantur, multis post sæculis euentura esse; nam in fine psalmi huius, futurum esse prædicit, vt surgamus. In finem igitur psalmi inscripti, finem, & victoriam Christi demõstrant, qui victor secundum Aquilam interpretẽ nuncupatur. Ideo Hieronymus hoc titulo, victori in Canticis, semper vtitur, pro quo ipsi septuaginta, in finem, inscripserunt. Canticum autem lætitiam significat, & est proparta victoria laus; vel cum Deo gratiæ aguntur; Psalmus vero dicitur, quia psalterio canebatur. Ergo Psalmus Cantici dicitur, quia instrumento illo simul cum humana voce cantabatur. Iste autem continet ipsi Deo gratiarum actionem, secundum non nullos pro liberatione Dauidis à Saule, quando eum ita cinxit, vt euadere se posse desperaret Dauid; at secundum Græcos, & Latinos plerosq; pro victoria, quam de Absalone reportauit, quæ opinio mihi magis arridet. Vnicuiq; etiam Iusto, qui misericordiam Dei in se expertus est, & à periculis liberationem obtinuit, Psalmus hic congruit.

Cum inuocarem, exaudiuit me Deus Iustitiæ meæ.

I*Nuocationis munus proprie sanctorum est, eorumq; qui seruandi sunt, quicunq; enim inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit, Deum ergo apparet eum qui seruandus non sit, non esse inuocaturum, licet hoc sæpe fe-*

cisse visus fuerit. Inuocatio autem in voce quidem, multo vero magis in mente sita est, vt Samuel inter eos numerabatur, qui nomen eius in veritate inuocabant; liquet igitur, quòd eum exaudiat, inuocantem iustitiam vere habere, siquidem per Esaiam ecce adhuc, loquente te, adsum, viris iustis hæc promissio Dei annunciatur. Quare precantem oportet fidentiã habere, & omnia, quæ petierit, impetrabit; Et propterea Dauid dixit: Deus iustitię meę, *fiduciæ suæ documẽtum præbens, idest illius dator, & à quo Iustitia mea proficiscitur, vel qui me iustum facit, & licet Deus peccatores audiat, ex misericordia, non ex Iustitia eos auscultat. Codex gręcus, & Hieronymus ex Heb. legunt, exaudisti, at quo ad sensum nihil refert.*

In tribulatione dilatasti mihi.

N*On dixit, afflictiones abegisti, non tentationes sustulisti, nec me ex malis circundantibus exemisti, at ijs manentibus dolorum relaxationem mihi indulsisti, & in latissimum me campum deduxisti, magnitudinem animi ad alacriter sustinendum mihi præbens. Hoc ços, qui in illas incidunt, sapientiæ studiosos magis facit, quando affuerit latitudo, quæ afflictam animam consoletur, & non dissoluitur afflictio, quæ ab omni negligentia liberat. Verum scriptura solet iustis viris, quæcunq; aduersa accidunt, licet ad eorum exercitationem inferantur, appellare afflictiones, quæ vero peccatoribus eueniunt, flagella vocare; alibi enim mul-*

tæ tribulationes Iustorum, idest afflictationes; & peccatoris flagella multa, inquit; animaduertere quoque oportet, affligi nos in nostra potestate situm non esse: angi vero, nobis esse integrum.

Miserere mei, & exaudi orationem meam.

CVr, cum exauditus fuerit, idem petit? an quia nõ semel, sed assidue Christum orare debemus; non.n. simul dona omnia, sed sigillatim ea accipimus. At quid opus est orare, si iustitia præditus sum? idonea.n.ea est ad omnia recte gerenda, An oratio non paruum est in Deum dilectionis indicium, quæ colloquio cum eo nos assuefacit? & quanquam ait se exauditum esse, superbiam tamen fugit, & in posterum habere Deum propitium exoptans obsecrat ex misericordia non ex debitione exaudiri. Miserere igitur, quicquid reliqui est miseriæ remouendo, & pro futuris bonis orantem exaudi.

Filij hominum vsque quo graui corde.

DAuid videtur in eos inuehi, & illos increpare, qui afflictionibus commouentur, & quiduis potius agunt, quàm vt ad implorandum auxilium diuinũ confugiant, inquiens, Filij hominum, *idest ò homines (Nos enim natura filij hominum, gratia autẽ Dei filij)* Vsque quo graui corde, *idest stupidi, & increduli, improbe viuentes, iniquitatemq; in corde retinentes;*

tales

tales enim vocauit, qui obtusiori sunt ingenio, & ad verbum Dei percipiendum segnes, malisq; cogitationibus conscientiam onustam habentes; & præsertim antequàm veniret, ac resurgeret Christus.

Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

H*Ic idola, & flagitiosam vitam exprimere videtur; cur vanitatem idest, nequitiam, & omne studium erga terrena diligitis, & mendacium, idest mundum, & diuitias, quas spinas vocat Christus, siue idola quæritis? Hieronymus licet alij aliter, legit, filij viri vsque quo inclyti mei ignominiose diligitis vanitatẽ quærentes mendacium? Videtur esse Dei vox hominibus originis suæ nobilitatem ante oculos ponentis, & de ijs expostulantis, qui cum essent inclyti, & insignes, dignitatis immemores inania, & fallacia diligunt; Vanum.n. dicitur, quod inane est, cum nomen quidem, res non fuerit, sicut apud Infideles multa Deorum nomina, res nulla exstitit.*

Et scitote, quoniam mirificauit Dominus sanctum suum.

E*T, dictio more votum superfluit; Et factum est: Ac diapsalma apud Hieronymum hic existit, qui, semper, ponit.i. cognoscite, ꝙ Dominus Deus mirificauit.i. admirabilem illũ demonstrauit spem in illo solo collocã-*

tem; non solum enim ab imminentibus malis liberauit; sed conspicuum, & illustrem reddidit sanctum, id est innocentem, vel Deo dicatum; qui ab hostibus prouocatus de vlciscenda iniuria non cogitauit; vel potius vere sanctum Iesum Christum, quem à mortuis suscitauit Dominus, & ob gentium fidem in toto terrarum orbe mirabilem effecit, atque in dextera collocauit. Vnde genus humanum increpatur, vt se tandem ab amore mundi huius ad eum venerandum, ipsiq; confidendum traducat.

Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum.

HIc videtur Dauid nos admonere, vt magna cordis intentione auxilium Dei imploremus, & proponit magnum certe felicitatis genus, videlicet semper Deum propitium, & adiutorem, ac præsentem vbique habere: Inquit enim cum clamauero, *me audiet; vt ingens quidem ille sit clamor, & magna vox quæ ad Deum ascendit; semplex vero & sincera mentis excursio.*

Irascimini & nolite peccare.

VErbum hoc irascimini *dupliciter exponitur, aut vt sit indicandi modus, sicut non nullis videtur, quasi dicat Dauid, vos indignamini, & molestè fertis eos lætari, qui in vos insultarunt: Verum de vestro nolite aliquid addere, quod à cogitationibus vestris fluat, quo sensu cum nulla ante eat cogitatio, & ex electione non fiat, nullum peccatum est; nam nobis nihil*

hilminus cogitantibus hoc accidit, quam iram nos nec opinantes offendentem primum motum vulgares appellant. Aut imperandi modus est, quemadmodum pleriq; interpretantur, vt iræ perturbationem arcendi consilium det, Irascimini; *non enim iram prohibet, quæ vtilis est, præsertim si peccato irasceris, quia minime peccas; nec excandescentiam aufert, quæ aduersus negligentes, & iniuria afficientes prodest; sed nolite peccare, idest, in ira permanere, & eam in corde retinere; nec malum sermonem de ore vestro proferre, ne præcipites ruatis; Et cauete ne Sol occidat super iracundiam vestram, vt ait D. Paullus, alia quoque ad priora adiungentes, sed studete, vt lingua vestra menti subiecta sit; ergo iram illam tollit, quæ iniuste excitatur; nam irasci ille temere dicitur, qui iniurias suas vlciscitur: Qui enim aliena corrigit, is mansuetissimus est; Deum quoque nobis irasci apparet, cum nos emendat; vel* nolite peccare, *idest si primus animi motus pungat, ratio, & mens non consentiat; sed ob peccata vestra vobis ipsis succensete, & delicta committere amplius vos pudeat.*

Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

D*Ocet euntes cubitum de sceleribus factis à se ipsis rationem reposcere; & in quibus ab officio discesserunt, semetipsos arguere.* Quæ dicitis, *inquit, ea vos compungant eo tempore, quo decumbitis, à parte autem, quæ tantum verbis constat, peccata omnia*

significat, quia de ijs, quæ in actione consistunt, sermo percipitur: nā si prauę cogitationes castigandæ sunt, & comprimendæ, ne reipsa perficiantur, multo magis facta; vel quando dormitum itis, & est multa tranquillitas animi, ac requies, atq; silentium; Dei recordamini, ac de conscientia vestra iudicium facite; & mala consilia, quæ cepistis, aut dolos struentes, aut in cupiditates pessimas incidentes, cum ea tēpore quietis in medium adduxeritis, de illis pœnam sumite. D. Hieronymus legit, loquimini in cordibus vestris super cubilia vestra, & tacete, idest secreto intra vos cogitate, & dicite, quæ in diem cōmissa sunt, & silete, atq; quiescite.

Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.

Vide optimam, ac perfectam admonitionē; Nam postquam actæ vitæ rationem repetijt, ad virtutem, & officium inflammat, atque accendit inquiens, iustitiam sequimini, & eam exercete; hoc enim sacrificium est Deo acceptum, videlicet, quæ iusta sunt efficere; vnde tanquam superuacaneum legis cultum refellit, & ecclesiæ in instituenda vita rationem multo ante describit, consulens nobis, vt iustitiam, generalem; scilicet virtutem illam exequi conemur; qui.n. recta vitæ ratione Deum sibi propitium reddit atq; clementem, is inexpugnabile auxilium habere non ambigit. Vel facite sacrificium iustitiæ, in templo mentis, & cordis cubiculo pœnitentes; aut post pœnitentiam opera bona, idest

recte

recte viuite, & spiritus sancti dono vos à veritate illustratos iri in spem venite; non.n.consentaneum est, vt quis ante speret, quàm iuste agat; sed actiones optimas sequitur spes, quæ bonorum expectatio existit, nã hic non recipietis.

Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?

Origenes ait nonnullos existere, qui cum se nõ perspicue scire arbitrentur, quid sint ea, quæ Deus electis suis se daturum esse pollicetur, veluti quæ sit illa terra, quam mites possidebunt, quid sit Deum puro corde intueri, & quomodo qui modo lugent, consolationem habituri sint, ea bona, quæ proposita sunt, percipere cupientes, inquiunt. Quis ostendit nobis bona? sed per quam rari sunt, qui ea indicare queant, vt hæc in bonã partem accipiantur. Verum secundum alios Dauid eos innuere videtur, quos graui corde supra nominauit de diuina prouidentia diffidentes, & Dei gubernationem aspernantes; & etiam vulgares, qui vera bona ignorantes, quòd ea oculis non intueantur, aiunt. Quis ostendit? vbi est prouidentia Dei, cum plures ætatem omnem in inopia, & extremis malis degant? quodnam gubernationis illius signum apparet? Quæ interrogatio est stultorum de vita futura dubitantium, ac dicentium. Quis ab infernis partibus ad nos profectus est, vt hæc nobis nunciarent?

Signatum

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.

HAec illi cogitant, & huiusmodi; in nobis vero, idest in animis nostris lumen cognitionis tuæ, ac veritatis, quæ vultus Dei est, per quem Deus cognosci tur, impressum est; hoc autem lumen est totum hominis, ac verum bonum, quod non oculis, at mente conspicitur, insculptum in nobis, tanquàm denarius Regis imagine, & est diuinitatis communicatio; ad imaginem enim Dei factus est homo; sui enim spiritus splendorem, tanquam diuinam imaginem in nobis in ipsum credentibus impressit Deus. Vel signatum est, inquit Dauid, in me lumen protectionis tuæ, quod in me insculptum, notum me omnibus fecit, & conspicuum, & ijs, qui longe absunt, Inquiunt autem quidam in his verbis de gentibus prædictionem contineri, quæ Christum secuturæ essent, quibus hoc nomine quo Christiani vulgo vocantur, signum impositum est, ipse nimirum Christus, qui patris lux est; Alij crucem in nobis impressam esse signum videlicet Regis nostri, quæ vultus lumen est, quia, vt radius, in ea fulget, & splendet Deus. Hieronymus vero legit; leua, imperatiue, super nos lumen vultus tui, & quia minus creduli dicunt, quis ostendit, leua, idest extolle & imprime in mente nostra salutaris gratiæ tuæ lumen, & lætitia cor nostrum afficietur.

Dediſti lætitiam in corde meo.

PErfectum virtutis ſignum, cordis lætitiam eſſe dicit, quæ alia eſt ab ea, quę ex voluptatibus capitur. At hoc eſt ijs affine, quæ ſupra dicta ſunt. Nam quid aliud eſt vultus Dei lumen, quàm cor lætitiæ plenũ? (cor enim pro rationali animæ facultate intelligimus) nam dum Deum contemplatur, eiusq; diuinitatem participat, lætitia afficitur. Non ergò foris, ſed intus eſt quærenda lætitia; in interiori namq; homine habitat Chriſtus. Vel dediſti, quia me docuiſti res huius vitæ fluxas aſpernari, & ea ſcire, quæ permanẽtia ſunt, & me bone ſperare feciſti; abſolute autem lætitiam non dixit, ſed in corde; in rebus externis auro, & argento, & eiuſmodi nullam eſſe lætitiam, ſed oculorum tantum voluptatem oſtendens.

A fructu frumenti vini, & olei ſui multiplicati ſunt.

QVi dicunt, Quis oſtendit; quique intra ſe cęlorũ regnum non vident, hi omni terræ fructuum genere aucti ſunt, & fruuntur, non tamen in veritate, ſed in ærumna multiplici. Hæc autem pro omnibus diuitijs, vt hominum neceſſitati magis accommodata ponit. Et illorum ingratitudinem carpit, qui Dei Dona in manibus geſtantes dicere non erubeſcunt, Quis oſtendit?

Ego

Ego vero lumine tuo, cognitioneq; percepta omnia me adeptum profiteor; vnde vates noster nos admonere videtur, ne nimia terrestrium harum rerum frumenti, & similium cura detineamur, nec in ijs felicitatem constituamus. *Notat solus D. Augustinus, q addidit* sui, *quia est frumentum Dei panis ille viuus, qui de cęlo descendit; est & vinum Dei; nã ab vbertate domus suæ ebrij sunt; Est & olei, pingue inquit caput meum fecisti; sed Hieronymus ex Hebr. non habet,* olei sui; *legit enim: in tempore eorum frumenta, & vinum multiplicata sunt: Qui eorum sententiæ fauere videtur, qui aiunt Dauidem μυστικῶς ad sacramenta nouæ legis alludere; quorum pręcipuum ex frumento, & vino cõficitur, vt præteritum pro futuro exponat.*

In Pace in idipsum dormiam & requiescam.

VNde nunc in pace, tùm à cogitationibus, tùm ab hostibus liber in idipsum, idest simul, legit Hieronymus, dormiam, & requiescam, in spe salutis naturalem somnum, & eum qui mortis est, in spe surgendi capiẽns. Hortatur igitur Dauid, ne indignentur ij, qui in calamitates incidunt, cum spes huiusmodi cum morte coniuncta sit, & post obitum remuneratio futura.

Quoniam

Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

QVoniam, inquit, ab omnibus malis ſolutum etiã ſpecialiter ſecurum habitare feciſti me, inquit Hieronymus ſeorſum à malignis, atq; improbis. Nam propter futurorum bonorum ſpem, & expectationem omnes animi mei perturbationes, & affectioner compreßi, tu vero hac me bona ſpe ſuſcipies, meq; in cęleſti manſione collocabis; vel, ſingulariter, ait, aduerſus illos multiplicatos, qui aiunt, quis oſtendit? ad eos enim multiplicia pertinent, ſingulare ad ſanctos. Vel hoc à Chriſto dicitur, in ſpe ſe conſtitutum à Deo, & ſingulariter, quo tempore omnes eius diſcipuli relicto eo fugerunt. S. Tho. notat etiam in hac pręſenti vita iuſtũ dici quatuor de cauſis in bono ſtare, primum, quia exterius is nõ impeditur, ideo ait, in pace, deinde ex rerum habitarum immutatione, quia ſemper idem eſt; vnde in idipſum, tertio quia ſine ſollicitudine, ideo, ait, dormiam; deniq; ex quiete à labore conquirendi, vnde ait, requieſcam. Quæ omnia hic ſancti aliquo modo in Deo habent, perfecte autem in patria conſequentur: Et ſic vnum in quo hæc omnia inſunt, habeo, inquit Dauid. Reliquum eſt, vt ipſi Dauidi pro viribus ſimiles nos eſſe conemur, qui cum ſe exauditum eſſe dicat, dum clamorẽ ederet, & glorietur à Deo admirabilem oſtenſum fuiſſe, à quo diuinũ lumẽ ſibi fuit adeo impreſſum, vt ipſe lætitia perfuſus fuerit;

rit; & amplius ad efficienda iusta opera nos hortetur, cur non primum & nos scelerum commissorum valde pœniteat, vt iram Dei mitigemus? Deinde illius consilijs parere non pigeat, vt cum clamauerimus, audiat nos clementissimus Deus? certe non debemus illorum vestigia persequi, qui bonis aucti terrenis Dei gubernationem negant, aut respuunt, at sanctorum, qui neglectis omnibus rebus terrestribus spe cælestium bonorum nullis animi perturbationibus succumbunt, & omnes calamitates animo tranquillo sustinent, & præcipue Regis nostri, qui cum se in pace quieturum esse speret, addit nobis animum, & spem ostendit, fore, vt nos quoque in cælesti patria summa tranquillitate fruamur. Non ergo nobis ipsis desimus; Deoq; tota mente atque animo confidamus; securos enim nos Dominus reddet, quod cupimus, & optamus, impetraturos esse, & cęlorum regno potituros.

IN PSALMVM QVINTVM Verba Mea.

INscriptio huius Psalmi talis est: In finem pro ea, quæ consequitur hæreditatem. *In finem tempus illud innuit, quo Christus factus est homo, & vmbrę legis finis constitutus; pro ea, scilicet ecclesia, quæ consequitur hæreditatem, & non consecuta est, quia semper hæres est, & illius hęreditas, quæ vita est æterna, nunquam finem habitura est, reprobata scilicet synagoga. Nam secundum litteram populus Hębreus*

hęreditatem

hæreditatẽ Abrahæ promissam adipiscebatur, cuius caput erat Dauid & Rex, sed repulsam tulit; de illo enim dicitur; Israel autem me non cognouit; & dedit vocem suam aduersum me dicens; tolle, tolle, crucifige eum; secundum mysterium populus ille infidelis, de quo Dominus Deus, populus quem non cognoui, seruiuit mihi, postea baptismate renouatus hęreditatem assecutus est. Sed notandum est à diuina lege ecclesiam cõmuniter Dei hæredem, proprie vero animam quę pie vixit, vocari; nam hęredes Dei *sunt animę sanctorũ, ipsum vt partem & sortem pro omnibus huius vitę bonis suscipientes. Secundum Hieronymus titulus est. victori pro hęreditatibus psalmus* Dauid, *idest pro populis siue ecclesiis fidelibus, quę sunt* Dei *hęreditates, vel quia fit mentio de hęreditate* Dei, *quę est populus fidelis se pręparans, & de hęreditate populi, quę è contra* Deus *est. Eum autem* Dauid *conscripsit pro victoria, qua potitus est, recuperata hęreditate ob fugam amissa.* ἀλληγορικῶς *ex persona futurę fidelium ecclesię composuit.*

Verba mea auribus ꝑcipe Domine, intellige clamorem meũ, intende voci orationis meæ.

D*Auid & suo & ecclesię nomine, vel vt aliqui volunt, loquitur ipsa primum inquiens, verba mea tanquam sermones auribus percipe, idest fac vt precibus meis aures tuę pateant; Deinde ait, intellige clamorem*

morem meum, idest, precantis propensam voluntatem, siue mentis affectum, & interiorem animi gemitum, id est exquire diligenter, quis sit clamoris mei σκοπός; clamor enim, qui ex vehementis affectus vi emittitur, intelligentiam & cognitionem magnam requirit; tertio exaudiri se petit dicens, intende, idest velis orationem meam exaudire; quod non corporea voce, maiestatis autem præsentia efficis, sicut enim cernis, audis & è contra.

Rex meus, & Deus meus.

A*Morem suum indicat inquiens, Rex meus Christe, qui tanquàm Rex mihi prospicis; tãquam Deus pater me creasti, quatenus ijs qui in terra versantur, dominor; & Dei imperio subiectus sum; nemo ergo cui peccatum dominetur, Deo dicere poterit, Rex meus es tu, & quorum Deus venter est, Deo illi non dicent, Deus meus es tu.*

Quoniam ad te orabo domine, mane exaudies orationem meam.

Q*Vis Deum non orat? at multi videntur hoc præstare, idq; faciunt, vt hominibus se ostentent; Verum non ad homines, sed ad* Deum *oratio habetur; dixit autem, non coràm te, sed ad te, vt sibi cum* Deo *vicinitatem esse demonstret; Mane exaudies, idest celeriter, ac tempestiue; nam cui pro tam ingenti benefi-*

cio

cio gratias agere debere fatear, nisi tibi domine, qui mihi lux illuxisti? cur non vesperi quoq; & meridie? alibi enim ait, vespere, mane, & meridie narrabo, quia cum pro me & socijs precor, tum omni tempore laudo dominum. Nunc pro ecclesia quæ hæreditatem consequitur efflagito, quam adibit, cum Patris hæres surrexerit, & illam cohæredem declarabit, ideo promissa repeto. cur supra, auribus percipe, dixit, nunc mane exaudies? an illa quidem audita fuit, nondum vero hoc sensit, siue considerauit, ideo mane me exauditam intelligam.

Mane astabo tibi, & videbo.

Apparet studium vehemens, & animus compunctus, statim à cubili, & simul cum oriente Sole coràm te adero, non loco sed factis, mane transacta nocte seculi huius, tentationibus etiam superatis, deuictoq; leone illo, dæmone.s. Nam in lumine, & splendore virtutum oratio ipsi iustitiæ soli Christo admodum placet; Et sic primum Dei regnum quæro. Audiant ergo qui post negotia innumerabilia tandem ad precandũ Deum, & ad sacrum audiendum accedunt; & an tanti Regis siue ecclesiæ sequantur consilium, perspiciant. Vel astabo, idest nõ iacebo: non enim ille Deum videt, qui in terrenis voluptatibus felicitatem esse putat. Et Videbo, Hieronymus legit, manè præparabor & contemplabor, idest in contemplatione, versabor Dei, scilicet pulcritudinem enim veritatis se intueri ostendit.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

HOc ego considerabo, quòd iniquitatem, id est idola, & iniustitiam non amas, licet pro vtilitate eorum, qui iniqua gesserunt, eam toleres non enim iniqui tate delectatur Deus, sed ad pœnitentiam inuitat.

Neque habitabit iuxta te malignus.

IDest, qui male proximo cupit, tibi familiaris non erit ille, & alibi, non habitabit in medio domus tuæ: nam non modo à Dei tabernaculo, in quo sancti habitant, sed ab omni proximo illis consortio tales eijcientur, ita vt nec bonorum contemplatione procul delectẽtur; neque in conspectu Dei erunt, quemadmodum fuissent, dum spes salutis eos sustentabat; Innuit etiam Dæmones, qui iniquitate gaudent.

Neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

PEccatores scilicet, quòd eos non approbes; nam mẽs eorum cum à luce veritatis obtunditur propter peccatorum tenebras, fulgorem rectæ intelligentiæ sustinere nequeunt, & aliquando si verum intelligunt, iniusti tamen adhuc sunt, quia non permanent ibi, quòd ea

ament,

ament, quæ à vero auocant, & peccare pergant. Quæ nox si transierit, vt à peccando desistant, mane fit, vt non solum intelligant, sed inhæreant veritati. Vel de Iudæis hæc prædictio est, qui donec mandata seruauerunt, protectione Dei digni visi sunt, verum vbi ea prę terire cœperunt, iuste & merito ab eis oculos deiecit Deus.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.

CVIusmodi sunt, qui à vero Dei cultu, & pietate recedunt, & inique se gerunt in nequitia perseuerantes; eos enim, qui in instituto vitæ aberrant, nominauit iniquitatem exercentes; tales enim odit Deus.

Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

QVi vero à veritate desciscunt, & à fide aliena sentiunt, eos dicentes mendacium appellauit, idest veritati contrarium, quos Deus perdet. Mendaciũ autem ad id, quod non est pertinet, verũ.n.dicitur, si quod est, referatur; perdes ergo eos, & profligabis, qui ab eo, quod est, idest à veritate recedunt, & ad id, quod non est declinant: nec in perfectis viris mendacia ab obstetricibus dicta inueniuntur. Nam verum occultare licet, mentiri fas non est, ne pro corpore alterius animam suam quis perdat. Vnde triplex est mendacium, perniciosum, quod alicui valde obest;

officiosum; quod quis loquitur, vt alicui prosit, & sine peccato non est, quia malum committendum non est, vt bona succedant: Iocosum, quod delectationis gratia narratur; hoc semper venia dignum est, de quibus D. Augustinus longũ sermonem habet; si ergo tales perdet Deus, & omnis homo mendax, igitur cunctos planè profligabit, vt renuentes homines esse, & in sordibus terrenis versari Dÿ fiant, & altissimi filÿ, quã doquidem qui facti sunt, homines existant. In futuro autem sæculo, omnes qui à fide aliena sentiunt, Hereticos videlicet, & impios vehementer affliget.

Virum sanguinum, & dolosum abhominabitur Dominus.

VIdetur repetitum esse, quod supra dictum est, vt virum sanguinum ad exercentem iniquitatem referas, dolosum ad mendacem; Dolus enim est cum aliud agitur, & aliud simulatur: Virum sanguinum, aut ex sanguinibus intelligit virum sanguinarium, crudelem qui sanguinem sitiat, & cædibus delectetur, vel sanguinem innoxium effundentem, abhominabitur, inquit, idest aspernabitur, ac fugiet; hoc enim euenire solet illis quì bonorum paternorum exhæredes scribuntur; huiusmodi autem recenset homines, qui singulis tẽ poribus ecclesiam oppugnarunt; licet eam Deo nimirũ, & Seruatore nostro resistente expugnare non potuerint.

Ego

Ego aũt in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam.

CVm iniqui, & maligni apud te non habitent, nec tutelæ tuæ subijciantur, ego, inquit, in multitudine misericordiæ tanquàm maximam misericordiam cõsecutus in domum tuam, idest in templum tuum ingrediar, & merito dicam, mane astabo. Cęterum secundũ aliquos præclara virtutis conditio, & vita sancta domus & templum Dei est, quam virtutem qui habent, cum fiducia & libertate magna loquuntur, Christus vero in templum suum in nos, scilicet venit dicens: Tẽplum sanctum estis; & quomodo ille templum, & domus Dei non sit, qui Iesu Christi mandata seruat? apud quem pater, & filius manent? Alij ἀναγογικῶς *exponunt, in multitudine misericordiæ tuæ, idest perfectorũ ac beatorum intrabo domum tuam cęlestem, sed hac ratione introibo, quia adorabo, vt de progressu ad perfectionem intelligatur, adorabo, perfectionem autem significet, introibo. Quis autem homines multos rursus generatos, & perfectos multitudinem miserationis Dei recte dici negat?*

Adorabo ad templum Sanctum tuum in timore tuo.

VBi enim gratiæ factus ero particeps, tunc offerã quæ in me sunt, tibi sacrificium videlicet, Ad

templum, *tam terrenum, quàm cæleste intelligere possumus, ad, idest prope, non enim in templo dixit, in timore tuo, non sicut multibiantes orant, sed cum tremore; qui enim sic precatur, Dei amator est, & omne vitium aufert, ad omnem virtutem aditum sibi aperit; Deumq; propitium sibi reddit. Timor enim magnum est proficientibus præsidium, sed peruenientes, quò aspirant foras eum mittunt.*

Domine deduc me In iustitia tua propter inimicos meos.

S*Atis declarat se in progressu ad perfectionem existere, postquam vt deducatur, exoptat; proficiens enim inter impedimenta precatur, sibi opem ferri, ne à dolosis linguis auertatur. Deduc me in tua Iustitia, qua pœnitentes, & supplices recipis, non in ea, quæ hominibus videtur, at in illa, quæ ad cælum ducit; nam ego ad hanc iustitiam tuam mihi conciliandum auxilium quæro; Et recte dixit, deduc, si quidem vita præsens via est, quæ diuina ope indiget, sicut enim ciuitatem aliquã intraturi aliquo egent, qui viam sibi monstrent, sic multo magis in cælum migraturis indice, & duce opus est, qui nos ad te iter habere doceat. propter inimicos meos: qui contra me coniurauerunt, incessum meum à semita recta auertere, & in errorem inducere quærentes.*

Dirigo

Dirige in conſpectu tuo viam meam.

IDeſt fac, vt alibi, notam mihi viam tuam, atque illam claram, & planam, quæ ad te ducit, vel dirige ne de via propter hoſtium inſidias ad dexteram, aut ad ſiniſtram declinem, in conſpectu tuo, vbi nullus hominũ videt, ideſt vt tibi ſemper placeam. Hieronymus legit dirige ante faciem meam viam tuam; ideſt vt ea ſemper in corde exiſtat; ac te ſemper ſequi poſſim; vel in conſpectu meo, ideſt ante oculos meos præcepta tua habeam, & quod rectum tibi eſt, mihi rectum videatur.

Quoniam non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt.

QVoniam aliud in ore, aliud in corde habent, quorum iudicio credendum non eſt, ideo ad conſcientiam, vbi Deus videt, confugiendum eſt, Cor eorum vanum, *de ſapientibus iſtius ſæculi exponi poteſt, quorum cogitationes nouit Dominus, quòd vanæ ſunt, quia ſemper inutilia meditantur.*

Sepulcrum patens eſt guttur eorum.

COmparauit ſepulcro guttur, quia ſicut ſepulcrum ad ſuſcipiendos mortuos paratum eſt, ſic iſti

ad decipiendum semper prompti sunt; Guttur autem locutioni, & gulæ seruit, primo modo Guttur eorum semper dogmata mortua, & fœtida profert, qui doctri nam falsam ac mortiferam docent, et execrationes atq; inhonesta, & turpia verba euomunt, quiq; mendacio, quos ad peccata alliciunt, eos quodam modo deuorant. Vel ad voracitatem referri potest, ob quam pleriq; adu latione mentiuntur, & patens dixit, quia semper inhiat voracitas.

Linguis suis dolosè agebant.

ALiud improbitatis genus, linguis suis, scilicet ma lis. hi quidem in mente sua dolum cęlant, blandis verbis vtentes: illi vero ita astuti sunt, vt in ipsis verbis improbitatem occultēt & obtegant; fraudesq; & insidias parent. Ac certe molestiora, & grauiora sunt, quæ reticentur verba, quàm quæ proferuntur.

Iudica illos Deus.

COndemna, vt legit Hieronymus, arguens eos, et conuincens, qui mihi spem de hæreditate conceptam eripere conantur; Iudica inquam, vt non solum ab insidijs mihi struendis cessent, sed à prauis consilijs desciscant; nam te dolosus nemo latere potest; siue iudicio tuo illos discute; peccanti enim magis expedit, à Deo se iudicari, quàm extra iudicium diuinum manere;

re; non dixit autem puni, sed iudica, quod est precantis pro illis, ne deteriores euadant.

Decidant à cogitationibus suis.

CONscientia scilicet teste, et accusante, et frustrentur proprijs consilijs, et in ijs, quæ in nos parant, quotidie enim hæretici dogmata mutant. Videtur secũdum aliquos esse prædictio, non execratio; non enim is optat, sed præuidet, quæ pœna malis, quod præmium bonis euenturum sit, sic infra lætentur; contingit autem illis, non quòd ipse optarit, sed quia isti tales sunt, vt merito eueniat.

Secundum multitudinem impietatum earum expelle eos.

SIcut innumerabilia eorum scelera postulant, longe vt merentur, ab hæreditate eos pelle, quæ Deum videndo possidetur, et deijce, quia te non venerantur: nam huiusmodi dispersio timorem quoq; alijs inijtiet.

Quoniam irritauerunt te Domine.

VIde quam mitis sit oratio; non curo, inquit, quę in me moliti sunt, sed ob ea doleo, quæ in te patrarunt. Hoc est enim imprimis viri sapientis ac pij, nolle suas vlcisci, Dei autem iniurias persequi; Legit Hierony-

Hieronymus prouocauerunt, qui peccando in eam ægritudinem inciderunt, vt cibum veritatis, quo animæ iustæ gaudent, tanquàm fel gustare nequeant.

Et lætentur omnes, qui ſperant in te.

SVblatis inſidiatoribus; quę enim lætitia à Deo oritur, permanet, & firmis hæret radicibus, & per ſe ſatis eſt perpetua ac ſtabilis; & hic eſt finis bonorum hæreditate à ſe diu expectata perfrui.

In æternum exultabunt, & habitabis in eis.

HAec eſt eorum æterna exultatio, habitantem ſecum tanquàm in proprio templo Deum habere. Habitabis in eis, ideſt proteges eos, vt legit D. Hieronymus, vel exultabunt, quia in eis habitabis.

Et gloriabuntur in te, qui diligunt nomen tuum.

HIs enim ſolis gloriari licet. Nam qui de ijs quæ ad vitam, & corpus attinent, gloriantur, hi nihil ab illis differunt, qui in ſomnis voluptate fruuntur. Cauſa autem gloriandi ea eſt, quòd benedictionum compotes facti ſunt, & in te hæreditatem poſſident, qui

amant

amant nomen tuum, ideſt vſque adeo Chriſti nomen colunt, & obſeruant, vt ex illo cognomen ſumere velint.

Quoniam tu benedices Iuſto.

QVid enim damni accipit ille, ſi eum homines contemnant, & vniuerſus orbis deſpiciat, ſi Deus eũ laudat, & commendat? ſicut ſi omnes homines eum laudent, & ipſe Dominus non benedicat, quid ei prodeſt? Hæc eſt benedictio in eo gloriari, & illius habitationem exiſtere, quæ ſanctimonia iuſtis conceditur, ergo non tantum in præſenti ſæculo eis benedices eorum laudes omnibus notas faciens, ſed et in futuro, cum vocabis eos inquiens, venite benedicti.

Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.

IDeſt muniſti nos ſcuto probato, ac forti tuæ bonæ voluntatis, ac beneficentiæ, & protexiſti; Vel bona tua voluntas, quæ noſtram præcedit, vt peccatores ad pœnitentiam vocet, & tuus in nos maximus amor ſcutũ nobis victoriã parans, & corona in triũpho extitit. Vel domine nos tua bona volũtate, vt ſcuto coronaſti, & circundediſti. i. placito, & valde grato. Idem eſt

autem

autem apud Deum scutum, & corona iustorum, licet apud belli duces hæc sint diuersa. Cum igitur ad ecclesiam, & ad animas iustas, ac pias hæreditatem adire spectet, in quarum numero habendas etiam eas esse censeo, quæ licet inferis illis in partibus detineãtur, in quibus peccatorum sit expiatio, spe tamen cito euadendi atque ad cælorum regnum volandi non modica sustentatę sunt, quibus liberandis ecclesia precibus, & his psalmis præcipue suffragatur; nos ne tam ignaui, ac socordes erimus, vt rationem, ac viam reperire nequeamus, quo in eorum numerum ascribamur, qui eam asse qui possint? eam autem clementissimus Deus conditione nobis reliquit; Quæ nam ea est? vt si Christum diligimus, eius præcepta seruemus, & crucem nostram feramus, eumq; sequamur. Ac primùm Dei regnum quęramus; sic enim in præsenti, & in futuro, magis autem in cęlesti patria perfecta, & integra nobis tradetur hæreditas. Quid ergo nobis faciendum est, ne illam nos conditionem respuere videamur; Nos admodum, & valde delictorum à nobis admissorum pœniteat; precari Deum assidue non pigeat, summo mane è lectulo surgentes, vt clamorem nostrum is exaudiat, ac prorsus nobis ignoscat, quo in eius conspectu esse possimus, ne nos ipse tanquàm iniquos, & impios fugiat; nam Dominus tales odit, sed optimam voluntatem habentes etiam bona præstare studentes Deum exorare conemur, vt in domum suam nos introire sinat, in quam, quando tempus feret, cum ingressi fuerimus, tunc in eo gloriabimur, & hæreditatem optatam nos adeptos esse lætabimur. Interea animos nostros ab istis caducis, &

fluxis

fluxis huius mundi rebus ad te Dominum nostrum contemplandum, ac venerandum traducemus. Tu vero pro tua diuina bonitate, ac benignitate cursum nostrũ ad te diriges, ac tua nos protectione dignos reddes Domine Deus. Qui viuis, & regnas sempiternis sæculis Amen.

IN PSALMVM VI.

Domine ne in furore.

INscribitur Psalmus hic: *In finem in hymnis pro octaua, vel secundum D. Hier. ex Hebr. victori in canticis super octaua. In finem quidem, quia ad Christnm iam legis spectat, qui finis perfectionem significat: vel quia Dauidi constabat, ijs, quæ in hoc Psalmo prædicuntur, finem fore. In hymnis verò, ob mirabilia Dei opera, quæ ille continet. Ac pro octaua, vel pro die illo, quo Christus surrexit, vt nõnulli aiunt; vel potius pro futuro sæculo exponitur; præsens enim septenario significatur numero; futurum autem octauum appellatur: vnde inquiunt aliqui vitam considerari dupliciter, et quatenus illa ad corpus, et quatenus ad animam attinet: quaternarius enim numerus ad corpus propter elementa quattuor; ternarius ad animam propter tres potentias illas spectat, quæ rationem, irã, et appetitum participant; vel quòd tripliciter, ex toto corde videlicet, ex tota anima, totaq; ex mente Deum*

diligere

diligere debeamus. Peracta itaque vtraque vita, quasi septenario completo, octauus iudicij dies, vbi cuique pro meritis suis reddetur siue præmium, siue supplicium adueniet, ac surgemus omnes. Nonnulli tamen octauam, post septem annorum millia Domini aduentum interpretantur. Sed cui cognitum hoc est, cùm ipse Iesus Christus dicat non esse vestrum nosse tempora, & momenta, quæ pater sibi prorsus reseruauit? Composuit autem Psalmum hunc Dauid, postquàm ob magna ipsiūs peccata, & propter numeratum secūdum aliquos populum in magnas angustias, & afflictationes incidit: Qui ex illis septem primus existit, qui præcipuè in eorum ore versari debent, quos scelerum suorum vehementer pœnitet, quod afflati tādem illi spiritu sancto maximum animo ex delictis suis dolorem capiant. Atque ij omnes initium à luctu ducunt, & ad exitum felicem, lætumq; perueniunt; quòd eis, qui ob admissa flagitia multa lacrymas plurimas profundunt, benignissimo Deo placato, ad regnum cęlorum accedendi non modica spes proposita sit. Quare illorum affectum exprimere nititur hic Psalmus, qui valdè castigati non solùm culpæ liberationem, sed erratorum etiam omnium veniam impetrant, & partes suis locis explicandas tres habet, sicut peccator tribus incommodis, actorum videlicet peruersitate, salutis suæ vulneratione, pœnæquè obligatione afficitur. Dicit igitur Dauid à primo liberari petens, & cum eo quilibet peccator.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

HIc me argue, dum misericordiæ tempus existit, & me corripe: non enim Dauid à Deo repreheñdi, aut castigari recusat: dicit enim alibi, Beatus quem tu erudieris Domine. *Nam cùm iram Dei toleratu admodum difficilem esse cognouerit, ne ea sibi penitus exitio sit, valdè formidat, moderatè tamen se argui, atque emendari cupit, vt probatus magis ipse effectus iudicij pœnas vitet. Et quamuis aliqui opinentur maiorem esse furoris vim, quàm iræ: Et arguere maius quiddã esse, quam corripere, ꝙ qui arguitur, idest, accusatur, metuere debeat, ne demum damnetur, sicut arguetur in die Iudicij, quicunque fundamento ipso Christo nixus non fuerit: Qui autem corripitur, de illo sperari queat, vt emendetur, videlicet quisquis lignum, fenumq; super illud fundamentum ædificauerit, vt sic per ignem saluus fiat; Et nonnulli alij maximè vnum esse furorem, & iram grçco idiomate moti putent: Ego tamen alterũ in præsenti potius, alterã in futuro intelligi debere arbitror, ꝙ ira furore diuturnior sit. Sed certè vtrunq; motus est animi ad pœnam inferendam prouocans. Hos autem affectus, quibus caret diuinitas ipsa: nulla enim non perturbatione omnino vacua est; Prophetæ tamen Deo adscribunt, re ipsa populis persuadere conantes, quòd Deus mundum sua prouidentia*

prouidentia regit,rebusq; humanis,nec solùm vniuersis,sed singulis etiam consulit, et quòd furit, et irascitur, dum in malos animaduertit, et huiusmodi; vt hoc metu homines perterriti vitia odio habeant; vel aliter, ijdem ex humanis operibus diuina explicantes, quia et loquentes,et audientes sunt homines, secus ac humana lingua exprimere sensa sua non poßunt, et ad captum eorum, quibus cum sermo eſt,se accommodare ſtudent. Ne igitur,inquit, debitum, ac meritis meis congruens de me supplicium sumas; at sermonibus me salutaribus emendes, quæso.

Miserere mei, quoniam infirmus sum.

CVncti certè hac indigemus voce,quamuis innumerabilia fortiter,et rectè geßerimus, vel ad iustitiā etiam summam appulerimus; non enim viuens in hoc mundo vllus in conspectu Dei efficietur iustus: Nam quis se purum cor habere, et à sorde mundum eße gloriabitur, cùm omnes peccaße testetur Paullus? omnes ergò egemus, misericordiam autem aßequi digni non sumus vniuersi. Verum qui ſtrenuum aliquid nauauit, propter quod miserationem impetrare mereretur, sicut Dauid noster, cuius nobis exemplum semper propositū sit, is, miserere mei,*liberè proferre poteſt: Et quoniā peccatum est mentis ægritudo, ab ea petit liberari inquiens, si mens mea debilitata non fuißet, affectiones illam non vicißent: ideo miserere mei, quia iustitiam*

tuam sustinere nequeo, & aduersus hostem, qui non videtur, animi infirmitate laboro, assiduisq; afflictationibus debilitor, quam debilitatem meam considera domine, & ne me damnationi addicas, obsecro.

Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

S*Ana, non dixit, remitte, neque mihi condona; sed fac, vt priora vulnera sanentur, quoniam conturbata sunt ossa, firmamentum scilicet meum, ac robur animæ meæ; vel cogitationes, vel animi virtutes rationis compotes; siue vires, & potentiæ, quibus mens sustinetur; sicut enim in ossibus est corporis fortitudo, ita in virtutibus animi robur inuenitur: Quemadmodum autem perturbato auriga, equi insolenter feruntur; sic turbata ratione omnia confunduntur. Dolor igitur, quem ex continuis angustijs capio, vsque ad ossa sensu carentia peruenit: Idcircò cum peccatorum conscientia quotidiè nos rodat, diuinæ miserationis à nobis intermittenda non est imploratio.*

Et anima mea turbata est valdè.

N*E, quod ossa appellauit, corporis intelligerentur, addidit, & anima mea ægra, ac debilis mea causa facta est dolorum vim non ferens: Et quis non intelligat animam significari cum moribus suis luctantem,*

diù autem à medico dilatam, vt ipsa tandem perspiceret, quemadmodum peccata se præcipitem egerint; difficultas enim recipiendæ sanitatis eiusdem recuperatæ maiorem custodiam inducit, quia quòd facilè sanatur, non multum cauetur: ex quo cognosci potest, quanta impijs pœna præparetur apud inferos, qui se ad Deum conuertere nolunt, si ad eum confugientes magnas difficultates exorbent. turbata est: *de illo etiam dicitur, qui acerbiori aliqua iracundia, aut prauo appetitu incitatus fuerit. Tunc enim Dæmon immoderate nos tentans, non secus ac vẽtus validus mare turbat id illud irruens, animam, & corpus agitare solet.*

Sed tu Domine vsque quo?

DIffers, & animam meam non liberas? & non sanas me secundum misericordiam tuam? vel vsq; quo te auertis, & nõ exaudies? verba nempè hęc sunt non accusantis, sed hominis dolorem non mediocrem perpetientis, metuentisq; damnationem, & vix facinorum suorum molem sustinentis; Talibus enim opem ferre statim non solet Deus, qui ob scelera sua in mœrore magno versantur; tempore enim accepto, exaudiui te, inquit, & eo consilio, quòd nos inuestigare, & scrutari nequimus; ijs verò, quibus à Dæmone insidiæ fiunt, ferè statim adest, adhuc enim loquente te dicam, ecce præsto sum.

Conuertere

Conuertere Domine, & eripe animam meam.

ATtende mihi, & adiuua me, vt sicut anima per pœnitentiam ad te cõuersa est, sic tu ad eam per multam miserationem te conuertas, & eandem à voluptatum illecebris igneo tuo amore auoces; Duo quidem ponit, & conuertere, & eripe, *quæ à iustis ingẽti studio contenduntur, vt & ipse benignus sit, propitiusq́; , ac non auersetur; sequetur enim hoc, vt anima seruetur: non sicut multi homines planè rudes duntaxat quærunt, vt præsenti prosperitate fruantur, sic iusti; at vt animæ salutem consequantur, qua nihil illis est antiquius.*

Saluum me fac propter misericordiam tuam.

ET protege me ab hostium tentationibus diuina, atque incredibili tua virtute, ac misericordia, non meis virtutibus; nullæ enim mihi sunt, quibus meream.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in Inferno autem quis confitebitur tibi.

MOrte memoriam probibente, vt imminens periculum ostendat; mortem namq; mortis tempus appellat, quia vbi quis ex hac vita decesserit, reminiscendi

ſcendi Dei, eumq́; orandi facultas ablata eſt; Et quis in morte præcepta tua ſeruare queat, ac Dei viuentis, dicentisq́; „ Ego ſum vita, *memoriam tenere? Poſtquàm enim diem obierimus, in Inferno loco, quo impij ad pœnam præcipites feruntur, quis confitebitur tibi? quaſi dicat, nullus, cùm pœnitentiæ locus non detur. Nam etſi confeſſus ita eſt diues, qui Lazarum vidit, vt & fratres ſuos moneri vellet (ſicut in Euangelio habetur) quo illi propter acerbiſſimas pœnas, quæ apud inferos exiſtere à plerisque non creduntur, ſe à peccatis abſtinerent; nihil tamen ei profuit: quoniã tempus præterierat. Ante mortem igitur quemlibet pœnitere licet; poſt obitum rectè factis præmia, peccatis ſupplicia debentur, & à Deo dantur. vel potius de illa morte intelligendum eſt, quam gignit peccatum, quod qui committit, tunc Dei memor non ſit; talis.n. ebrius eſt; & ab ea vita recedit anima, quæ cum virtutibus coniuncta eſt, vt aculeum mortis peccatum.ſ. mortem vocet, non de communi morte; Nam viri ſancti multo magis cum ab hoc caduco fragiliq́; corpore ſoluti fuerint, Dei memoriam retinent. In illa ergo mentis cæcitate, quam infernum vocauit Dauid, quod ea peccantem maxime inuoluat atq; obruat, quis confitebitur tibi? ab iſta morte vt tuta ſit, precatur anima, dum ad Deum conuerſionem molitur. Ex quo patet, nunc eſſe tempus ad Deum animum traducendi, quia in præſentia niſi peccata diluamus, in illo terribili, ac formidoloſo iudicio ante Tribunal Dei ſiſtere nos valdè timebimus.*

Laboraui

Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

POenitentis gemitum ponit, quo laboraui, inquit, quæ res laboris intentionem, ac magnitudinem ſignificat; ſicut enim ſummus, & incredibilis labor eſt, neſcio an ullus maior, quàm attente ſemper orare, & propter inconſtantiam, humanæq; mentis mutabilitatem intentum aſſiduè in eundem animum, ſicut arcum difficillimum ſit, ſic flere continenter, & gemere laborioſiſſimum eſſe cui dubium eſt? Et cum dicit laboraui, & poſtea lauabo, illud innuere, atque indicare videtur, quod quiſq; in mæſtitia verſans dicere ſolet, cum hoc mihi ex ſententia non ſucceſſerit, quod feci, ergo illud efficiam, & lauabo. Alij vero aiunt, laboraui, pro laborabo, & lauabo ſuſpirando lectum meum, (non.n. ſatis ipſi fuit dicere, lacrymas profundam) in quo animus æger, & infirmus tãquàm in uoluptate corporis, & ſæculi delectatione quieſcit, quem lacrymis ille lauat, qui ab hoc oblectamento atque ſolatio ſeſe abducere conatur non ſemel, bis, teruè, ſed per ſingulas noctes, vnde pollicetur ſe voluptariam vitam non amplius ſectaturum. ſicut etiam de D. Petro legitur, qui ſingulis noctibus eadem hora, qua negauit Chriſtum, ad plorandum ſurgebat. Et quoniam variæ cogitatio-

nes me die distrahunt, noctem, confessionis tempus esse statuam, et perpetuò dum viuam, Lacrymis stratum rigabo: *vt sit repetitio; quamuis secundùm aliquos lauatio superficiem attingat, ad interiora rigatio perueniat. Iuxta moralem sensum, lectus conscientia est, quam lauare debet is per singulas noctes, quem maximè delictorum suorum piget, quòd pro singulis peccatis, plorare quilibet homo obligatus sit, & profectò eã lauat, qui à cogitationibus malis, atque acerbis fletu illam abstergit; stratum rigat, qui continuò luctu, ac dolore scelerum maculas diluit, & se compungens animi duritiem mollit. Sed tanti regis pœnitentiam cùm audiamus, eam non admiremur admodum, atque imitari conemur? Qui verbis his cùm miserationem Dei commouere, atque illam captare niteretur, ne quando tot difficultatibus affectus atque afflictus inutilis esset, quid nos homunciones facere debemus, qui quotidie delinquimus grauiter, quiquè in luxu, & cœno assiduè versamur.*

Turbatus est à furore oculus meus.

IDeò turbatus est animæ oculus, idest intellectus meus, ratio, mea, siue perspicacitas, & ratiocinandi facultas, quam propriorum scelerum cogitatio perturbare solet; & intellectum aptè profectò oculum appellauit, veluti qui ductor noster existat; de vno enim tantùm oculo mentionem fecit. Considerans igitur ego furorem tuum aduersum peccatores in die iudicij, vehementer

menter concitatus sum. Hic autem furor, & hæc ira inchoatur, cùm in hac vita quisque peccator iudicij timorem patitur, et plorat, ne ad illud perducatur, cuius initium perniciosum experitur; perficitur autem, cùm quis in tanta est cęcitate, vt dum tempus adest, nolit se corrigere, & penitus à Deo abesse velit; & ideo turbatum, non extinctum oculum dixit, vel furore contra flagitia à me admissa turbata est ratio mea. Aliqui dicunt oculum Dauid perturbatum fuisse, cùm inimicis Absalonis maximè consiliarijs iratus esset; proprium est enim ijs, qui succensent, vt oculi sui caligine tegantur; At non oculum, sed oculos dicturum fuisse illum opinor, vt superiorem interpretationem magis probē.

Inueterauì inter oēs inimicos meos.

Q*Voniam à me auersus es, vestimentorum vetustate consenescentium instar, ab inimicis meis cōtemptus sum, qui tamen antequam in peccata incidissem, me formidabant; vel inueteraui, idest inter vitia ipsa, aut inter homines, qui ad Deum se conuertere volunt, nimis me demoratus sum, ac detinui, à quibus bonus omnis non loco, sed animo separatur; siue inter inimicos manifestos & occultos, seu Dæmones iuxta existimationem aliquorum inueteraui, idest consenui, ac debilitatus sum, quia qui viceram, atque victoriæ insignia multa eram adeptus, modo filium fugiam. Hieronymus legit, ab omnibus hostibus meis consumptus sum, idest ad nihilum redactus, ac defeci.*

Diſcedite à me omnes,qui operamini iniquitatem.

Hic fructus pœnitentiæ apparet, cuius tantus labor non eſt inanis: Nam exauditum ſe Dauid eſſe ſignificans, & auxilium ſibi diuinum præſto eſſe ſentiens, fidentiam oſtendit, & inimicos ſuos, ſiue qui videantur, ſiue qui non, perterrens aufugere iubet, dicens, diſcedite, *& non amplius me irridete, qui priora facinora veſtra non agnoſcentes, mea dente maledico carpitis; Vel,* diſcedite, *inquam à me, qui ad peccatum me inducitis; non enim ſocietatem vobiſcum coire volo, nec prauarum actionum veſtrarum eſſe particeps, in quibus perſeueratis, quia Dominus bellator fortis mecum eſt. Ac nimirum malos fugere, & ab eis declinare, ad virtutem aſſequendam optima eſt via. Vel,* diſcedite, *quia, etſi pariter & eiſdem conuenticulis continentur boni, & mali, in area tamen à paleis nuda iam grana ſegregata ſunt, licèt adhuc inter eas lateant; Itaque ſimul eſſe poſſunt, ſimul autem vento auferri nequeunt, vaticinans enim, ac prædicẽs declarat, illos diſceſſuros eſſe, & cùm iudicij dies aduenerit, impios à iuſtis ſeparatos fore.*

Quoniam

Quoniam exaudiuit Dominus vocē fletus mei, Exaudiuit Dominus deprecationem meam, dominus orationem meam suscepit.

EVndem sensum habent, vocem fletus, idest, compunctum animum meum, deprecationem, peccata mihi condonando, orationem, perseuerantiam dando exaudiuit: sed perpendere debemus, quòd ter dominus ab eo exprimitur, vt se à tota Trinitate exauditum esse declaret, sicut alibi etiā dicitur, benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus; Et crebra hęc repetitio nos non moueat, non enim narrantis quasi necessitatem, sed affectum exultantis indicat, sic enim lætantes loqui solent, vt satis eis non sit semel nunciare, ꝙ gaudeant. Hic ergò gemitus, ac lacrymarum fructus est, vt qui exauditus est, gaudio exiliat; sic alibi qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei.

OPto finem hunc, vt erubescant inimici mei, quos vana, & inanis spes tenuerat, fore; vt in manibus ipsi, & in potestate me velut diuino auxilio carentem haberent; & pudore à peccatis suis refugiant, quod

quod sine confusione, & conturbatione fieri nequit. Sed non video quomodo in mundo contingat hoc, quod ait: Nisi illa die, cùm opera iustorum, & peccatorum supplicia manifesta erunt. Nunc enim non adeò erubescunt impij, vt in nos insultare non cessent; Et plerunq; irrisionibus suis tantum valent, vt infirmos, & imbecillos homines ita pudeat nominis Christi, vti rubor consequatur. Nam qui pauperibus largiebatur, & Christum sequi volebat, insanus ab ijs appellabatur, qui sanari nolebant; sed tandem erubescent dicentes: hi sunt, quos aliquando derisimus.

Conuertantur, & erubescant valdè velociter.

I*Dest retrò commeent*, erubescant *autem pudoris augumentum significat: Quis enim non iudicet iustissimam esse pœnam, vt ad confusionem fiat illis conuersio, qui ad salutem se conuertere noluerunt? Quidā hæc non maledicentis verba esse arbitrantur, sed precantis, vt eos prauorum consiliorum pigeat, vt timor Dei bonos faciat, illosq; in tenebris iandiu iacuisse pœniteat; & ad Deum conuersionem distulisse; Et hoc faciant ipsi valdè velociter, quia dies domini, sicut in nocte fur, adueniet, atque credant ei, qui ait, ne ad Dominum conuerti tardes. Dictio namque*, valdè velociter, *quæ singulis verbis addi debet, aut ad optantis affectū, aut ad Christi potentiam referenda est, qui gentes, quæ pro idolis suis persequebantur ecclesiam, tan-*

ta

ta celeritate ad euangelij fidem attraxit, vt dictu admirabile esse omnibus pateat. Quicunq; igitur Danidem fuerit imitatus maximum Regem, & sicut ille, animum suum verè compungat, & non fictè; puritas.n. & veritas Deo placent; odiosum autem est omne id, quod simulatur, & fingitur; & lacrymis lectum lauet, & riget assiduè stratum: & qui inueterauit in peccato, se pœnitentem renouet, & nouitate tandem delectetur: Nam hęc magna humilis animi, & Deo prorsus placendi desiderio ardentis sunt argumenta, dubitare profectò ille non debet quin à Deo audiatur, & misericordiam consequatur.

IN PSALMVM VII. Domine Deus.

INscriptio huius duplex est, altera quidem, quam græci, ac pleriq; latinorum sequuntur, hæc autem huiusmodi est. Psalmus Dauid, quem cecinit Domino pro verbis Chusi filij Iemini.

Achitophel Absaloni consilium dederat, vt imparatum is patrem adoriretur, nec illi tempus tribueret vires colligendi, & milites faciendi. Chusi autem, cum se à Dauide amico veteri desciuisse simularet, ad Absalonem transfugit, à quo interrogatus, quid agendum esse sibi videretur, causas faciendæ moræ probabiliores attulit; hoc enim vnum spectabat Chusi, vt ipsi Dauidi comparandarum copiarum suppeteret otium, & in loca tutissima se recipiendi: Quo consilio ab Absalonè

magis

magis probato Achitophel per iram se suspendens vitam amisit. Ex hoc præclaro consilio factiq; præstantia Chusi Arachi filius, Iemini, idest dextræ cognomen inuenit, quòd fautor ipsi Dauidi fuerit. Quem postea spei in consilio, & verbis Chusi, non in Deo prorsus collocatā admodum pęnituit; ideo ipse mentionem illius in psalmo non facit, sed gratias agens Deo totum stratagema tribuit, & sibi erratum hoc ignosci petit. Altera vero talis est. Pro ignoratione Dauid, qui cecinit Domino pro verbis Ethiopis; vel pro ignoratione Dauid, quod cecinit Domino pro verbis Chusi filij Iemini, quarum primam Aquilæ, Symmachi secundam fuisse inquit Hieronymus, si ipse est, & non potius Beda, aut alius quis, qui in commentarijs clare ait eos, vt hæbrei sermonis ignaros magno in errore versari, qui Psalmum hunc eo tempore compositum esse arbitrantur, quo Chusi Achitophelis consilium irritum fecit, sed totum contra Saulem conscriptum fuisse, Chusi vocatum, idest propter mores crudeles Ethiopem, à quo Dauid cur tantopere cruciaretur, se ignorare vt potè innocens testabatur; Iemini vero familiam de tribu Beniamin extitisse, de qua & Saul. Hanc autem tituli huius ratione quidam recentes scriptores expositionem magis probant, & multis opinionibus recitatis veriorem iudicant, legendumq; Chus esse censent. D. Augustinus ex mente quorundam, vt ait, suo tempore interpretum Chusi silentium interpretatur, cum in nominibus Hebraicis à D. Hieronymo Chusi, idest Ethiopia exponatur, Et ἀλληγορικῶς Christum inquit Iudæis mysterium passionis suæ non manifestantem

festantem silentio dimicasse; occulto autem iudicio factum esse, vt ipse Christus Achitophelis, qui fratris ruina dicitur, idest Iudæ proditoris sui nefarium in eius perniciem scelus editum, in salutem omnium converterit. Canit igitur anima perfecta, & fidelis pro verbis Chusi, idest secreti huius cognitione, & quòd illius silentij verba, idest rationem, ut noscat digna est habita. In persona quoque Christi, si ea quæ humiliter dicta sunt, ad imbecillitatem humanam referantur, Et etiã Ecclesiæ, & cuiuscunq; in calamitate constituti Psalmus hic exponi potest. Dicit ergo Dauid.

Domine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

D*Omine qui potens es, & Deus creator meus, non in humana sapientia, & prudentia consilioue, sed in te vno spem posuit; nam qui sperat in homine, cum nec in principibus fiduciam collocandam esse præceptum sit, is Domine Deus, dicere nequit. In quo nos eum imitari statuamus, vt si quid etiam aliorũ ope à nobis præclare agatur, gratiã Deo immortalem habeamus. Salua me ab omnibus in me insultantibus, & permittere noli, vt aliquid mali patiar; at ab ijs dextera tua me libera et eripe; sunt enim innumerabiles; vel hic ab insectantibus serua me, & istic Iudicij tempore libera: Seruari enim is dicitur, qui sine vulnere in*

bello conseruetur, aut qui infirmus est, & imbecillis, eri pi autem, qui ab iniquorum impetu eruitur, aut captiuus est. Vel mystice, à Dæmonibus, qui animas in peccatum, atque in desperationem abripiunt.

Nequando rapiat, vt leo animam meam.

N*Equando Absalon vt leo, vel Saul animam, idest vitam meam (ea enim vitæ causa est) auferat, & me interficiat; nam nisi mihi adiutor, & seruator adsis, nihil erit quod eum impediat, quin ab eo laniet atque discerpat; Vel Dæmon mihi noceat, qui animæ interitum sitire videtur, quiq; in eo studium collocat, vt illam capiat; nam quas arripiet animas, prorsus eas retinebit. Supta vsus est multitudinis numero, nunc singulari, quia omnes sub vno capite comprehenduntur.*

Dum non est, qui redimat, & qui saluum faciat.

A*T is, qui exercitum comparauerat, & multos secum habebat, quomodo ait, dum non est, qui redimat; quoniam ne vniuersum quidem terrarum orbẽ sibi opem ferre posse putat, nisi auxilium diuinum sibi præsto fuerit; nec se in solitudine fore, si illius particeps fuerit. Nam alibi ait; Non saluatur Rex in*

virtute

virtute sua; si enim Deus non redimat, nec salutem det, leo ille arripiet, vt animam perfectam orationem hanc fundere pateat: redimitur autem quis, cùm à malo, & à pœna, saluus fit, cum à culpa liberatur.

Domine si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.

S*Anctus quilibet non à se, sed à rectè factis testimonium sumit; Dauid namq; innocens, & clemẽs iniuriarum obliuionem suam Deo exprimit inquiens, si proximis insidias paraui, si me inique gessi, regnum, opes, agros alicui auferens, si non peperci ijs, qui me iniurijs affecerunt, & eorum male facta obliuioni non mandaui, anima mea, antequàm moriar, à peccato non absoluatur, & gloria mea mihi adimatur.*

Si reddidi retribuentibus mihi mala.

A*Ttende, bonum est hominem non lacessere, sed multo præstantius prouocantem atque irritantem non vlcisci; bis enim Saul occidi potuit, attamen dixit ipse, non tangam Christum meum; qui verò se vindicat, occulte a Dæmone vincitur; retribuere pro reddere non proprie vsus est.*

Decidam

Decidam merito ab inimicis meis inanis.

Ergo si reddidi, inanis, ac spe frustratus decidam, idest sine virtute, vt ab inimicis meis me defendere non valeam. Vide quot sibi mala ominetur, atque euenire exoptet; scilicet vt incassum laboret, vt ab hostibus vincatur, & sic intereat; vnde per execrationem dictum esse videtur secundum opinionem græcorum, si istud feci, hæc mihi contingant, quæ mihi non displicet, D. tamen Augustinus, quem latini sequuntur, non execrando, sed prædicendo pronunciatum esse inquit, si talia delicta commisi, pœnam hanc luam, quod confirmare videtur D. Hieronymus, qui legit, & hostes meos vacuos dimisi.

Persequatur inimicus animã meam, & comprehendat.

Absalon, vel Saul animam meam, idest me ipsum insectetur, & arripiat, aut Dæmon suggerendo me impugnet, & per consensum me decipiat.

Et conculcet in terra vitam meam.

Vitam, idest sanguinem meum, qui vitæ causa est, omnino prosternat, & pessundet, meq; occidat, Aut Dæmon vitam meam terram faciat; scilicet cibũ sibi,

sibi, quia non tantum leo, sed serpens existit. In terra enim is ab inimico conculcatur, in cuius animum terreni hominis imago irrumpit.

Et gloriam meam in puluerem deducat.

G*Loriam meam, quæ interior esse debet, vbi Deus intuetur, & solida in Domino, vt qui gloriatur, in eo glorietur, in puluerem redigat; ide st in superbiã, & iactantiam, vt apud homines gloriam velim; hic est enim puluis ille, quem proijcit ventus. Ecce quàm cauendá est superbia. Gloriam ergo sanctorum, quorũ mens in cælis versatur, & bonorum, quorum diuitiæ in æternis thesauris repositæ sunt, appetamus. Gloriã vero eorum, qui aliqua in re laudem quærunt, & in terrenis opibus confidunt, vt potè breuem, & in terra permanentem aspernemur, ac fugiamus.*

Exurge domine in ira tua.

S*Ed quia nõ merui, tu exurge Domine, et ne differas, nec me ab hostibus opprimi patiaris; iustæ enim iræ tempus est, vt bellum contra hostes meos Dæmones præsertim suscipias, & in eos animaduertas; punire est effectus.n.iræ; vel exerce iram tuam contra inimicos meos Iudæos, inquit ecclesia.*

Et exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et cum altus sis, ita appare, & hominibus vires tuas ostende, vt qui te humilem arbitrantur, ex ijs quæ patientur, gloriam tuam perspiciant, In finibus inimicorum, *vel cum altissimus sis, vt te non intelligant aduersarij tui, omnes hostes meos fines eorum inuadendo deprime, qui sunt mundus, & locus infernus ipsius Dæmonis, & satellitum eius possessio; & his cunctis altitudinem, & potentiam tuam demonstra; vnde apparet hunc perfectum virum contra homines non precari, sed aduersus Dæmonem, cum is oret, vt eis hæc quæ peccantium est, atque impiorum possessio, auferatur. Hieronymus legit, Eleuare indignans super hostes meos, quasi dicat, irascere in eos animaduertens, & in hoc sublimis esto.*

Et exurge Domine Deus in præcepto, quod mandasti.

Varij varia afferunt ad explicationẽ huius verbi in præcepto, *sed quatenus ad Dauidem spectat, mibi placet illorum opinio, qui aiunt Deum ipsi præcepisse, vt populi sui dux esset, & Dauid ipse quoq; refert, præcepit mihi Dominus, vt sim Dux; quod præceptum ad nihilum redigi videbatur, si ab inimicis suis*

ille

ille superatus fuisset. Illud quoque ad Dauidem pertinere videtur, honora patrem tuum, quod filius minimè executus est. Ideo Dominum hortatur ac rogat, ne ad eum corrigendum, aliosq; castigandos patiens, ac lentus existat, sed accedat ad præcepti vltionem: multi enim ab vnius iniqui supplicio excruciati, exemplo deterriti se ad te conuertent. Alij dicunt, tu sanxisti, vt iniuria affectos vlcisceremur, ac tueremur eis opem ferentes; quod alijs mandasti, id ipse perfice, atque auxilium mihi tuum fer domine. Vel vt ad Christum referatur. Exurge, & te toti notum orbi, ac manifestum redde in præcepto videlicet humilitatis, qui dixisti: discite à me, quia mitis sum, et humilis corde, quò vt alij diligenter teneant, tu prior exequere, atque humilis appare, altitudinem non deserens, vt cæteri superbiam vincere discant.

Et Sinagoga populorum circundabit te.

ET congregatio te cinget, quando profligatis hostibus, & malitia Dæmonum exclusa gentes vocabuntur: hæc enim Dauid spiritu diuino afflatus omnia prædicit, eiusq; aduentum non pro se duntaxat, sed pro vniuerso genere humano vaticinatur; Vel congregatio canet tibi, te summis laudibus efferet, atque honorificis verbis prosequetur; & qui in vnum congregandi sunt; cuncti debitas tibi gratias agent.

Et propter hanc in altum regredere.

ET ob hanc congregationem gentium in altum ascẽde, vt hanc credentium concionem, spiritum ad eã mittendo perficias; aut propter eam, quã descensu tuo acquisiuisti; ad altitudinem gloriæ, quam ante mundi creationem habuisti, Domine reuertere, & in sublime te fer, vt à Synagoga Iudæorum, qui te persequendo, & contemnendo stipabunt, prorsus te segreges.

Dominus iudicat populos. Hieronymus, iudicabit.

POst ascensum ad cælum Dominus ad Iudicium redibit: potest autem intelligi tam præsens, quàm futurum iudicium; hic enim ex parte sumit pœnas, segnes excitat, & eos, qui creduli non sunt, ad considerãdam vniuersi prouidentiam adducit: Illic vero vniuersum erit, ac manifestum, & post magnas disquisitiones prauos damnabit, à dextris bonos constituet. Aut populos, idest iudæos iudicabit, qui Christum surrexisse calumniando negant.

Giudica

Iudica me ſecundum Iuſtitiā meām, & Innocentiām ſuper me.

H*Oc Dauid verè dicere nequit, at eum, qui nobis ſalutem dedit, Dominum Ieſum Chriſtum fari decet, Ac certe non nihil ille ſibi arrogare videtur; veruntamen re bene perpenſa Dauidem hac mente non fuiſſe comperiemus, ſi exponamus,* ſecundum Iuſtitiam meam, *eam ſcilicet qua præditi eſſe queunt in hoc mundo vitam degentes, & quæ neminem lædit,* & ſecundum Innocentiam meam, *ideſt integritatem vitæ ac morum, quam Hieronymus ſimplicitatem vocat. nihil enim contra inſectatores hoſtes ſuos egit; vnde virtutes ſuas prædicare, aut Iuſtitiam iactare apud Deum velle non videtur; ſed ſignificare ſe in eo, in quo accuſatur, omni culpa vacare, quippe qui neque re, neque verbo ſiue filium, ſiue Saulem violarit: Nam hæc coactus dicit, quoniam plerique ſtulti ob calamitates, in quas inciderat, malā de eo opinionem imbiberant. Notandum tamen eſt in ſuperiori Pſalmo Dauidem miſericordiam imploraſſe, qui aiebat, miſerere mei, quoniam infirmus ſum, nec vllum meritum ſuum commemoraſſe; Nunc, quòd is præcepta ſeruauit, dicere audet, Iudica; Vere.n.proferre potuit, ſi reddidi, ſed D.Auguſt.inquit, ſuper me, ad-*

didisse, non vt ad innocentiam tantum, sed ad iustitiã etiam referatur, quemadmodum si diceremus, quòd anima iusta sit & innocens, non per se, at per Deum illustrantem atque illuminantem id eam habere, licet Innocentiam meam, quæ in me est, Hieronymus legat.

Consumetur nequitia peccatorum, & diriges Iustum.

ORat secundum aliquos pro ijs, qui insultant, nequitiæ peccantium finem imponi cupiens, & peccatum prorsus deleri; nam hic verus est præceptorum euangelij obseruantissimus discipulus. Consumetur ergo, ideſt peccatum finem habeat, vel perficiatur nequitia. Aut secundum alios supplicio afficiantur improbi, & eos à vitijs desistere docebis; magna quidem est eorum, qui Christum cruci affixerũt, malitia, eorum vero maior, qui præcepta veritatis oderunt; pro quibus Dei filius in crucem actus est. Diriges iustum, *vt neque debilitate nutet, ac vacillet, neque à norma veritatis discedat; sine autem impedimento in via virtutis ambulat. Quomodo autem nisi in occulto, & quo pacto hoc tempore in tanta simulationis confusione iustus dirigi potest? Nisi dum Dominus Deus animos nostros scrutatur, omnium cogitationes, quæ cordis nomine, & delectationes, quæ renum intelliguntur, recte intuetur? Vel (inquit Christus) iustitia mea dirigi non poterit, nisi illorum iniquitas, scilicet Iudæorum completa fuerit.*

Scrutans corda,& renes Deus.

IDeſt probans, & planè cognoſcens corda, præcipuã animi partem cor, renes, ideſt mentis arcana, & intimas cogitationes; vel corda, quid quiſq; cogitet; & renes, quid quẽq; delectet. Nam opera ab hominibus videri poſſunt; quo autem animo efficiantur, ſolus videt Deus, qui cor noſtrum in cælo eſſe cum perſpicit, & in carne non ſe oblectare, ſed in Domino, non modo dirigit iuſtum, ſed adiuuat etiam ac roborat.

Iuſtum adiutoriũ meum à Domino.

IVdicis iuſtitiæ confidens optime ſperat, & inquit, Qui mẽtis arcana, & nihil in corde meo prauum nouit, is mihi iuſtum auxilium feret, quia & iam iuſto tribuit; & eſt quaſi medicina, quæ ſalutem ſeruat; altera quæ ſanat, in ſuperiori Pſalmo dicta eſt. Qui ſaluat rectos corde, *eos ſcilicet, qui recta ad virtutis medium pergunt. Cur non dixit renibus rectos, quia prauæ cogitationes ſunt in corde, bonæ in corde recto, vt intentio recta ſit; delectationes autem non bonæ, et ſenſibiles ad renes quidem pertinent, bonæ vero ad cor; ideo recti renibus dici nequeunt. Hieronymus autem legit, Clypeus meus in Domino, ideſt ſcutum, & defenſio mea.*

Deus Iudex Iustus fortis, & patiens.

QVoniam aliqui perturbati erant ob ea, quæ euenerant, filium in patrem inuadere perspicientes, eiusq; nequitiam feliciter progredi; contra eos Dauid tanquàm diuinæ prouidentiæ diffidentes inuehitur inquiens, Deus iustus est, iniquos enim omnes punire volet; fortis, poterit enim, sed de peccatoribus supplicium statim non sumit, quia patiens est, & differt.

Nunquid irascetur per singulos Dies?

AN punit? non, sed pœnitentiæ relinquit locum. Inquit enim Isaias, Expectat vos Deus, vt vestri misereatur. Græci tamen, & D. Augustinus, sine interrogatione legunt, inquientes, & iram non inferēs, idest vltionem: magis enim proprie dici, Deum iram adducentem siue inferentem, quàm irascentē ait Aug. ipse, quia in Deo iram non esse tanquàm affectionem, sed contra impios ab eo proficisci significatur. Vnde & si iuste iudicat is, non tamen vulnera continuo infligit; ex quo eius clementia patet. Nam si singulis diebus castigaret, saluus esse posset nemo, & futurum iudicium frustra foret. Sed postea pœnas maiores grauioresq; luemus, nisi hic nos admodum pœniteat. Re-

stpisca-

ſipiſcamus ergo, ne ſupplicia miſerrima, atque atrociſſima preferre cogamur.

Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum.

NE fiant negligentiores ij, qui eum patientem eſſe audiunt, minitatur eis inquiēs, niſi ad Deum vos ipſos conuertitis, pœnas profectò nō effugietis; & oſtē dit Deum ad incutiendum ſceleratis mortis metum ſe præparare, nihilominus ex cauſa procraſtinare; ait enim gladium vibrabit cominus, vel ſecundum Hieronymus acuet; aut acerbitatem ſuam nudabit, vt vehe mentiam pœnarum demonſtret; non percutiet; arcum tetendit, vt ſagittas iaciat, non emiſit, celeritatem tamen mortis innuit, & parauit illum, vt flagellum imminere indicet; non enim mortem ſtatim minatur, ſed eum ad vltionem promptum eſſe inquit, niſi peccatores ſcelera edere omnino deſiuerint.

Et in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.

IN eo ſcilicet arcu vaſa mortis, ideſt inſtrumenta occidentia præparauit; vel poteſtates inimicos

Dei

Dei destruentes, & de singulorum peccatis pœnas pro meritis sumentes Sagittas suas ardētibus effecit, *id est ijs, qui affectionibus inflammati sunt, & igne libidinis ardent, sicut carnis amor, & diuitiarum cupiditas, & huiusmodi animam vrunt, sagittas, idest iacula ignea fabricauit: vel illos qui facile accenduntur, quòd virtutis humore careant, & qui materiam multam ad exurendum collegerunt, sagittis configere, & pœnis mulctare decreuit. Hieronymus legit, sagittas ad comburēdum operatus est, idest igne incensas ad cremandum scelestos fecit. At cur is, qui solo nutu orbem terrarum creauit, eodemq; totum euertere potest, gladium & arcum, qui indicant genera pœnarum diuersa, habere dicitur? nisi vt hebetes auditores, ac rudes his armorum nominibus perterrefaciat, ac mentibus eorum timorem incutiat? Ac omnia certe per trāslationem cum dicta sint, orationem etiam multo grauiorem reddunt.*

Ecce parturit iniustitiam concepit dolorem, & peperit iniquitatē.

V*El secundum Grecos, & Augustinum parturijt; Nonnulli hac ad Absalonem, ad Achitophelem alij pertinere arbitrantur; ad Saulem aliqui, vt horum cuilibet verba hæc quadrare videantur. Volens autem ostendere quàm acerbos dolores illi sustineant, qui proximos suos iniuria afficere student, verbo parturire vsus est, & docet mulierum parturientiū*

exemplo,

exemplo, quæ doloribus anguntur, eum qui dolos machinatur, priusquàm alios læserit, grauissimis tormentis cruciari; Dubitatur tamen, cum mulier primum concipiat, Deinde parturiat, demum pariat, cur hic perturbato ordine, parturijsse, prius inquit, quàm conceperit? quia illic in tempore partus dolor est, hic autem in initio; simul ac enim quis malum cogitat in animo suo, ac dolos adhibet, effrenati ac præcipites in eo furores statim oriuntur; vnde apparet iniustitiam non esse secundum naturam; sed alienum quid & graue, & nobis acerbissimos inurere dolores, atque sicut in viperis, ita in ea, & in fraudibus euenire. Fætus autem in muliere, qui secundum naturam perficitur, ante partum ei dolorem non dat, & sic lectio nostra innuere videtur, Ecce parturit, idest nititur efficere, & concepit dolorem, clarius Hieronymus, concepto dolore, idest postquàm concepit dolorem, siue laborem, vt alij dicunt. Et semen iniustitiæ, ac nequitię iniquitatẽ conceptam demum peperit.

Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.

ITerum translatione vtitur, & quemadmodum parturire, dolorem significat, ita per lacum difficilem liberationem indicauit propheta ostendens eum, qui proximis foueam parat, in illam casurum esse; lacum ergo aperuit, idest persuasioni malæ consensit; siue excogitauit fraudem, ac parauit, & effodit, idest post consensum

sensum profunde cogitando exequi conatus est, ac fraudis opus vrgendo. Et in foueam decidit, quia fraudem pariendo prius ipse læsus est; sic Iudas mortē Christo parare studens, prior se interemit Achitophelem imitans, qui cum Dauidem interficere tentaret, ipse prior vitam amisit.

Conuertetur dolor eius in caput eius.

HAec *Absaloni, et Achitopheli quadrant, in vtriusq; enim caput pœna redundauit, non autē Sauli, vt secunda opinio censebat. Alteri quidem, qui laqueo vitam finiuit; alteri vero, qui coma ramo implicata tandiu pependit in arbore, quandiu ab illo, qui prius ipsum patri reconciliauerat, interfectus est.*

Et in verticem ipsius iniquitas descendet.

I*Niquitas, vel iniustitia ponitur pro pœna iniustitiæ illata, quæ in verticem iniusti à Iudice iusto de cœlo descendit.*

Confitebor Domino secundum Iustitiam eius.

C*Vm cantico tibi ob iustitiam tuam gratias immortales agam, non cædibus aliorum gaudens, sed*

Dei

Dei ſententiam ſuſcipiens; vel propter iuſtitiã eius, qui nullum inſidijs petierit, nec lacum aperuerit; Recte facta mea tanquàm ad iudicium, ac tribunal afferens ſecundum iuſtitiam inquit, quia meritum præceſſit, confitebor.

Et pſallam nomini altiſſimi.

Illius, qui eſt ſuper omnia, & inſuperabilis, cuius ſunt trophæa, pſallam credens me illorum conſortio, qui ſeruandi ſunt, dignum habitum iri.

Cum Pſalmum à ſpe orditus fuerit, quam in Deo collocauerat, merito earum rerum omnium, quas ipſe poſtulauerat, compos cum fuerit, quas vè fide munitus expectabat, ſe gratias perpetuo acturum ſpondet. Nos quoque ſi tales nos præſtare conabimur, vt vere dicere poſſimus, ſi reddidi dubitare ne debemus, quin ſpei noſtræ in benigniſſimo Deo poſitæ fructum, vel maximum capiamus? Immo ſi hoſtes noſtri inſidias nobis tetenderint, Dominus non ſolum non denegabit iuſtum auxilium ſuum, ſed nos etiam ab eis eruet; vnde quotidie gratias ei agendi occaſionem habebimus. Et quoniam pſalmus hic contra inimicos noſtros nobis inſultantes ad Deum maximè dirigitur; ideo eccleſia primum ab aduerſarijs iniquis, ac Dæmone præſertim,

vt

vt eripiatur, petit; Deinde pro ſuis omnibus, qui in illius gremio conſeneſcunt, tam viuis, quàm vita defunctis clementiſſimum Dominum orat, vt ſaluare eos velit, inquiens non eſſe qui redimat, neque qui ſaluos faciat, niſi ſolum Deum: Et pro ijs, qui in inferis locis pœnas pro peccatis adhuc luunt, dictum Pſalmum in templo recitari iubet. Faxit igitur nos dignos, qui ab eo exaudiamur, præpotens Deus, ſitq́; nobis valde propitius, Qui viuit, & regnat ſempiternis ſæculis. Amen.

IN PSALMVM VIII.
DOMINE DOMINVS.

In finem Pſalmus Dauid pro Torcularibus.

QVod, in finem, ſeptuaginta ſemper dicũt, Aquila & Theodotio victoriæ authori. Hieronymus victori interpretantur. Et ſanè pro victoria Pſalmus hic victori Deo canitur, quia inimicũ, & vltorem Dæmonem vicit, & homines ab illius Tyrannidis ſeruitute in libertatem vindicauit. In finem igitur inſcribitur, quia in eo de ſęculorum fine, ac de prouidentia Dei, atque de carne à filio Dei ſumpta prædicitur. Pro Torcularibus autem; ideſt pro eccleſijs, quæ per orbem terrarũ conſtitutæ ſunt, ſic à Μιγορικῶς *nomina-*

nominatis, quia ſicut in Torculari vinum à vinaceis ſegregatur, ſic in eccleſijs ſegregantur boni à malis, ſi non loco adhuc, ſaltem animi affectu; & in martyribus animarum à corpore fit ſeparatio. Verum populus Hebreus quando vnus erat, in vno tantum altari Sacerdotes eius hominum fructus colligebant; vnde ei vitio, & crimini datur, quòd audiens ipſe torculariũ multitudinem, intelligere nolit vetera prateriјſſe, & noui teſtamenti lumen omnibus hominibus ad ſalutem inuitatis illuxiſſe, vt iam non vnum, at multa altaria in orbe introducta ſint:

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.

P*Salmus hic pro beneficijs in totum genus humanũ collatis gratiarum actionem continet. Loqui autem eccleſia videtur inquiens, Domine. Dominus illorum, qui non credunt in eum, vno modo, noſter vero dupliciter, & quòd creauerit nos, & quod à nobis agnoſcatur.* Quam admirabile, *ideſt valde eſt admirabile nomen tuum, ideſt fama, & gloria tua in vniuerſa terra; non in Iudæa tantum; nam quòd pro nobis homo factus ſis, quòd mortuus ſurrexeris, hoc percrebuit, & in ore atque ſermone omnium gentium cœpit eſſe; nomen inquàm tuum; cuius inuocatio, vt aiunt eccleſiæ omnes, ſola dæmones fugat, magnam admira-*

bilitatem

bilitatem fecit post aduentum eius, qui nobis salutem dedit; ante vero etsi reipsa admirabile, gentes tamen id verbis execrabantur, vt ait Isaias. Sed si Dauidi tantam admirationem mouit nomen illud ab eo pronunciatum, vt ipse obstupuerit, vbi sunt illi, qui se Dei substantiam, seu naturā nosse gloriantur? Quod in nomine illius mors victa sit; Dæmones vincti; fores paradisi patuerint, & huiusmodi, hæc de filio, velint nolintuè impudentes Iudæi, dicta esse liquet.

Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos.

ADmirationis hæc est ratio, quoniam magnitudo tua in cælo apparet, & virtus cælorum factionē excedens. Vel magnificentia tua, quæ omnium linguarum, & scripturarum præconia vincit, de terrena humilitate super cælos ascendit. Magnificentiam appellat humanam à Deo carnem sumptam, quæ & magna est, & omnem intelligentiam superat, quæ super cælos existentes potestates illas transcendit. Ipsa enim quid aliud est, quàm operum, & earum rerum, quæ à Deo creatæ sunt, magnitudinis illustratio? te namq; cælo terræq;, ac vniuersis rebus dominari, magnificentia hæc tua hominibus nota semper non fuit.

Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos.

D*Ocet recentem congregationem post eius in cælū ascensum per renouationem in Christo vbiq; locorum factam ex infantibus constare, qui osanna clamabant. Nam potentiam tuam ait, ex hoc notam fecisti, quòd balbutientem linguam ad te magnifice, ac splendide ornandum claram, & expeditam fecisti; intelligit autem, cum pueri in templo laudes decantarūt; vnde alijs omissis miraculis, solius chori lactentium meminit, qui tunc, & aliàs nunquàm locuti sunt; nec iudæi in lege id vnquàm factum esse dicere queunt; vel per lactentes animo simplices, & eorum candorem imitantes innuit, veluti Apostolos, & quales esse debent ij, qui ad dogmata accedunt. Quibus inquit Paullus: tanquàm paruulis in Christo lac vobis potum dedi non cibum; D. Augustinus exponit de illis pueris ab Herode interfecis, ex quorum ore, vt laude maxima afficeretur Christus Herodem siuit voluntatem suam explere, vt ætas non valens lingua, mortis testimonio Dominum confiteretur,* perfecisti laudem, *idest perfectā eam fecisti.* Propter inimicos tuos, *causam affert cur miraculum hoc factum sit, vt inimicorum ora obstruerentur, iudæorum scilicet, & phariseorum, ac sacerdotum, qui tuæ cognitioni aduersantur; quiq; inimici crucis Christi à Paullo vocantur.*

Vt destruas inimicum,& vltorem.

Q*Væ de infantibus dicta sunt, ad confusionem iudæorum permisit Deus,qui erant inimici,quoniã filio Dei contrarij erant; Et pro Deo patre se facere simulabant, sicut etiam Hæretici, qui nequitia sua ecclesiam adoriuntur,& tueri eam fingunt*, vt destruas,*id est cessate facias, & de medio eorum impudentiam tollas; aut quemlibet insectatorem, aut Tyrannum innuit, qui armis tuum sanctum nomen oppugnant. Vel Dæmonem amicis Dei infensum significat, qui tãquàm vltor permissione Dei arrepta his, qui Dei mãdata trãsgrediuntur, & non obseruant, mulctas irrogat, non vere Deum vlciscens, sed in nostris malis se oblectans, qui tamen (quod est admiratione dignum) à lactentibus deuictus est.*

Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum lunam, & stellas, quæ tu fundasti.

N*On video, inquit, sed videbo, quando non operta facie gloriam Domini fuero contemplatus; nunc enim ex parte conspicimus. Sed scriptura quando potentiam Dei manifestam nobis reddere vult, ad celorũ considerationem ducit nos, ac trahit.* Opera digitorum,*inquit, quòd illa subtiliora sint; quæ enim digitis*

tis agimus attente, & distincte facere videmur: digitorum non manuum dixit, vt talia, ac tanta elementa à minima diuinæ potentiæ particula significaret facta fuisse; vel ea, quæ sub oculis subiecta sunt, minima esse inter opera, quæ fecit ipse, ostenderet. Ego sine vllo discrimine locutum esse Dauidem opinor, quia alibi opera manuum tuarum cælos esse inquit. Solem non videtur prætermisisse, dum lunam nominat, alibi Solem, quasi per alterum vtrunq; intelligatur. Alij solem omisisse aiunt propter infideles, qui eum vt summum Deum credebant, colebantq́; quæ astra finxisti, ac ita stabilisti, vt decidere nequeant. Cuncta non recensuit, quia potiora, quæ sub aspectum cadunt, persecutus est. Mystice cælorum nomine illi intelligi possunt, qui quærunt, quæ sursum sunt, veluti apostoli; illi enim cęli gloriam Dei narrant; Lunæ, ecclesia; stellarum, illi quibus dicitur, vos estis lux mundi. Vel cælos, idest scripturas digito Dei scriptas, & à ministris Spiritus sancti illustratione conscriptas cernam, & intelligam.

Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum.

P*Ostquàm ex parte vniuersum significauit, nunc de prouidentia percurrit, qua Deus hominem, humanam scilicet naturam regit, atq; gubernat; nam quæ iam cõmemorata sunt, & vniuersa creatura propter hominem condita est. Hoc autem admirationem mihi mouet (inquit Dauid) quæ causa fuerit, vt cum homo*

parua res sit, & parui ducenda, illius tamen tantopere memoriam seruas; & is cum præceptũ tuum non tenuerit, tu illius miserearis; magnum ergo aliquid est homo, postquàm tanto honore illum afficis, & de illo curam geris. Aut quid meruit filius hominis; idem enim est homo, & filius hominis, vt pleriq; aiunt, vt ad suscipiendam humanam carnem filium tuum mi'seris, & sic filium hominis visites? nam hoc non propter angelos, qui de cælo lapsi sunt, sed propter hominis ruinam fecisti; cuius saluti succurrere, atq; ægro mederi voluisti. D. tamen Augustinus inter hominem, & filium hominis discrimen existere ait, & omnem filium hominis, hominem esse, non è contra, vt Adam, homo, non filius hominis, & illa disiunctione, aut, adducitur; homo igitur hic terrenus dictus est, & filius hominis cœlestis; & propterea illius tanquàm longe absentis recordatur, hunc vero visitat, cum præsens vultu suo illustrat; quia licet totum genus humanum viseri præcipue tamen illum hominem in hypostasi seu persona assumptum inuisit; vnde ἀναγορικῶς ad Christum hæc pertinent. Quid enim tanti est humana caro, à Deo verbo sumpta, quòd illius memoria tibi hæret? aut filius hominis (sicut se Christus appellauit crebro, vt affirmantes Christi carnem de cœlo descendisse redargueret) quoniam illum visitas per eum, cum verbum caro factum est, vt medicus ad ægrotos venerit?

Mi-

Minuisti eum paulò minus ab Angelis.

CReatum hominem Angelis minorem fecisti, propterea quòd ille morti, & curruptioni addictus est, vt cum extolleretur propter intellectum, propter terram deprimeretur. Cæterum sicut ille potestates superiores ratione prædita sunt, sic & homo rationis est compos, & ad notitiam tui consequendam aptus; quandoquidem secundum eam facultatem, qua virtutis, & sanctitatis capax est, & propter imaginem, ac similitudinem, quam in eo, sibi dato in mortalia animalia imperio expressisti, tibi admodum similis est. Verba hæc à D. Paullo de Christo referuntur, eum qui modico, quàm angeli minorem effectum esse videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum; vt sustinuerit homo pro nobis mori natura diuina à perpessione immuni existente. Hieronymus, à Deo, legit, quia Deo in vnitate personæ is coniunctus est, sed ratione iam dicta minor.

Gloria & honore coronasti eum.

GLoria, quia ad imaginem, & similitudinem Dei creatus est homo, quæ diuinæ imaginis claritas est. Honore, quia eum, omnibus animalibus, vt ipsa sibi subiecta sint, præfecisti; Aliquid tamen de hac

 potestate

potestate propter peccatum illi detractum est; antequã enim ille obedientiam abiecisset, penitus feris dominabatur, nunc vero vix arte cum metu coniuncta aliquarum est in homine dominatio. Coronasti, *quod est proprie Regum. Vel Christum coronasti, idest ornasti gloria quidem diuinitatis; honore, quem angeli ei habebant; vel etiam vtrunque ab hominibus ei tribuebatur, quia credentes in eum appellabant Deum, ac religiosissime venerabantur.*

Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

IDest in Regem totius creaturæ illum elegisti, & ei dominatum dedisti; dixit opera manuum, non digitorum, vt aiunt nonnulli, quia non subtilia, vt sunt cæli, qui digitorum opera existunt, & eos homo subijcere nequit. At cum alibi dicatur, opera manuum tuarũ sunt cęli, patet, vt alij inquiunt, hominem super cęlos etiam constitutum fuisse, vt significentur ij, qui a terrenis istis atque caducis illuc transferuntur, quiq; regni cælorum hæreditatem adituri sunt; illic enim opera manuum, cælos & omnia, quæ in eis sunt, contemplabuntur; Sed quando Angeli sunt opera manuum Dei, etiam super Angelos constitutum accipimus vnigenitum Dei filium, qui paullo ante Angelis minor erat.

Omnia

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas.

OMnia dixit, nihil ergo excipit, Addit D. Paullus, excepto eo, qui omnia ei ſubiecit. Vt velit huius loci teſtimonio omnia ita ſubiecta eſſe Domino noſtro Ieſu Chriſto, nihil vt exceptum ſit. Sub pedibus, *ideſt dominatu, & poteſtate, non tamen magnum quid videtur adiungere, cum ait, Oues & boues, inquit D. Auguſtinus, apparet enim relictis virtutibus, & poteſtatibus, nec non hominibus, ei tantum pecora ſubieciſſe, niſi oues intelligamus animas ſanctas innocentiæ fructum ferentes non hominum tantum, ſed angelorum quoque, ſi omnia hic Chriſto ſubiecta eſſe, intelligere volumus. aliter, oues, et boues, addidit, vniuerſas, quia puræ ſunt, & fructum afferunt; cum animalia immunda dicit, non addit vniuerſa. Vel oues, intelligi poſſunt ij, qui ex gentibus crediderunt, boues, Iudæi graue iugum trahentes, vel qui prædicantes verbum Dei, angelos imitantur.*

Inſuper, & pecora campi.

INſuper, adiunxit, vt diſtinguat ab ouibus. Innuit autem animalia omnia, quæ prona in terram aſpiciunt, ideſt eos, qui nec Moyſis, nec gratiæ legem ſuſceperunt, vel homines in voluptate carnis gaudentes, &

sursum minime aspirantes. Feras non subiecit penitus, vt ab hac cum illis contentione de primi parentis Adam peccato admoneremur.

Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.

VOlucres cæli, idest aeris. pisces, vnico verbo omnia genera piscium comprehendit. Cur non dixit plantas, & reliqua; an quia ex parte totum significauit, & studiosis meditationem, & disputationem de ijs reliquit. Volucres, idest superbos. pisces, idest curiosos, qui studium inania inquirendi in profundo huius sæculi maximum collocant, ij enim perambulant semitas maris, quæ cito euanescunt.

Domine Dn̄s noster, quàm admirabile est nomen in vniuersa terra.

ADmirationem duplicat ob illud factum mirabile obstupescens, quòd homines Dei cognitionem susceperint, & omnes a creatore mundi redempti sint, & quia, vt in hymno dicitur, Iam Christus astra ascenderat, reuersus vnde venerat, merito psalmus hic, qui Christū tractat, circuli instar ibi desinit vbi cœpit, eundem in principio, & fine versum habens. Pergamus, & nos eadem assidue canere, eius prouidentiam admirantes, sapientiam suspicientes, atque clementiam, &

quam

quam de nobis gerit procurationem, & gubernationē; ac fugiamus eos, qui Christi dignitatem, atque auctoritate præditam potestatem negant; Et vitæ institutionem dignam demonstremus, vt futura bona assequi valeamus; mereamurq́; vt Dominus Iesus Christus nostri memor sit, ac nos assidue visat, demum gloria, & honore coronatos in cælo ei assidere velit. Qui viuit, & regnat sempiternis seculis; Amen.

IN PSALMVM IX. CONFITEBOR.

INscribitur sic, In finem pro occultis filij Psalmus Dauid, vel secundum D. Hieronymum victori super morte filij, Ps. Dauid. ex quo apparet Dauidem pro beneficio in se collato immortales Deo gratias agere, quòd Absalone mortuo regnum ipse receperit. Sed D. Augustinus de illo intelligi posse negat, quia, sui, sicut in tertio Ps. additum non est. Quærit autem is, quæ sint occulta ista, & ait, cum duos aduentus esse, alterum præteritum, qui Iudæis ignotus fuit, & gentibus valde profuit, alterum manifestum, quem expectamus; ac duo etiam à scripturis iudicia indicari credamus, alterum occultum, perspicuum alterum; hic de Christi humili aduentu, in quo caro manifesta fuit, diuinitas occulta, Dauidem agere, & de iudicio occulto, idest pœna, qua boni à prauis afficiuntur, & vnusquisq; excercetur ad expiationem peccatorum, aut vt se conuertat, admonetur; aut damnationi destinatus

natus cęcatur. Gręci vero, pro occultis filij, de morte vnigeniti filij Dei, qua omnis inimici potentia ad nihilum redacta est, ferè cuncti interpretantur; quod mysterium à sæculo occultum fuit; apostolos enim, & alios omnes latebat, sic à septuaginta, vt opinor, vocatum, quòd occulta sit, & inexplicabilis mysteriorum Christi veri Dei cognitio. Longior est Psalmus spiritu sancto ita dictante, vt longitudine pigritiam is excitet.

Confitebor tibi in toto corde meo.

A*Gam tibi gratias, & in toto corde meo, idest omni animi alacritate, & contentione te laudabo, non is, qui de prouidentia Dei aliqua in re dubitat, sed ego, qui totum tibi cor meum dico, quod est perfectorum munus.*

Narrabo omnia mirabilia tua.

P*Rædicando alijs, & annunciando omnia tua beneficia, velut trophęa quædam de inimico admirabilia; omnia, dixit, vel secundum genus, vel qui credens ijs, quæ videntur, ad intelligenda ea, quæ non videntur, valde aspirat: Nam qui pie infinita persequitur, etiam si nunquam assequatur, quod optat, progrediendo tamen proficit.*

Lætabor, & exultabo in te.

L*Aetabor animo, exultabo corpore; est enim maior quædam lætitiæ intentio; vel non in hoc sæculo, nõ in*

in superfluis diuitijs, non in uoluptatibus, sed in te lætabor, quia alibi vera non est lætitia, & quia auxiliũ tuum expertus sum.

Psallam nomini tuo altissime.

C*Anam more amatorum non naturæ tuæ, quæ percipi nequit, sed nomini tuo decentes laudes tribuens; & opere; vt alij meo exemplo tibi psallant.*

In conuertẽdo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur, & peribunt à facie tua.

D. *Hieronymus legit, cum ceciderint retrorsum inimici, & corruerint, & perierint; vel, vt Symachus, euersis inimicis meis post me, & sublatis à facie tua cantabo; conspiciens enim hostes meos fusos atq; fugatos, captosq́;, beneficia tua prædicabo; vt de ijs etiam aduersarijs, qui non videntur exponi queat, idest, cum conuersus fuerit retro inimicus meus Dæmõ scilicet, qui cęlestẽm hominem decipere non valuit, sed audiuit, vade retro Sathana, qui etiam retro commeauit, dum iustos insectaretur, & ad terrenos, quibus dominari potest, se transtulit. Infirmabuntur eius membra, quia nihil impij, & iniqui contra pios valebunt, & à facie tua, idest cognitione, ac timore tuo peribunt, quia te vindicante viuere non poterunt, et à conspectu tuo delebuntur. Hæc vates de natura humana percurrere videtur, quæ è Dęmonis potestate erepta fuerit,*

atque

atque libertatem adepta sit; non enim sicut nonnulli opinantur, hæc à Christo, sed ad ipsum tanquàm beneficij authorem dicta sunt.

Quoniam fecisti iudicium meum, & caussam meam.

VIde quomodo ipse non se vlciscatur, sed iudicium Deo concedit, vt animaduertere possimus, quòd hæc iniuste passus est; non enim ea Dominus Deus persecutus esset; Fecisti iudicium, *idest me credentem in te iudicasti, qui ante ob ignorantiam meam Dæmonis Tyranide detinebar,* Et causam meam, *scilicet contra impios egisti; nam cum me ab illo maligno in seruitutem esse adductum perspexeris, ex illius manibus ereptum me, atque ab errore liberatum iustum fecisti. vel secundùm aliquos, vox est ecclesiæ, idest gentes elegisti, & Iudæos reprobasti, & fecisti bonam causam meam, quòd me contra aduersarios defendisti.*

Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.

IDest personam iudicis sumpsisti, qui solus iustus es iudex, vel in loco sublimi, aut tribunali formidoloso, vt more humano loquamur, tanquam iudex sedisti, qui iudicas iustitiam, idest iuste, Iudicas inquit, vt præsens iudicium indicet; nam quod Dei nomini proprium est,

scilicet

ſcilicet iuſte iudicare, de hominibus fari non licet, non enim ſemper ius vere dicunt, & ſi millies iuſti ſint, vt qui propter inſcitiam, & propter ſocordiam interdum, iuſtum ignorent. Deus autem volens, & ſciens iuſta iudicia facit: Hoc autem propter aſcenſum domini dictum eſt, perfecto enim carnis myſterio ad thronum ipſe ſuum iudicialem, ideſt diuinitatis poteſtatem redijt, quam tamen non reliquit, quando arcanis modis ad nos venit.

Increpaſti gentes, & perijt impius.

D*Eo armis, & ſagittis opus nõ eſt, vt vulgo dicũt; ei enim ſatis eſt increpare, quo reprehendendi munere apoſtoli, ac præcipue Paullus functi ſunt, eorũq; ſucceſſores, cum dogmata gentibus diuina proderent; vnde, inquit, obiurgaſti gentes, & illis errorem ipſarũ exprobraſti, quem ex auſcultantes ab idolorum cultu diſcedebant, & animos mendacio, ac falſitate liberabant. Ideo Dæmon impius fugit non habens amplius, quos fraudibus in ſui venerationem alliceret, tantum valebat preconum veritatis obiurgatio.*

Nomen eorum deleſti in æternum, & in ſæculum ſeculi.

N*Omen radicitus euelliſti, vt eius potentiam intelligat; vel nomen, ideſt gloriam; nam & adhuc demones nominamus; qui honorem Deo debitum cum*

ſibi

sibi ascripsissent, homines ipsis in seruitutem se tradiderunt, simulac autem verbum disseminatum est, non solum in præsenti sæculo, sed in futuro etiam euanuerũt festa, & obliuioni mandata sunt, atque sacrificiorum cęremoniæ extinctę, nominaq́; deleta fuerunt.

Inimici frameæ defecerunt in finem.

GLadij, seu arma ipsius inimici ad nihilum sunt redacta, idest machinationes, & consilia abiecta sunt, talis est ira Dei, vt omnia deleat, & perdat; vel affectiones, aut actiones malæ, quibus anima non secus, ac gladio sauciata, ad virtutem inepta iacebat, pro nihilo habentur, Hieronymus legit: inimici complete sunt solitudines in finem. & intelligere videtur de populis gentium, qui erant, tãquam solitudines à draconibus, & serpentibus habitatæ, cum idola colerent; at finitæ sunt, ait, & Dæmonis solitudines esse desierunt.

Et ciuitates eorum destruxisti.

SCilicet Sodomam, & Gomorram, in quibus impietas domicilium habebat, vel ciuitates, homines videlicet ipsos, in quibus habitabant dęmones, & quiescebant; vel delubra idolorum euersa sunt, in quibus hominum conuenticula fiebant, quę postea ciuitates nominauerunt posteri.

Perijt memoria eorum cum sonitu.

QVia manifestum exitium omnibus fecisti perspicuum, cum sonitu inquit, & est translatio ab ędificijs

ædificijs propter terremotum ruentibus sumpta, quorũ sonitus, & fragor auditur, nemo amplius ei sacrificium offerre, nec eum inuocare nouit; vel cum sonitu, idest superatorum clamore; Dæmones enim clamantes Deum fugiebant. D. Hieronymus non legit, cum sonitu, sed cum ipsis, nec in hebreo de sonitu vlla est mentio.

Et Dominus in æternum permanet.

FIdeles Dominum Deum in ęternum permansurum esse credant, his enim verbis semel stabilitas receptę fidei, atque ipsius ecclesię immutabilitas indicatur.

Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbe in ęquitate, & populos in iustitia.

HOrtatur hic gentes, vt fugiant iniquitates, virtutem, ac pietatem sequantur, ne in illum valde formidandum Iudicem incidant, qui turpes actiones, & cogitationes impias diligenter examinabit; nam non solum in pręsenti potentiam is propriam ostendit, sed futurum etiam horribile illius iudicium demonstrabit, cum dijudicabit orbem terrę, vt secundum fore iudicium indicet, vbi pro dignitate vnicuiq; reddentur siue præmia, siue supplicia, quanuis lenitas hic, & patientia appareat, quò per pœnitentiam peccata abstergamus. Orbem terræ, ecclesiam dicit, & fideles, apud quos habitare Deus creditur: In æquitate, *meritis digna retribuens.* Et populos, *qui sunt extra ecclesiam, idest*

idest reliquas gentes in iustitia exequente illa, quæ secundum se iusta sunt. Parauit ergo, &c. idest sedem suam ad iudicandum, vt se potestatem iudiciariam iam habere significet, licet tempus nondum aduenerit, cuius sententiæ adstipulator est D. Hieronymus inquiens, solium suum ad iudicandum stabiliuit. Vel secundum D. Augustinum parauit, cum iudicatus est Christus, sedem suam: per patientiam enim illam homo cęlum acquisiuit, & hominibus, Deus profuit; & quoniam ad iudicandum viuos, & mortuos venturus est, ideo in occulto iudicio sedem suam pręparauit.

Et factus est refugium pauperi adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

ET iudex effectus est perfugium pauperi oppresso, vt apud Deum personarum acceptionem non esse declaret, illi scilicet, qui angustam in vita viam ingressus est, & afflictus fuit; ac pauper spiritu beatus est dictus. vocat autem se pauperem, licet regni solium teneat; humana enim omnia vmbris exiliora esse nouerat, & folijs simillima; & nihil nobis magis proprium esse, quàm virtutem, quam quocunq; pergamus, nobiscum circunferimus. Vel docet Christum tempore opportuno salutem nostram procurasse; nam humanam naturam ob iniquitatem pauperem appellat; & factum esse nobis perfugium, cum omnes nos visitauit

uit factus homo, & in crucem actus est, ac dedecus contempsit, vt omnes sanguine suo redimeret. Adiutor in opportunitatib. in tribul. idest in tempore afflictionis opportuno, sicut alibi dicitur, tẽpore accepto exaudiui te; duplicem enim opportunitatem ait, quòd auxilium ferat, & in tempore ac opportune, quia tempore afflictationis, quæ diuinum subsidium admodum attrahit, ad Deum facilius nos conuertimus; nam anima non opportunius ab hoc sæculo auocatur, quàm dũ labores, & dolores cum perniciosis voluptatibus permiscentur. Aliqui, factus est, idest fiet, exponunt, quod D. Augustinus innuere videtur inquiens, sed hoc fiet, si pauperes in hoc mundo nihil amando esse delegerint. Et Hieronymus legit; Erit eleuatio oppresso, opportuna in angustia eleuatio, quoniam afflictionibus grauibus eum subleuat, & est eius protectio atq; defensio.

Et sperent in te, qui nouerunt nomẽ tuum, quoniam non dereliquisti exquirentes te domine.

G*Reci oẽs indicandi pro imperandi modo hæc explicarunt. Hieronymus etiã legit, Confident, inquiẽtes, qui illa didicerunt, per quæ salutem dedisti, et qui nomen tuũ cognouerunt (naturã.n. tuam nullus nouit minimeq; comprehendit) ac te iusti iudicij tempore illorum obliturum non esse; humanas res negligentes fiduciam, & spem suam in te collocabunt, omnesq; cru*

ciatus sustinebunt propter illam, quam ipsis te reseruasse mercedem credunt. Quoniam, &c. *te inquirentes non deseruisti; Deum enim quærunt ÿ, qui sibi præstari ea cupiunt, quæ à se ipsis adipisci nequeunt; quare fit, vt non destituantur; multi enim rem bene agunt suam, in ÿs, quæ vitæ commodis inseruiunt, qui cum impie viuant, ab ipso deseruntur. Quis enim in mandatis tuis permansit Domine, & derelictus est? & quis te inuocauit, & despectus fuit? respicere nobis licet antiquos patres, & scire, quòd nullus in te sperauit, & confusus est.*

Psallite Domino, qui habitat in Syõ, annunciate inter gentes studia eius.

P*Ræcipiuntur illi hymnum dicere Domino, qui videlicet spiritu, & mente psallere queunt.* et *habitãt in Syon, idest in præsenti fidelium ecclesia, in qua speculamur æterna; & peculiarem in eum locum beneuolentiam significat, ac familiaritatem, quòd ibi Deus responsa dabat, & viros se dignos alloquebatur.* Annuntiate, *studia, idest mirabilia eius, idest quæcunq; suo aduẽtu admirabilia fecit, tam ea quæ intellectu quàm quæ sensu percipi possunt; operaq; beneficentiæ, & prodigia, cogitationes quoque, vt legit D. Hieronymus, aut mandata; denique beneficiorum Dei, & curæ ac sollicitudinis, quam de suis habet, præcones esse velitis.*

Quoniam

Quoniam requirẽs ſanguinem eorũ recordatus eſt, non eſt oblitus clamorem pauperum.

HIc magnum quoddam decretum profert, nullam cædem inultam relinqui; ait enim Moyſes, ſanguinem veſtrum requiram, ideſt cædem veſtram, vlciſcar; Et hoc eſt ſummum illius prouidentiæ, & tutelæ accuratæ ſignum, vt omnia exacte inquirat; nam cum noſſet cædes à Dæmone per fraudem patratas, videlicet ſanguinem in ſacrificijs fuſum fuiſſe, opportune in auxilium eorum venit, qui iniuſte, ac grauiter laborabant; Si autem ſtatim non exquirit, ne mireris; dat enim pœnitentiæ tempus ijs, qui delicta cõmittunt. Recordatus eſt, *inquit, qui prius propter dilationem videbatur oblitus; natura enim noſtra, propterea ꝙ deſciuerat, in obliuionem prius venerat;* clamoris pauperum, *vide rurſus in honore pauperes eſſe, non ſimpliciter, ſed qui pauperes ſpiritu, & corde humiles ſunt, atque compuncti; ij enim maxime exaudiuntur; vel inops omnis boni ipſa natura noſtra acerbe tractata clamat ad eum, qui ſeruare poteſt.*

Miſerere mei domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.

ECce clamor; nomine autem omnium propheta inquit, miſerere; & pro futuris rogat, vel vna pro

omnibus ecclesia; semper enim Dei prouidentia egemus, maxime dum à malis liberamur, à quibus cum eruti sumus, ne arrogantia oriatur, cauere nos vehementer oportet, tunc enim acrius tentat, ac vrget Dæmon, quare auxilio Dei nobis opus est, ut secunda, ac prospera facilius feramus. Vide igitur, & abiectionẽ ac demissionem meam perpende, quàm me deprimant inimici mei, & quæ ab eis patior: conabantur enim vniuersum eorum genus tollere, ac delere, qui Christũ mirifice colebant, ac venerabantur.

Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Syon.

Hic bonorum præcipuus finis est à corruptione, & mortis euersione liberatio; quem assecuti, omnes laudes tuas, ac beneficia tua decantabimus in portis filiæ Syon, idest Hierusalem, quæ arci Syon subiecta erat: antiquitus enim in portis iudicia fiebant; vel in portis, idest in ecclesijs particularibus vbique terrarum, per quas qui credentes ingrediuntur, ad cælestem Syon ascendunt, idest sanctorum concionem; vel qui eruis me de portis mortis, idest peccatis, & malis cupiditatibus, quæ nos ad mortem ducunt, à quibus liberatus quisq; clarior, & illustrior efficitur; & in portis, idest virtutibus, laudes nunciare potest. Aliqui, portis mortis, idest martyrũ supplicijs exponunt, quæ qui superabant, insignes magis euadebant; non nulli autem

tem à doctrina hęreticorum, à qua erepta ecclesia splendidior facta vitæ portas intrauit. Hactenus clamor.

Exultabo in salutari tuo, infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt.

I*Dest gloriabor in Iesu Saluatore meo; hoc est mihi corona, hoc diadema propter te trophęum erigere, & à te salutem impetrare. Sed gentes infixæ, idest per vim detentæ sunt, quæ vel in infidelitate permanserũt; vel Christũ sequentes insectabantur, vel demersæ sunt, vt legit Hieronymus, in interitu, idest exitio, ac perniciè, quam contra alios excogitauerunt; cum enim fidelium genus perdere contenderent, ipsæ se propria morte transfixerunt, atque mulctarunt. Vel gentes hic Iudæi intelligi queunt, qui à Dæmonibus adacti studentes vitæ principem morte afficere, eorum internecio à Romanis facta est.*

In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

Q*Vin etiam, qui rete contra populum Dei occultarunt, ipsi eo irretiti sunt, & pes eorũ, idest amor & malus eorum affectus nullis insidias parantibus in laqueo quem absconderunt; idest fraudulento consilio, & insidiarum cogitationibus captus est, qui per fraudem*

dem ad inanem lætitiam peruenit, quæ postea dolor com paratur.

Cognoſcetur dominus Iudicia faciens, in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.

A*Gnoſcetur; qui nunc iniuriam patiens ignoratur, vel agnitus eſt, vt legit D. Hieronymus, hic à ſãctis, et à ſuis iudicia faciens, ab omnibus in iudicio, ſecernẽs malos à bonis, iuſte et ſapiẽter gubernãs, ſupplitijs afficiens atq; vlciſcens. Nam iuſtũ Dei iudicium hoc modo apparebit, cum peccator inciderit in ea, quæ manibus ſuis parauit; & cognitionis Dei ratio eluceſcet. In operibus manuum ſuarum, dixit, non Dei, ſed peccatoris, quomodo ſupplicium à ſupremo Deo detur, & pœnas, quæ à vitijs infliguntur, declarans.*

Conuertantur peccatores in infernũ omnes gentes, quæ obliuiſcuntur Deum.

P*Rænunciando, & conformando ſe diuinæ voluntati inquit, auocentur peccatores, ideſt infideles ab hac præſenti vita, & in infernas partes detrudantur, vbi vltrices pœnæ, & ſupplicia exiſtunt, cum enim illuc peruenerint, conuerſi dicentur; Infernus enim lo-*

cus

eius peccantium est domicilium, sicut iustorum habitatio, paradysus existit. Vel puniantur delectatione mortifera illaqueatæ gentes omnes, quæ obliuione voluntaria Dei altissimi memoriam delent.

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis.

ETiam si pauperis, idest humilis, & eius, qui sine elatione animi est, ac diuitijs pauperis, licet virtutibus diuitis obliuisci videatur Deus, cum mali felicitate floreant, & iusti laborent, non tamen durabit obliuio, nec ex memoria in fine mundi, aut in æternum pauper elabetur, nec contemnetur.

Patientia pauperum non peribit in finem.

PAtientia pauperis, & eorum qui corde compuncti sunt, inanis nõ erit; vel expectatio, inquit Hieronymus, non peribit in perpetuum, quia consequẽtur illud bonum, quod expectant; idest Christum, qui est gentium expectatio. Patientia autem licet non sit secundum essentiam, vt aiunt Theologi, in patria, eius tamen fructus recipietur, quia sicut spiritus non extinguitur, sic patientia non aboletur; secus autem de charitate & iustitia, quæ secundum essentiam in patria erunt.

Exurge Domine non confortetur homo, iudicentur gentes in conſpectu tuo.

PRoſpiciens, ac præuidens pietatis præcones oppreſſos iri, optando inquit, ac pro genere humano orat, Exurge, ne homo amplius ſupercilium tollat, ac facere valeat, quod ſibi libet; & arrogantes, ac ſuperbi ſe eri gant; ſed licet patientia, & longanimitas tibi moram afferant, impios tamen homines proſterne; non enim illi patientia meliores redditi ſunt. Et gentes coram te indicentur, & ſcelerum ſuorum pœnas dent. Aut in bonam partem accipiendo, ideſt protectione tua atque cuſtodia dignæ efficiantur. Sed exurge non quòd ſedeas, & ad nos deſcende, ne homo, ideſt Antichriſtus, aut Dæmon, qui contra nos arroganter effertur, diutius robur habeat, fer opem, puni eos, qui iniurias faciunt.

Conſtitue ſuper eos legislatorem, vt cognoſcant gentes, quoniam homines ſunt.

QVandoquidem omnia faciunt perinde atque cun cta in ſua poteſtate forent, et ſui iuris ipſi exiſterent, conſequenter petit, vt eis latorem legis conſtituat, & legem tradat, quo non ſe ſilueſtres, aut pecudes ratione carentes, ſed ſe homines cognoſcere queant,

queant, quia sola hominis natura legum est capax; & his verbis vaticinatur, ac prædicit alium quempiam latorem legis futurum, & eundem non solum Iudæis, sed gentibus etiam, & aliam legem ab ea, quæ à Moyse lata est, promulgatum iri. Quòd si noui testamenti lex ad omnes gentes non peruenisset, alium scriptorem legis datum iri oporteret expectare; cęterum rerum euentus clamat ad omnes per Christum gentes legem nouam penetrasse. Nonnulli Antichristum latorem legis interpretantur, quia multi ficte Christum sequentes, atque hæretici antichristi vocantur, vt, qui à Dei filio liberari nolunt, veteri homini peccatori seruiant, quia homines sunt. D. Hieronymus legit, pone eis terrorem, ex quo patet, quòd Dauid non requirit, vt puniantur, sed admoneantur, & corrigantur, vt impie non viuant: illis enim loco legis erit supplicium, & addit, semper, vt se homines esse semper, & spem in homine non in Deo, qui solus saluare potest, posuisse quoque sentiant.

Vt quid domine recessisti longe, despicis in opportunitatibus in tribulatione.

Hic secundum Hebr. & D. Hieronymum, alterius psalmi sine tamen titulo initium est, vbi Dauid de Antichristo prædicens, & animaduertens prauorũ hominum res feliciter succedere; iustos vero gemẽtes infeliciter degere: interrogat Deum tanquàm hominẽ, vt quid Domine abijsti longe? & quasi sciens quæsierit,

rit, vt doceret, despicis in opportunitatibus, id est opportune, & in tempore, quo tuis auxilium ferre deberes, quibus visitatione tua opus est, & sinis eos affligi ad inflammandos magis eorum animos tui aduentus desiderio, quia nec in cruciatibus eos consolari, nec contra struentes insidias fouere vis, nam cum iusti ab impijs grauiter oppugnentur, atque opprimantur, perinde ac procul abesses, tuos deseris domine, humanisq; rebus minime consulere videris; cum iniuriam non propulses, & tormenta patientibus opem non feras. At ò Dauid ratio tibi respondet, quòd bonitas Dei, ac tolerantia ad pœnitentiam peccatores adducit, quos peccatum à Deo disiungit. Hieronymus legit, in temporibus angustiæ despicis.

Dum superbit impius, incenditur pauper, comprehenduntur in consilijs quibus cogitant.

IDest, dum superbia extollitur impius, & eius malitia ob prosperos successus augetur, atque improbitas, pauper amore Dei, & bonæ spei ad recte viuendũ studio accenditur, sicut ob hæreses crescit, & gratior est veritatis inuentio, vel incenditur intus, & affligitur; nam qui angustia premuntur, gemitus tanquam fumum ex ore edunt, dum impij superbiam, aut Dæmonis contra genus humanum se efferentis considerant, quod videtur dicere Hieronymus, in superbia impij ardet pauper, id est cruciatur. Comprehenduntur, *scilicet*

cet impij in consilijs, idest cogitationibus, quibus scilicet sanctos capere cogitant, & cogitationes eorum male illis vincula euadunt. Nonnulli de fidelibus dictum putant, quod ij, qui pusillo sunt animo ex ijs illaqueentur, quæ secum ratiocinantur videntes peccatorem laudari; Dei autem iudicia percipere nescientes.

Quoniam laudatur peccator in desiderijs animę suæ, & iniquus benedicitur.

CVm multi videant eos scelera facere, & tamen recte agere rem suam, atque in nullas calamitates incidere, beatos arbitrantur illos, & laude atque admiratione dignos ob ea, pro quibus erubescere oportebat: Et qui ita sentiunt impium esse commendandum, maximo hi sunt animæ suæ detrimento, quòd imitatores eius neqnitiæ efficiantur; & quòd cœlestium diuitiarum expertes cum sint, ac sapientiæ, iudicia diuinæ prouidentiæ tuæ cauillantur, cum peccatorem non potiora, sed iucundiora, non virtutem, at voluptatem appetere pateat. In desiderijs animæ suæ, *quantum ad appetitum eò, quòd carni, & libidini propriæ addicti sunt.* iniquus benedicitur, *scilicet nocens, & iniustitiam contra proximum exercens laudatur quasi Deus, & tua longanimitate, ac mora fit, vt eorum vita laude digna existimetur. Vnde adulatorum lingua, qui eodem errore copias, & gloriam humanam, putant esse diuina dona, dicentes à Deo malis, ac præ-*

uis benedici, animas irretiunt, atque ad peccata alliciunt; delectat enim impios ea facere, ob quæ non solũ reprehensor non metuitur, sed laudator etiam libenter auscultatur.

Exacerbauit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quęret.

E*Orum statum percurrit, qui in hac vita Deũ ignorant, volens ostendere iudicium Dei necessarium fore. Nam si iudicij metus impendeat, hominum iniquitas nullum accipiet incrementum;* secundũ multitudinem. *Dupliciter exponitur, primo modo, quòd peccator vehementi ira accensus Deum non quæret, quia qui perseuerat in peccatis, à magnitudine iræ impeditur, quominus Deum inquirat. Secundo modo, ad Deum referendo, dicitur Deum multum irasci, dum nõ exquirit, vel quia longanimis ipse sit; nec quemadmodum irritatur, ita pœnas exigat; vel quia ob iram magnam modo non punit, vt acriora in futurum supplicia sumat. Et dum quasi obliuiscitur, & peccata non attendit, impius ad honores, ac diuitias per fraudes peruenit, quod Antichristo maxime euenturum est, qui hominibus ita beatus videbitur, vt putetur Deus. Hieronymus primo modo fauere videtur inquiens, Impius secundum altitudinem furoris sui non requiret, scilicet Deum. Aliqui post, suæ, interpunctionem ponunt; deinde legunt, non quæret; adeo irritauit, inquiunt, Deũ*

peccator,

peccator, vt in vehementem iram incideret; veruntamen propter iudicantis benignitatem eadem mensura inquisitio non fiet; vel dum peccator neminem res humanas curare arbitratur, insanit, & furit, & in omne genus impietatis prorumpit, factorum suorum rationẽ nequaquam exquirere iudicem existimans. non est Deus. *Et ideo in intentione eius, & cogitatione Deus non existit; vel ille in conspectu eius Deum non habet; infelix enim consuetudo peccandi hoc fert, vt quanto amplius quisq; peccauerit, tanto minus peccata ipsa percipiat, quæ tanto plus eum delectant, vt ei in mentem veniat dicere, non est Deus; etenim quando suauitate sensus animum delinit peccandi delectatio, statim obliuio futuri iudicij diem occultat: quod si de peccatoribus, multo magis de Antichristo, & Dæmone dictum est, qui Deum lacessiuit.*

Inquinatæ sunt viȩ eius in omni tempore.

IDest mores, & studia, omnesq́; vitæ actiones in malitia demersæ sunt, & cogitationes eius, atque consilia immunda existunt.

Auferuntur iudicia tua à facie eius.

IDest beneficia tua à mente, & è memoria eius effluunt, & sic ille non timet, quia de illis non cogitat, neque ante oculos ea proponit; merito etiã à se iudicia Dei procul pellit, vsq; adeo impius, & flagitiosus in vita præsenti prospere degit, vt iudicia tua quemadmodũ cęcus minime intueatur, quæ à te proferũtur, vnde ani

mus

mus sibi male conscius dum nullam pœnam pati sibi videtur, credit ꝙ non iudicet Deus. Et hæc magna est illius damnatio.

Omnium inimicorum suorum dominabitur.

NOn quòd reipsa dominaturus sit, sed quod ita in animum sibi induxerit; nam nulli sanctorum, ac perfectorum dominatur, sed ijs, qui scelera edunt; vel permissione Dei praui inimicis dominabuntur; & hæc est causa, quare iudicia diuina non agnoscunt; Ita enim traditur Antichristum omnes Reges superaturũ esse, & solum regna obtenturum. Hieronymus legit, omnes inimicos despicit, & pro nihilo pendit, tanquàm eorum nemo illi nocere valeat, quos ipse affligit.

Dixit enim in corde suo, non mouebor à generatione in generationem, sine malo.

VErba sunt arrogantiæ plena, & quæ impudentiam summam præseferant; & ex illius ore exeunt, qui neque Dominum, neque iudicia eius vnquàm nouit; Nõ mouebor à genet. &c. *Quid hac cogitatione stultius in mentem ei venire potest, qui mutationi, ac morti subiectus sit, & perpetuo se fore felicem sibi persuadeat? Quando vir stultus secundis rebus vsus fuerit, & inimicos vicerit, si ab omnibus extollitur, ac suspi-*

ſuſpicitur, miſerrimus omnium euadit, propterea, quod magnam rerum permutationem impendētem haud expectet, ideo proſpera modeſte fert: ſi autem ei aduerſa adueniant, maxime perturbatur, quòd ijs minime aſſuetus ſit, & admodum commouetur. Sine malo.ſ. *oro, ideſt ſine afflictione viuam. Vel ſic,* Non mouebor, *ideſt non mutabor poſtea;* à gen. in gen.*ſ.m. ideſt per totam vitam meam ſine malo.ſ.ero, aut pertranſibo, aut ſine moleſtia degam: ſic legit Hieronymus, ero ſine malo. Ille enim ſceleratus ſe totum vitæ ſuę tempus ſine vlla anguſtia conſumpturum eſſe arbitratus eſt. Vel dixit, fama mea, & nomen multa ſęcula non vigebit, nec ad poſteros perueniet, niſi malis artibus tam excelſum principatum, de quo poſteri ſilere ne queant, adipiſcar, aut ex mortali me immortalem reddam, quod & Simon magus exiſtimauit. Non deſunt qui exponant; non mouebor ſine malo, ideſt tanta mala faciam in vna gente, vt antequàm ad alteram veniam, ante famam meam gentes audiant, ideſt tantum calamitatis accipient, vt timeant. Vel de terra cum corpore in cælum conſcendam ſine malo, ideſt ſine iniuria, tentabit enim ad montem Oliueti aſcendere; ſed Dominus ſpiritu oris ſui eum interficiet.*

Cuius os maledictione plenum eſt, & amaritudine, & dolo ſub lingua eius labor, & dolor.

M*Aledictum certe magnum eſt tam nefarijs artibus ad cælum aſpirare; plenum os eſt, quia hæc*

cupiditas

cupiditas inanis erit, sed tantùm ad eum perdendum valebit, qui sibi hoc polliceri ausus est. Cum amar. & dol. idest ira, & insidijs, quibus ad se multitudinem allecturus est; vel conuitia omnibus, & iracundiæ per bona verba, & flagitiosa dicit, & plenum est os, cum non ex animo sermonem facit; sed alia dicat, alia sentiat. Sub lingua, *quia lingua detrahit, aut ea loquitur, quęcunq; laborem, & damnum ijs afferunt, quibus insidias parat; aut quia in eius doctrina labor est, ac dolor, quorum participes erunt illi, qui ei obtemperabũt. Sub lingua, dixit, non in lingua, quia tacite cogitaturus est ista, alia autem hominibus locuturus, vt iustus, & Dei filius videatur.*

Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.

L*Atroni eum comparat, sedet, inquit Dauid, cum diuitibus, quos huius sæculi muneribus afficiet Antichristus, quoniam eorum falsam fęlicitatem ad decipiendos homines ostentabit, qui praua voluntate dũ esse cupiunt, & bona æterna non quærunt, in laqueos eius incident.* In occultis, *vbi non facile intelligitur, quid appetendum, quiduè fugiendum sit. aut ignoretur, quis ipse sit, vt innocentem interimat, nocentem eum iudicando. Vel aliter, Dęmon, & qui omnino perditus est Antichristus, in ijs, qui abundant ignorantia, & iniustitia, insidet; in ijs vero, qui cognitione, & virtute*

& virtute prædití sunt, minime; ideo latet cum ijs, qui vitijs ditiores sunt, idest auari, quibus ex rapina, & cędibus comparare opus est, vt diuites euadant, et qui in delictis præclariores sunt. Quos velut secum sentientes eadem, socios, ac consiliarios habebit, cogitans quomodo in occultis propter simulationem, mortem illis afferat sine causa; qui nullam ei iniuriam fecerint.

Oculi eius in pauperem respiciunt, insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua insidiatur, vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.

OCuli eius Antichristi, scilicet siue Dęmonis peruersi contra pauperem spiritu ardent, ac humano robore atque potentia, nec non bonis carentem, cui semper insidiatur; & in quem fraudem omnem excogitat, vt eum à Deo desciscere compellat, & morte animæ etiam interficiat, si hoc consequi possit. Sin minus; vt saltem de medio tollat; & hoc faciens insidias occulte struit tanquàm leo in spelunca sua, idest in cubili suo, conquiescens, & hoc agit, vt rapiat pauperem, scilicet spiritu tum verbis mendacibus, tum factis dolosis; omni enim studio, ac diligentia vtitur, vt hominem Dei rapiat, deq; statu eum deijciat, quem cum rapuerit, in laqueum suum trahet, vt deuoret: & dum, at-

trahere, verbo vsus est, rapinæ modum magis declarauit, significat enim quibus potest cruciatibus ad se adducit. Et forte geminauit vates, vt exaggerans Deum magis ad vltionem excitet. Hieronymus legit, robustos, quia pauperes in ijs, quæ ad spiritum pertinent, nõ in ijs, quæ ad mundum, maxime robusti sunt. Sciendũ est autem tria vexationum genera tradi; prima fuit Imperatorum Romanorum temporibus violenta, cum ij, qui Christum sequebantur, ac venerabantur, pro scriptionibus, tormentis, atque cædibus ad sacra idolis facienda cogerentur; altera fraudulenta; quæ quotidie ab hæreticis, ac falsis fratribus exercetur, atque impunitur. tertia Antichristi ventura violenta, & fraudulenta erit, quia vim in imperio habebit, in miraculis dolum; leo refertur ad dolos, violentia tribuitur, dum attrahit; quæ conuerso ordine repetita sunt.

In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, & cadet cum dominatus fuerit pauperum.

CVm signa illa facere cœperit, quanto mirabiliora illa fuerint, tanto sancti, qui tunc aderunt, magis contemnentur, quos ille, quòd iustitia, & innocentia illi resistent, miris factis superare videbitur, in laqueo tamen suo, idest dolo, & calliditate eum Dominus humiliabit, idest in terram proijciet; humilis enim est, qui in terram prosternitur, & cum dominatus fuerit pauperum impius, idest qualibet seruis Dei resistentibus

bus irrogauerit, inclinabit se prius, post cadet, id est peribit, & cum ob nimiam felicitatem ad ocium animum defiget, & intendet, tunc repentino cadet interitu, quo niam à Christo spiritu oris sui interficietur. Alij sic exponunt, cum impius pauperibus dominatus fuerit, quisquis tyrannidi illius mancipatus fuerit, is omnino inclinabit se, & cadet, id est deprimetur, & in terra iacebit, tanquàm ij, qui in bello cæsi prosternuntur. Cui opinioni adstipulari videtur D Hieronymus inquiens, confractum scilicet pauperem subijciet, & irruet viribus suis vehementer, id est more luctantium in eum totis viribus incumbet etiam leo primùm, animal prosternit, deinde sub potestate redigit, demum incumbit in eum; causa autem est falsa securitas, quam in animo ante concepit, quod Deus oblitus sit.

Dixit enim in corde suo, oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finem.

HAec est inclinatio, & casus miserrimus, dum humanus animus in iniquitatibus suis se prosperũ, & felicem censet, & parci sibi putat, cum cæcetur, & ad vltimam vltionẽ in die iudicij reseruetur, oblitus, vel pauperum, ne eos seruet, vel sui, ne eum puniat. Aliqui aiunt Dæmonem dicere, oblitus, non quòd ita sit, sed nos decipere quærentem, vt erremus Deum res humanas negligere existimantes; ex quo apparet ꝙ Antichristus erroris huius fautor erit, ꝙ Deus inferiora

ra non curet, nec mundum prouidentia sua regat, atq; gubernet. Auertit ne vi, idest priuauit protectione, & custodia sua, ne perspiciat, quæ fiant in finem, idest omnino.

Exurge Domine Deus exaltetur dextera tua, ne obliuiscaris pauperum.

E*Xurge, quia dormire videris domine, quādo bonos affligi pateris,* Exaltetur dextera, *idest potentia tua manifesta sit more percutientium, qui manum in altum tollunt; vel flagellet, & puniat. Doce te pauperis immemorem non esse, nec auertere faciem, at curā gerere; atq; longanimitate, ac lenitate reiecta contra impios appare in iudicium; ac potestatem iudiciariā exerce. Exurge, motum ad vltionem indicat; Exaltetur, magnam infligi plagam debere significat.*

Propter quid irritauit impius Deū? dixit enim in corde suo, nōn requiret.

M*Oleste ferens Dauid Antichristum tam magna moliri, interrogans inquit, cur prouocauit Deum sceleratus iste? Et dixit in animo suo; prauorum hominum flagitia non requiret, nec quid ego facio, quia existimauit, vt dictum est, Deum rebus terrestribus non consulere; tanta enim eorum scelera, atque*

facinora

facinora in causa sunt, vt impij ea in disquisitione à Deo positum iri non arbitrentur.

Vides, quoniam tu laborem, & dolorem consideras, vt tradas eos in manus tuas.

VIdes, humano more loquitur, contra eorum opinionem, qui in arrogantiam lapsi dicunt, hæc te minus curare, quoniam tu laborem, quem praui bonis inferunt, perspicis, & dolorem eorum, qui iniurijs affecti sunt, & subtiliter discernis, vt eos in manus tuas tradas, id est pœnis mulctes, quos ab initio euertere poteras, sed ad pœnitentiam eos expectas. Vel vides, vt id est quomodo Antichristum, & socios eius in potestate habes, & tamen contra eos iustitiam nõ exerces, nec illos vlcisceris, cum tu animaduertas, quam isti afflictionem tuis inferant.

Tibi derelictus est pauper, orfano tu oris adiutor.

PAuper tuæ tuleræ relictus est tanquam Deo, qui omnia huius mundi bona contempsit, vt sis eius spes, cui mundus hic moritur. Et orphano tu opem feres, qui malignum patrem abiecit, & non alium præter te patrem habeat. De fideli populo ille intelligi potest, qui omnia reliquit Abraæ exemplum imitans,

sed de his quoque qui diuersis temporibus pupilli sunt, & orphani, qui ab hominibus deseri solent, & à Deo defenduntur, quos ditare potest, vt dicebat Dauid, pater meus, & mater mea dereliquerunt me, & Dominus assumpsit. Qui vere autem pauperes, & pupilli sunt, hi sibi auxilium à Deo adesse sentiunt.

Contere brachium peccatoris, & maligni, quęretur peccatum illius, & non inuenietur.

DIgna viro sancto est petitio, contere peccatoris potestatem, illius scilicet, qui carni deditus maxime appetitui seruit, & contra Deum peccat; & maligni qui proposito, & voluntate prauus est, & proximum lædit; non enim absolute peccatorem interire vult, sed eius vires, ac potentiam, & improbitatis fomitem consumi. Si peccatum praui exquiras, non inuenietur, scilicet in hoc mundo, & perit peccator. Vbi Iudæ auaritia? vnà cum fructu radix quoque interijt. Hoc Antichristo eueniet; quæretur enim, idest vindicabitur, & ipse propter facinus suum penitus delebitur.

Dominus regnabit in æternum, & in sæculum sæculi, peribitis gentes de terra illius.

QVia regnum eius finem habiturum non est, & iusti, qui eius participes sunt, perpetuam regni possessionem

possessionem adipiscentur. Sed gentes, peccatores, & impij videlicet, qui Deum non agnoscunt, nec salutis, pręmium acceperunt, de terra illius eijcientur: perierunt, legit Hieronymus, quæ terra, anagogice, dicitur cor iustum, vel terra mitium, vt alibi, videre bona in terra viuentium, & beati mites, quoniam terram possidebunt.

Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

D*Esiderium pauperum, qui bona mente cum præditi sint, eorum oratio efficax est, quam audit, qui corda scrutatur, extitit, vt is, qui dominabatur illis per tyrannidem, caderet, merito manifestum Deo fuit, vnde exaudiuit eos, quia quæ cupiebat animæ desideranti largitus est, & præparationi mentis eorum, vel promptitudini aurem admouit, idest potentiam, qua exaudit, & ita quibuscunq; membris nominatis, quæ in nobis corporea sunt, actionum potentias, ne ista sæpius repetantur, semper interpretari debemus.*

Iudicare pupillo, & humili, vt non apponat vltra magnificare se homo super terram.

H*Oc vehementer optat iniuria affectus, vt pupillo, qui huic sęculo non se conformat, & humili,*

idest non superbo, & qui suæ virtuti non innititur, iudicet pro eis sententiam ferens, quod si fiet, is, qui rex est sæculorum iudex vindicabit illos, qui omnibus in hac vita bonis carent. Vt non apponat, *vt videns ille oppressorum iniurias vltum fuisse Deum, non glorietur amplius, nec se extolli audeat super terram, idest inter homines; vel homo super terram, idest terrenus, vel, vt legit Hieronymus superbiat homo de terra, idest vilis, & ex terra formatus, & magnifacere se cogitet, & sibi persuadeat. Et quoniam Dauid hæc ecclesiæ nomine cecinisse videt, quæ ad eam, & ad eius membra aptissima quadrent eum nos imitantes primum immensas Deo gratias agamus, sicut indies munus hoc obire debemus, quòd inimicum generis humani, principem mundi huius damnauit, Et regno priuauit, idest gentibus, quæ idolis addictæ erant; & eũ magnopere laudemus, qui vere pauperes, & humiles non despicit, quod ipse vates in se ipso expertus est, & ecclesia quotidie periculum facit, quam hactenus non deseruit D. Iesus Christus, qui patrem rogauit pro Petro, ne deficiat eius fides, nec vnquàm derelicturus est, & impios, ac scelestos in inferos locos demerget, vt voces, ac preces seruorum suorum se exaudisse ostendat, & eorum patientiam, atque constantiam esse remuneraturum; Deinde oremus, vt nobis semper adesse velit clementissimus Deus, & consoletur, ac saluos faciat. Demum pauperes spiritu velimus esse, qui mundi huius caduca bona floccifaciant, vereq; pauperes, & orbi, quia obliuioni non mandabit nos ipse; at frequentemus orationem, & in gratiarum actione vigilemus.*

lemus, patientiaq; illa armati simus, quæ ad victoriam perueniat, quia ipsa non peribit; oppugnationes enim à Dæmone, & à prauis hominibus patiemur, sed non superabimur, si confugerimus ad Deum, totamq; nostram in eo fiduciam collocauerimus; ipse enim Dæmon Cypriano mago Iustinæ amore ardenti interrogatus respondit sibi artem nullam prospere successuram esse aduersus eos, qui vere Christum colerent. Deum ergo optimum precemur, vt quæ nostra virtute obtinere non valemus, eius auxilio, ac patrocinio assequamur; ac ne nos tentari sinat is supra, quàm à nobis sustineri queat, ipsi Domino nostro assidua oratione instemus. Qui vivit, & regnat æternis sæculis. Amen.

IN

IN PSALMVM X.

IN DOMINO CONFIDO.

IN finem Psalmus Dauid, hæc est inscriptio. Dictauit psalmum hunc Dauid Saule eum exagitante, dũ consulentes nonnulli, ei suaderent; vt fuga sibi salutem daret; In finem, *quia vltionis, quam Deus eius gratia in Saulem parauerat; siue iusti iudicij Dei, & pænę sceleratis infligendæ prædictionem continet. D. Hieronymus ait. Victori Dauid: ac merito, is enim hunc cecinit post calamitatem, quam acceperat. Alij inquiunt sibi videri contra hæreticos canticum hoc canendum esse, qui multorum peccata exaggerantes quasi apud ipsos omnes, aut plures iusti existant, de vnius matris ecclesię complexu nos auellere, atque abstrahere moliuntur affirmantes apud se Christum esse, at mentientes, vt ad eos accedamus.*

In Dño confido quõodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer.

VOx est perfecti, qui valet Apostoli verba dicere, Quis me segregabit à charitate Christi, quiq; ob eam fiduciam, quam in Deo posuerat, se ab hostibus erutum fuisse ostendit. Ex quo conijcitur spei in Domino magnas esse vires, præsidium quod non vinci, murũ

qui

qui expugnari non queat, turrim quæ capi potis non sit: hac spe atque fiducia an non mulieres viros, tyrones pueriq; veteranos, ipsum denique mundum superauerunt? at imperfectus ille est, qui afflictionis tempore ex hoc in illum locum migrat tanquam passer circũ volant, vt venatores fugiat, quos si effugerit, iure poterit dicere, anima nostra tanquàm passer de laqueo venantium erepta est. Hæc plenus sapientiæ Dauid considerans, respondet ijs, qui eum fugere, & fugæ tutam viam quærendo sibi cauere, ac salutem retinere hortabantur; Domino confido, *eum, qui orbis terræ dominus est, socium habeo, ac ducem; quare dicitis animæ meæ, idest mihi ipsi, vt passeris instar me ad montes trãsferam? vel, secundum moralem sensum, fidelis contra hæreticos ait, Domino confido, eius fidem seruans; quo pacto vos hæretici fari audetis, veni in montem, scilicet Christum, quem vos habere creditis? vel in montẽ, idest intellectus eminentiam, qua vos præditos esse arbitramini? & sicut passer ad nos transi.*

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, posuerunt sagittas in pharetra, vt sagitent in occulto rectos corde.

A*Mentiam, & imprudentiam eorum insectatur, qui sanctis infesti sunt, eosq; malitiæ suæ telis perfodere nituntur, quiq; tanquàm in nocte miseri nõ vident, quos iaculis petant, cum eorum propositum*

scopum

scopum esse constet, vt fraudibus, ac dolis contra nos vtantur. Nam bellatorum similitudinem non rem habentes intendunt arcum, non feriunt, sagittas parant, Deo probibente non iaculantur; quare dolos struunt, & non rectà aggrediuntur, & propterea illos, qui in tenebris sagittas iaciunt, maxime irrideo; & eò magis confido, quòd ij scelesti sunt, qui aduersum me bellum gerunt, quiq; temere in me insultant, cum salutis eis causa fuerim; quorum arcus est impura mens. Sed quis tales timebit, aut fugiet, qui opitulantem Deum habeat? rectos corde, *non sibi summam virtutem vendicans, sed se contra Saulem nibil excogitasse conscius.* Vel, *hæreticorum terrores sunt minantium, vt ad eos tanquàm iustos adeamus, quoniam ipsi arcum intenderunt, idest ad se scripturam sacram aduocarunt, atque traxerunt, quam illi perperam interpretantes venenatas in pha retra, in memoria scilicet sententias, præpararunt, quas emittant, vt iustos in obscuro, idest dolose, & in subtilitatibus scripturæ sanctæ, vel in obscura Luna, vt aliter legitur, sagittis configant, cum propter multos imperitos ecclesiæ lumine obscurato se conuinci non posse senserint. Hieronymus legit, super neruum, pro pharetra, in quo prauorum cupidus ad nocendum animus apertius notatur.*

Quoniam

Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt.

AD Deum sermonem conuertit, Et non modo contra inimicos suos, sed contra omnes etiam hæreticos ait, isti me terrent Domine, quia legem, & præcepta tua destruentes tecum pugnam committunt, quæ in vtilitatem nostram fecisti, & me quem in Regem elegisti, ac vnxisti, deijcere conantur; ac scelus hoc in me edunt, quia legis præuaricatores sunt. Et Hieronymus confirmat inquiens, quia leges dissipatæ sunt. Vel, omnes hæretici laudem, quam ex ore infantium perfecisti, neglexerunt, scripturam male exponendo; vbi, nisi in conuenticulis suis? ac paruulos, & lucis interioris ignaros non alunt lacte, sed veneno necant.

Iustus autem, quid fecit?

QVid egit Iustus, de seipso Dauid loquens, vt huiusmodi afflictionem sustinere posset, veluti, qui nemini iniuriam intulerit. Vel, Deus, qui proprie, ac vere iustus dicitur, post flagitia tanta ab ijs facta, quid efficit? nunquid non videbit? Vel, si hæretici offendunt, Christus non ne pacem dat?

Dominus

Dominus in templo ſancto ſuo;
Dominus in cælo ſedes eius.

VNde ſe iuſtus contra iſtos armauerit, qui aciẽ inſtruxerunt, audiamus. Ad dominum, qui eſt in cælis, qui vbiq; adeſt, ac præſens eſt, confugit, non arcum intendit, non pharetram parauit, ſed ſpe in Deũ, qui ſolo nutu omnia perficit, contra omnes ſe muniuit. Dominus in templo, *ſcilicet eſt, qui per potentiam omnium dominus eſt; & ſuam in terreno templo faciem exhibet, orbemq; inſpicit vniuerſum, & nihil eorum, quæ in terra ſunt, ſpernit;* Dominus in cælo ſedes, *ideſt regnum eius, & diuine atque admirabiliter regnans ſedem in cælis habet. Vel,* in templo, *ideſt in ſuis fidelibus, templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Quis quis autem templum hoc violauerit, ideſt vnitatem, diſperdet, & illum Dominus diſſipabit.*

Oculi Domini in pauperem reſpiciunt, & palpebræ eius interrogant filios hominum.

IDeſt perſpicatrix illa vis, qua Deus cuncta perſpicit, in pauperem diuitijs, non in pauperem virtutibus intuetur. Vel in pauperem, fidelem ſcilicet populum; Et oculi ei aſſidentes, eius miſerentur, & illum minime læſum cuſtodiunt. Palpebræ vero facta, & men

tes

tes hominum exquirunt. Vnde clementia iudicis magis innotescit: Nam si oculis non palpebris exquireret, intolerabile iudicium existeret; sed cum eorum actiones palpebris perpendat suis, non omnia eorum delicta, qui iudicantur, neque qualis sit magnitudo, quærit. Recte igitur, & congrue dicimus Deum oculos in illum, qui beneficijs afficitur, licet vnus idemq; pauper existat, palpebras in filios hominum multos conijcere, vt beneficia large palamq; conferantur; supplicia vero à Deo illata abdita sint. Oculi enim omnium rerum, quæ fiunt exquisitam cognitionem illam indicant, palpebrę eius cognitionis velum, quia & si videtur ipse non aspicere, nihilominus tamen cernit: siue vires intelliguntur iudeiciariæ eius prouidentiæ, quam in iudicatione rerum adhibet; nam eæ iustorum, & iniustorum facta examinant, quia ex filijs hominū idest hominibus aliqui meliores efficiuntur, peiores quidam. Hieronymus ex Hebr. legit, oculi eius respiciunt, nec addit, in pauperem; ad significandum, quòd diuino cōspectui patent vniuersa, nec illum, quamuis altissimum quicquàm latet.

Dominus interrogat iustum, & impium, qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

C*Hristus dominus est, ante cuius tribunal omnes se sistere oportet, quòd cunctos iudicet, vt referat vnusquisq; quæ gessit, Et quia in iustos, & iniustos tela, ac flagella immittit, & bonis, ac prauis terrena bo-*

na

na tribuit, ideo sap. xi. dicitur, hos, idest bonos tanquã pater probasti, illos scilicet malos tanquàm rex durus condemnasti. Et cum Deus afflictionibus periculum de aliquibus facit, si quis in angustijs positus vere, atque ex animo diligit, iustum examinat, & interrogat humano more, vt eum prœmio afficiat, peccatorem autem, vt damnationi eum addicat. Qui autem diligit, &c. odit, &c. *Quia malitiam, quæ iniquitas est, adamauit, peccando animam pretiosam opum, ac diuitiarum, & auaritiæ causa supplicio dignam reddidit. Quapropter dicitur, quid prodest homini lucrari vniuersum, si animæ detrimentum ille patiatur, cuius contrarium agit is, qui iuste se gerens proximum sicut seipsum diligit, & ad virtutem allicit: nec hoc contra illud dicit, non resurgunt impij in iudicium, quia ibi de vere impijs intelligitur; hic vero de peccatoribus, qui Deum negligunt, sermo habetur. Cum itaque vitium animæ aduersum sit, quandoq; ante supplicium dat pœnas improbus. Quomodo autem quis se vel animam odio habere potest? dicendum, quodammodo, nõ simpliciter hoc euenire, quod sic declaro. Anima aut secundum rationem Deum respicit, aut carnem secundum sensum; sicut quælibet res proprium amat bonũ, sic homo diligit, quod præcipuum putat, qui ergo sensum, vt principalem arbitrantur, amant eum; qui vero intellectum, eundem diligunt. boni ergo sensum, mali intellectum, & rationem odio habent, quod in euangelio dicitur, qui odit animam suam, id alia ratione exponitur, quia hic, & ibi non eodem modo accipitur dictum. Hieronymus legit, Dominus iustum probat, impium*

impium autem, & diligentem iniquitatem odit anima eius, idest Deus, in quo nec corpus, nec animam existere nemo prudens ignorat.

Pluet super peccatores laqueos, ignis sulfur, & spiritus procellarũ pars calicis eorũ.

P*Ostquam ex peccato pœnam ortam esse narrauit, quoniam multi eam negligunt, mentem concutit Dauid expressa, & vehementi oratione vtens, ac magnitudinem pœnarum sceleratis impendentium exaggerare volens, eis sodomitarum supplicia minatus est, non vt hæc sit illaturus ipse Deus, sed per ea, vt omnia suppliciorum genera indicet; & dictionum translatione pœnam quæ vitari nequeat, vim scilicet consumentem, & feriendi facilitatem ostendit;* Pluet laqueos, *citra spem effugij supplicium intelligit; impedimenta infert, vt cadentes impediantur, quominus propositum peccatum perficere nequeant, & quærant, qui eos stratos subleuent: Est vero pars calicis, idest supplicij à Deo infligendi, Ignis, vt conflagrationis minas, sulfur, vt eius causam, spiritus procellarum, vt ventum, ac verticem tentationum significet, quòd si pars calicis eius, idest hæc tria supradicta, adeo est intolerabilis, quid de reliquis suppliciorum generibus dicendum est? Vel pars calicis, quia pœnæ secundum meritorum mensuram dantur. Aiunt aliqui scripturæ morem esse, pro parte calicis non nunquàm totam hæreditatem si-*

gnificare, vt alibi, Dominus pars hæreditatis, & calicis mei, & portio mea sit in terra viuentium, ideſt hæreditas, vt declaret non particulam, ſed totam mercedem eſſe Dominum: Et hæc tria tormenta iam dicta hic accipi, totam impiorum mercedem fore.

Quoniam Iuſtus dominus, & Iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.

C*Auſam quoque affert, cur hæc infligat Deus, quoniam hoc eſt eximium Dei, quæ iuſta ſunt, admittere; & quia Iuſtitiæ ipſe fons eſt, æquitatem amplecti, qua, tanquàm clauo vtens omnia regit; & quæ nefaria fiunt, minime ſuſtinere.* Et Iuſtitias dilexit, *quia ei curæ fuit pauperum ſalus. Verum cum Deus natura iuſtus ſit, iuſtitias quæ ſanctis plerunq; inſunt, amplectitur, ſingulorum voluntatem, ac propoſitum gratum, & acceptum habens*, vel Iuſtitias diligere *intelligimus, quoniam cuiuſlibet iudicij iuſtitia quędã eſt; multa ſunt autem iudicia Dei, ſicut alibi, Iudicia Domini vera; ergo iuſtitias multas eſſe neceſſe eſt; quemadmodum ergo iuſtus eſt Deus, ita etiam æquitatem cernens, ideſt mentem, quæ recta ratione regitur, hanc in vtentibus illa, cum lætitia perſpicit. Vel in iuſtis multis, iuſtitiæ quaſi multæ eſſe videntur., cũ vna tantum exiſtat, qua omnes participant, tanquàm ſi vnus vultus ſpecula plura intueatur.* Æquitatem vidit vultus, *ideſt in notitia eius æquitas viſa eſt; vul-*

tus

tus enim est notitia eius, ac vidēdi potentia; vel vidit, quia non prauis, sed bonis, (quod est æquitas) se no scendum præbet. Hieronymus legit, rectum videbunt facies eorum, idest vultus eorum quos dilexit, probare, ac sectari debebunt, quod rectum est, & bonum. Mystice de Christo posset exponi, quod in Euang. dicitur, Abi hinc, quia te occidere vult Herodes, quibus ipse respondit, ite ei illi vulpi dicite, & c. sed hæc à nobis dicta, satis sint. Imitemur tantùm Dauidem, qui ob fiduciam, & spē, quam in Domino collocauerat, noluit eos audire, qui sibi consulebant, vt ad montes, ac loca tutissima adiret; nec aduersariorum insidias, ac minas formidauit, quòd Deum adiutorem haberet; nam nos quoque Deus benignissimus proteget, ac tuebitur, si nos ipsos ei penitus commiserimus, ac tradiderimus, in optimis illis actionibus versantes, quæ illi admodum gratæ sint. Itaque fieri etiam nos pauperes studeamus, vt oculi domini nos respiciant; nisi enim diuites pauperes euadant, locupletes Deus non intuebitur: oculis autem eos libentes cernit, quos præstanti beneficientia vti perspicit; Et æquitatem plurimi faciamus; si enim rectum, quod cum virtute, atque officio fit, vehementer dilexerimus, et honestū quod vi sua, & propter se expetendum est, secuti fuerimus, vt præpotenti Deo placeamus, ab eoq; gratiam ineamus, & cælestis regni nos consortes esse, & vultum illius in cælo contemplari nobis licebit, qui viuit sempiternis sæculis. Amen.

IN PSALMVM XI. SALVVM.

IN finem pro octaua, Ps. Dauid. Eadem est ferè inscriptio cum sexto. Ac præter illa, quæ ibi diximus, notandum est, pro octaua intelligi posse diem illum, quo Christus surrexit, qui dies, & primus dicitur, quia communis est cũctorum opinio eum omnium dierum, & mundi ipsius fuisse principium, Et octauus, quia rursus post sabbatum redeat, in quo gentes vocatæ sint, & pueri non obseruato sabbato circuncidãtur; atque eundem diem, quo à mortuis se excitauit Christus, nobis octauum, siue futurum, siue æternum sæculum, aut requietem æternam nobis significare constat, quam præterito septenarij tempore sancti habebunt. Hæbrei autem octauam de quodam instrumento octo cordas habente interpretantur, In quo trium phalia cantica canebantur. In hoc autem Psalmo Dauid eos accusat, qui fraude vtentes, atque amicitiam prætexentes prodebant illum inimico Sauli, & vbi is latitaret, statim indicabant; nec non Christi optat aduentum ad vlciscendos eos, qui à Dæmonis tyrannide opprimuntur, & idolis seruiunt, quippe qui aucta hominum malitia, & errore, ita vt nec veritas, nec misericordia, nec Dei cognitio in terra existeret, ad diluenda huiusmodi crimina valde necessarius erat: atque mundi iniquitatem deleri, ac destrui cupit, vt ad promissionis futuræ veritatem perueniatur. Eorum quoq;

nomine sermonem habet, qui euangelium suscepturi erant; tunc enim sancti defecerant, quando Christus Dominus ad nos venit.

Saluum me fac, quoniam defecit sanctus.

Considerans igitur Dauid aduersarij malitiam nō mediocrem, & periculi magnitudinem, quasi timens exclamat, ac stupore oppressus ad auxilium diuinum confugit inquiens. Ego à te salutem peto, & cælesti ope indigeo, cum enim viam persequar, qua nullus ferè ingreditur, magna mihi prouidentia opus est; præter te enim nemo est, qui salutem dare queat. Sanctos hic appellat, qui mundo corde, & pura mente amicitiā tanquàm rem sanctam admirabilemq́; colunt. Et sanctus, idest Deus, qui vbiq; præsens quantum pertinet ad homines, defecit, quia non credunt in eum; vel defecit sanctus, idest homo non inuenitur, qui Deū timeat, vt ostendat, eos qui sanctitate præstabant, etiam perijsse; duo autem, Timor scilicet, & veritatis amor à malo custodiunt.

Quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum.

Veritas in intellectu diuino vna est, qua illustrantur animæ sanctæ, quæ cum multæ existant, &

multæ ecclesiæ & vna, sic & in eis veritates multas inesse dicendum est; quia multorum iustorum opera existunt, & plures qui faciunt bonum; sicut à facie vna in pluribus speculis imagines plures apparent, atque oriuntur. Vel veritates, ait propheta, quia triplex in sanctis veritas reperitur, vitæ, memento quomodo ambulauerim coram te in veritate; Doctrinæ, *scimus quia viam Dei in veritate doces,* Iustitiæ, *elige viros timentes Deum; in quibus sit veritas; à qua iustitia veritate dolet Dauid Saulem desciuisse; at istæ veritates non à seipsis diminutæ fuerunt, sed à filijs hominum, quorum causa deprauatæ sunt; quia sancti siue prophetæ, siue patriarchæ superstites non erant, quorum paucitas harum multarum hæresum, siue sectarum fortè causa extitit, & multifariam imminuti erant, quia summa veritas Iesus Christus nondum venerat. Aut veritates, intellige, fidelitates tam ad Deum, quàm ad proximum spectantes; magna enim est gemitus causa, quòd fidelitas defecerit; Nam vix inueniuntur, qui Domino fideles sint, & iuste illi seruiant; vel etiam in proximos suos, quibus cum versantur, sinceram, & summam retineant charitatem. Cui sententiæ fauere videtur Hieronymus legens, diminuti sunt fideles à filijs hominum &c.*

Vana locuti sunt vnusquisq; ad proximum suum.

D*Vo hic vitia narrat, & quòd vana locuti sunt, & proximo etiam suo; duplex enim sanctitatis est defectio, vanitas scilicet, & dolus; Et quæ per au-*

daciam

daciam patrare audent, aperte declarat, videlicet, q amicitiam verbis prætexunt, & factis sese hostes demonstrant; vana idest dolosa, vel quæ non existant, quia veritati, quæ vna est, nihil vani subest; vel vana, idest falsa, & inutilia; sic enim communiter, quæ absurda sunt, ac temere fiunt, appellari solent. proximum, omnem scilicet hominem intelligere nos oportet, quia flagitium cum aliquo committendum non est.

Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.

P*Er labra ipsum dolosum intelligit à parte totum, qui duplici corde, ac mente noxia locutus est, geminatio enim illa ore vnum, corde alterũ significat, quod hostibus maxime acerbum est; nam illi patent, vnde caueri possunt; hi vero aliam personam induti ab ijs, quibus insidiantur, deprehendi nequeunt. More autem græco dictum est, labra; supplere enim oportet κατά, i. per: Nam dolo, & lingua, et mens iudæorum plenæ fuerunt, ac propterea ad dominum accedentes tentabant eum, qui tentari non poterat.*

Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguã magniloquã.

P*Oenam hic minatur, & pro eis orat, non vt ipsi perdantur, sed vt de medio illorum vitium tollatur, non enim dixit eos, sed labra; rursus non naturã,*

sed linguam; arrogantiam, & fraudem auferri, superbiãq; excindi cupiens, quia nihil æque humanos mores labefactat, ac superbia, & dolus. Vniuersa, *dixit, ne quis se exceptum putet;* linguam magniloquam *idest superbam, vt arrogantes, ac tumidos indicet; nã diuinæ, & non humanæ virtutis erat illorum malitiã superare. Solus enim ipse Dominus disperdet labra dolosa, & os impium obstruet, ne contra Iesum, quem con uitijs insectabantur, robusti esse possint.*

Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?

V*Idetur superioris dicti esse interpretatio; qui intra se magna cogitant, & se iactant, vt hypocritæ; qui in sermone suo spem ponentes ad decipiendos homines intendunt animum, & Deo subiecti esse nolunt; vel philosophi, qui clamant, vt ad eos adeamus, si felicem vitam degere velimus, aiunt,* linguam nostram *roborabimus, ea vt magna dicat;* labia nostra à nobis sunt, *idest in potestate nostra; est enim nobis loquendi libertas, quæcunq; volumus; vel labrorũ nostrorum potestatem habemus; quis est, qui imperet nobis, & magna loqui nos prohibeat?* Quis noster Dominus? *quæ sunt delirantium, & amentium verba, quasi nullus iudex futurus sit; non enim sermones cũ re ipsa, & natura metiuntur, sed impudenter, quicquid libet effutiunt, vt Pharao, & Nabucdonosor, diuinã*

longa

longanimitatem nihili facientes; Et quasi sui iuris sint isti, pro libidine labris abutentes Iesum Dominum nostrum calumnijs, conuitijsq; iactare ausi sunt, se illius verbum, ac doctrinam extinguere arbitrantes. Huiusmodi fuerunt Phariseorum, & scribarum labra, qui per simulationem magistrum appellantes ipsum obseruabant, vt in sermone eum deprehenderent; Magniloquentia etiam, & iactantia pleni erant illi seniores, qui à Domino sciscitari audebant, in qua potestate hæc facis.

Propter miseriam inopum nunc exurgam dicit Dominus pauperũ, & gemitum.

QVi propter me inopes, idest opibus carentes, & pauperes spiritu, parum scilicet habentes effecti sunt, & ingemiscunt, ac lugent, humilitatem amantes, ac se abijcientes, continenterq; mihi supplicant, inuiolatam fidem seruantes, eorum gratia nunc exurgã, vt celeritatem indicet, & patientiam tanquàm somnũ excutiens; in calamitatibus constitutos ab omni miseria, & gemitu liberabo; Et quis est, qui Deum ad vindicandum surgentem non timeat? Exurgere hic est annuere, quòd se manum laborantibus porrigere parat; ex quo discere licet, quanta humilitatis vis sit, & quæ pauperum, & eorum, qui corde compuncti sunt, virtus existat, ac potentia; non enim vitam, ac virtutem, sed malorum perpessionem excitare Dominũ Deũ, & ad supplicium de impijs sumendum prouocare inquit

quit Dauid. Inopes autem, vt non nulli aiunt, ij vocātur, qui à diuitijs exciderunt, pauperes qui labore victum quæritant. Inopes vero fuere infideles, qui nec prophetas, nec legem habebant, pauperes, Iudæi. Vaſtitatem legit Hieronymus, quia vexati, & deſolati erāt inopes paſtorem non habentes. Aiunt aliqui hæc ad gratiæ tempus referri, & Dei patris vocem eſſe per filium humani generis liberationem promittentis, vt dicat pater, exurgam, ideſt in filio apparebo.

Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.

IDeſt cum fiducia, & aperte, ac manifeſte eos defendam, vt omnes intelligant; & illuſtrem eorum ſalutem faciam; vel ponam in ſalute, ideſt eum ſaluum faciam. Hieronymus legit. ponam in ſalutari auxilium eorum, ideſt in Chriſto Ieſu, & conſolationem pauperum in eo. Fiducialiter, *inquit pater, omnia per ipſum faciam, & in eo ero; erat enim Chriſtus docens tanquàm poteſtatem habens, & non tanquam ſcribæ.*

Eloquia Domini, eloquia caſta argētum igne examinatum purgatū terræ purgatū ſeptuplū.

AIt propheta, ne minas inanes eſſe arbitremini; nam verba domini pura ſunt, & à mendacio libera, atque ſine ſimulationis corruptione caſta; nam ſicut

sicut argentum non semel, & iterum, sed septuplum sæpius purgatum, & à terra separatum nihil alienum habet, ita quoque Dei verba, ac decreta, quæ ideo casta etiam dicuntur, quia castos reddunt homines, & in nulla parte inquinata sunt, at septuplum, idest per septem dona spiritus sancti exactissime probata.

Tu domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum.

SVpplex orans hoc dicit, tu domine nos tueberis, quare? quoniam inimici, & impij nostræ saluti insidys struunt, & proteges nos à generatione hac, idest huius sæculi, vt omnes impios, ac sceleratos, & hæreticos comprehendat; Nos enim te conseruante, ac defendente, postquam ea, quæ in nostra potestate sunt, absoluerimus, à generatione hac pessima scilicet, & ab omnibus insidijs perpetuo tutos fore confidimus, quoniam fieri non potest, vt qui ab inimicis circundantur, aliter quàm te adiutore liberentur. Hieronymus legit, custodies ea, scilicet eloquia, idest tu exolues promissa tua, & verba, quæ ex ore tuo exeunt, irrita nõ facies; Alij eos, scilicet Iustos, legunt.

In circuitu impij ambulant.

ETiam si inimici nos obsideant, & impij, nihil tamẽ graue patiemur, quia tu nos seruas, & illustres facis: vel, in circuitu ambulant, *quia ad finem itineris*

neris quo tendunt, nunquàm peruenient; nam impij in orbem, Iusti recta proficiscuntur. Vel in circuitu, idest in terrenarum rerum cupiditate, quæ septem diebus voluuntur, nunquàm ad octauum, idest æternum accedunt. Secundum Altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. *non secundum meritum nostrum, sed vt altum decet, cum in altissimis habitans, iuxta excelsitatem tuam, quæ tuæ bonitati perpetuo inest, filios hominum tueris eos dignos reputans, qui prouidentiæ tuæ cura regantur.* Secundum Altitudinem, *idest sicut stellas cæli multiplicatos filios hominum, idest iustos, & de virtute in virtutem euntes magnificas. Hieronymus legit, ambulabunt, cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum. vt per vilissimos intelligantur inopes, & pauperes, de quibus supra, qui ab hominibus despiciuntur hic, atque contemnuntur, quos aliquando derisimus; nunc misericordia Dei cum in altum elati sint, & inter filios Dei numerentur, Impij ambulabunt eiulantes, & flentes ciuitatem circuentes, à qua se exclusos esse conspexerint. Potest & alia afferri expositio, de ijs impijs, & vilissimis, qui in hoc mundo extolluntur, quos adulatores peruersi ad perficiendam eorum malitiam circundant. Sed meo iudicio prima est uerior. Restat ut nos Dauidis nostri vestigia sequentes, cum tam paucos reperiri animaduertamus, qui spem suam in Deo collocent, & iustos quasi omnes perijsse; qui verò existunt, in tanta iniquitate defendere se, ac tueri nequeant, formident autem ne absorbeantur; quanquàm altissimo, & diuino consilio aliqui electi semper inuenientur, Deum, &*

eius

eius auxilium diuinum imploremus illi supplicantes, vt promissa soluat, & verissima, ac purissima verba sua re ipsa exequatur, vt nos inopes, ac pauperes tueatur, atque custodiat. Nam si nos ea quoque perfecerimus, quæ à nobis debentur, & in veritate, ac mandatorum obseruatione stabiles permanserimus, nos dubitare nefas est, quin à simulatoribus hæreticis, ac scelestis, doloq; ac fraude plenis, in quorum labris venenũ habitare certum est, Et qui inusitata rabie petulanter in nos inuadere quotidie conantur, eripiat, ac liberet Dominus noster Iesus Christus, qui semper est benedictus, Amen.

IN PSALMVM XII.

VSQVE QVO.

INscriptio est, In finem Psalmus Dauid. Hunc conscripsit non eo tempore, quo Saul eum insectabatur, vt sentiunt nonnulli; nam ante peccatum omnia euenerant, quæ illi machinatus fuerat Saul; vnde maiori cum fiducia loquebatur; Sed cum post factum scelus exagitaret eum Absalon; quò fit, vt multi gemitus, ac fletus, eiulatusq; ab eo fiant. In finem, quia internecionem Absalonis prædicit, quę finem consecutura erat. Vel in finem, Christum; Dauid enim propter illum finem viriliter pugnans multa sustinuit. Quare respiciens eum, Deo canticum suum destinauit, quod etiam omnibus ini uriam patientibus quadrat.

Vſquequo obliuiſceris me in finem.

D*Ei actiones more humano, eius indignationem videlicet, atque vltionem exprimit, non interrogans vere Dauid, ſed potius admirãs: reſponſum enim non expectat, at vehemens deſiderium innuit.* Vſque quo, *longum tempus indicat; moram & cunctationẽ, ſiue derelictionem vocauit Dauid obliuionem; Vnde obſecrat, ne obliuiſcatur in finem, ideſt ne omnino is à diuina prouidentia deſtituatur; Deum autem illorum capit obliuio, qui peccantes eius non recordantur, & turpiter viuunt. Vel vſque quo me ad cognoſcendum Chriſtum differes, qui eſt vera ſapientia. Allegorice, Patrum verũ; Conqueſtio eſt, qui Chriſtum expectabant: videbatur enim ipſis Deus illorum eſſe quaſi oblitus.*

Vſq; quo auertis faciem tuam à me.

T*Ranslatio eſt ab ijs ſumpta, qui neminem irati cernunt, qui ſibi obuius ſit, ideſt vſquequo animæ meæ tui notitiam, vel lumen cognitionis tuæ non porrigis? auertit, cum ea committimus, quæ præceptis ſuis indigna ſunt; aut quare remedium mihi non adhibes?*

Quan-

Quandiu ponam consilia in anima mea per diem, dolorem in corde meo per diem.

QVia oculi Dei, idest perspicax illa vis, quæ cuncta intuetur, & prospicit illos cura sua indignos iudicat, qui facile in peccatis labuntur, ideo Dauid de ipso Dei Iudicio vehementer solicitus & anxius, timore ex conscientia scelerum exorto discruciatur, inquiens. Quandiu ponam, *idest vitam ducam infelicẽ continenter ad varias cogitationes mentem versans? quandiu mihi tu eris iratus? consentaneum enim erat, qui Deum erga se propitium exoptaret, eum ambigere, an sibi Deus benignissimus reconciliatus esset. Et quia consilijs opus non est nisi in aduersis, perinde est, ac si diceret, quandiu ero in aduersis? Vel, vt sit sensus, tandiu faciem à me auertis, vt nisi cogitationes in animo suscipiam tribuendi misericordiam egentibus, & opera bona nauandi, ad finem me non dirigas, nec tui notionem in me imprimas. Et quandiu dolorem, scilicet ponam, idest patiar in corde, per diem, idest continenter, ac assidue? id enim affert dolorem, à quo se quisq; exui desiderat. Secundum aliquos, quandiu resistendi inimicis noua me consilia capere oportet? Symmachus legit, solicitudinem ponam in mente mea, idest solicitudine cruciabor in animo meo ambigens, ne in peccato moriar, quod cordis mei dolorem maxime auget.*

Vsque

Vsq; quo exaltabitur inimicus meus super me, respice,& exaudi me Deus.

Videns Dauid inimicum suum Absalonem, vt sentiunt Græci, licet aliqui Saulem indicari putent, quotidie viribus magis valere, animi angore afficiebatur, & aiebat, vsque quo extolletur aduersarius meus, & ei omnia prospera succedent? Vel, allegorice, Dæmon, aut appetitus, & carnis consuetudo? Nam si religiose nobis viuentibus, & colentibus Deum deprimitur inimicus, patet, quòd peccantibus nobis effertur; & nos à peccatis deprimimur; huiusmodi enim peccati vis est; quòd animam prosternit, ac deijcit. Hæc & alia, nos qui à Dęmone affligimur, dicere & diuinam opem implorare decet. respice, *refertur ad, auertis, id est recte facta intuere; vel me grauiter affectum aspice, ac tua beneuolentia dignum me fac.* Exaudi, *ad obliuisceris. Et est oratio siue petitio, quasi nolit is gratis exaudiri; aut sibi persuaserit Deum eos non exaudire, qui bona opera non exhibuerint.*

Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte.

Quid petis? vt inimicos superes? minime, sed vt illumines oculos cordis mei, ne delectatione pecca

ti clau-

ti claudantur, vel ope tanquàm ſplendore luminis tui noctem calamitatum meam diſſipes, ne creſcentibus malorum tenebris mortis ſomno conſopiar; nam mœrore tanquàm ſomno quodam detineor; at ſi menti meæ lumen præferes, id mæſtitiæ ſomnum abiget: vel intellectum meum peccati caligine obſcuratum illumina, ne morte peccati me mori contingat.

Nequando dicat Inimicus meus, præualui aduerſus eum.

C*Vm viderit me in peccati mortem detruſum, dicat, ſuperaui eum. quod optabam, conſecutus ſum; De Abſalone, & Dæmone exponitur. Vehementer igitur timenda eſt Dæmonis vexatio.*

Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero.

Q*Vi me afflictionibus torquent, ſi lapſus fuero, aut à via declinauero, aut ſi ab ea qua initiatus ſum fide diſceſſero, gloriabuntur ij, ſed de Iob non exultauerunt, nec gloriati ſunt Dæmon, & eius ſatellites, quia ſe à ſtabilitate fidei non dimouit, nec à ſecuritate quam habebat Deo fidens. Tres autem cauſas, quibus Deum prouocare vult, vt reſpiciat eum, atque orationem eius exaudiat, Elationem ſcilicet inimicorũ, eorumq; vires, atque ipſorum exultationem affert.*

Ne igitur patiare inimicis meis me ludibrio esse; hoc enim omnium molestiarum molestissimum erit.

Ego autem in misericordia tua speraui.

S*Ed licet innumerabilia ab eo gesta commemorare posset Dauid, quibus Deum exoraret; nihil tamen recenset, sed ad misericordiam confugit; ex quo post peccatum Dauidem Psalmum hunc dictasse patet. Ego, inquit, mihi quicquam non arrogaui, sed in miseratione tua magna spem posui; quia id ipsum, quòd in Domino mente defixus esse perseuerauit, sibi tribui non debet, ne superbia postea se erigat, si se ipse non commotum fuisse glorietur.*

Exultabit cor meum in salutari tuo.

N*Vnc quidem misericordiæ tuæ confido, vbi vero salutem consecutus fuero, cantabo, Vide quàm bene speret Dauid; nam priusquam obtinuerit, gratias agit: sed vnde tam bona spe sustentatur? nimirũ ex vehementi petitionis ardore, vt pote qui nouerat eum, qui sic flagitaret, exauditum iri, idest animam meam lætitia hæc cumulabit, quòd salutem consequatur, aut salus ei sis. Vel præuidens inimicos profligatos iri inquit, salute mihi à te præstita lætabor. Vnde tria ponit, lætitiam scilicet spiritus, orationem deuotam,*

tam, atque rectam actionem siue opera bona, quibus contra Dęmonem adiuuamur. Vel in salutari tuo, id est in Christo, & in sapientia Dei, non in terrenis rebus, ac vanis exultabo.

Cantabo Domino, qui tribuit mihi bona.

IDest offeram corde, & ore Deo canticum (quod ad contemplatiuam vitam pertinet) huius beneficij monimentum, quòd hostem reddiderit humilem, & imbecillum esse conuicerit; & caligine discussa me lumine suo afflauerit; omniq; iucunditate animi hymnos concinam.

Et psallã nomini Domini altißimi.

PSallam scilicet Psalterio, idest opere (quod ad actiuam vitam attinet) nomini altissimi domini, quod apud omnes innotescit; quanquam enim inexplicabilem naturam tuam ignoro, mihi tamen satis est nomen tuum colere; credo enim hac sola nominis tui inuocatione me auxilium tuum esse consecuturum, quod imploro; & contemplationis studio, & vitæ actionibus te oblectabo. Nos quoque imitatione Dauidi similes esse conantes, graui aliqua tentatione cum à Dęmone, seu ab inimicis, vel ab aliquo immoderato appetitu impellimur ad peccandum, clamemus ad Dominum, &

ab eo flagitemus, ne à nobis faciem auertat, qui angimur, & soliciti sumus, ne illi displiceamus, sed misericordiam nobis suam tribuat, atque à tentationibus nos liberet, libidinisq; æstum, & omnes malas cupiditates coercendi vim nobis afferat, atque in primis mentem nostram ijs luminibus, quibus facile offusæ nobis tenebræ auferantur, Illuminet, ne hostes nostri nos vicisse glorientur, atque in casu nostro, ac ruinis exultent; Demum totam spem nostram in Deo positam habeamus, non permissurum esse eum, vt aduersarij, quod valde desiderant, id consequantur. At certò credamus nos à Deo ex omnibus afflictationibus, atque cruciatibus ereptum iri. Ac profectò cum dubitare nobis fas non sit; bonitati enim diuinæ, atque clementiæ diffidere nos pateret, canemus Domino laudes immensas, atque nomen eius excelsissimum suspicere quotidie non omittemus, hac freti fiducia nos in patria cælesti Christum, quem in hoc mundo ardenter, & ex animo dilexerimus, intuituros esse, atque cum illo regni cælorum potituros, qui viuit æternis sæculis. Amen.

IN PSALMVM XIII.

DIXIT INSIPIENS.

In finem Psal. Dauid, vel secundum Hieronymum victori Dauid.

EAdem est cum superiori inscriptio. In finē, quia quæ Regi Ezechiæ; & primi aduentus tempore; vel quæ perfectis omnibus sæculis euentura erant, prædicit; vel in finem Christum, quem videbimus, cum illuc peruenerimus, si viam bonam fuerimus persecuti, dum viuimus.

Dixit insipiens in corde suo non est Deus.

ARgumētum Psalmi est, vt opinantur Græci, quādo Sonnaberich Rapsacem ad Ezechiam tunc regnantem misit, qui impijs in Deum sermonibus usus aiebat, ne te decipiat Deus tuus; At Ezechias magnum illius exercitum, orationisq; insaniam cum neglexisset, innata pietate ductus opem diuinam implorauit, illicoq; eam assecutus est; Nam cū Deus æquus vindex illius quidem impietatem fuisset execratus, huius vero pietatem adamasset, Angelo ministrante centum octoginta quinq; Assyriorum millia funditus per-

didit, alios in fugam vertit, & obsessis salutem attulit inopinatam. Et psalmi exordium Sennaberich, & Rapsacis verbis valde congruit, quanuis hebrei non nulli de Nabucdonosore dictũ esse sentiant. Insipiens, *Sennaberich scilicet, & populus. Siue Iudæus, siue infidelis omnis, ad vtrunq; enim referri potest; Nam populus etiam Iudæus dicebat Christum non esse Deum. Insipiens autem hic non dicitur, qui naturalis intelligentiæ, & rationis vsu careat; immo prudentia valebat, quia lingua non dixit, non est Deus; sed secum cogitans improbitatem cælabat, quòd nouerat se periclitaturum esse, si id eructasset; nam si amens fuisset, etiam ore protulisset, quem stultum vocat Hieronymus. Philosophi quoque non sunt ausi dicere, non est Deus. Ideo addidit, in corde, quia omnes effutire formidarunt, in hac esse cogitatione non metuerunt. At nec vllus in corde suo cogitare potest Deum non esse, si naturam eius speculemur: Esse enim eius est substantia siue natura; licet quantum ad nos spectat, eum non esse præpotentem, nec rerum humanarum curam suscipere, fari possimus. Sciendum autem est impiorũ tria genera esse; Alij Deum esse prorsus negant; alij esse quidem arbitrantur, sed non existentem ipsi formant, existentem negligunt; Alij verbo esse dicunt, res tamen inferiores sibi curæ non esse censent.*

Corrupti ſunt, & abhominabiles factiſunt, non eſt qui faciat bonũ non eſt vſque ad vnum.

N*Am cum ſe omni intemperantiæ, ac ferinæ vitæ dedidiſſent, memoriam Dei omnino depoſuerunt, quicunque enim mente corrupti ſunt, pietatem omnẽ lædunt, & dum amant hoc ſæculum, Deum ſpernunt.* Et abhominabiles, *quia impietatem omnem in templo cordis ſui collocauerunt, & ſi Dei notitiam habuiſſent, execrandi omnibus, ac deteſtabiles non eſſent,* In ſtudijs ſuis, *in affectionibus legit D. Auguſtinus, ſtudioſe, Hieronymus, ſcilicet faciunt, quia quæ ipſa natura negauit, illa excogitauit affectio.* Non eſt qui faciat bonũm, *quia impietas longe lateq; diffuſa eſt, vt ne cauſam quidem, propter quam ad nos D. Ieſus Chriſtus venerit medicus, intelligere ſtuduerint, ea autem fuit ſalus mundi, gentiumq; vocatio: Ideo qui Deum negauit, & de eo, qui nobis prouidet, non cogitauit, ille non mortem, non iudicium expectat, non ſurrecturos nos, nec remunerationem fore credit.* Non eſt vſque ad vnum, *vel cum ipſo vno intelligi poteſt, ne vnus quidem. Dicet aliquis; ò Dauid, cur ante carnis ſuſceptionem mundum laborantem non inuiſit Dominus? opem certe ferre, ac ſeruare voluit, ſed ne vnus quidem, ideſt nullus ſibi medicinam adhiberi quæſiuit. Vel vſque ad vnum, ideſt præter vnum Chriſtũ, vt D. Ieſus excipiatur, & hac expoſitio D. Auguſtino*

magis arridet, vt nemo ad Christũ vsque boni aliquid agere potuisse intelligatur, nisi ipse viam mõstrauerit, sicut sanctis patribus antiquis, qui in eum venturum ex animo credebant, clare ostendisse censemus. Hæc tamen verba hoc loco non habet D. Hieronymus, sed paullo infra vbi repetuntur.

Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si ęst intelligens, aut requirens Deum.

H*Vmano more Deum, quasi ex alto cęnaculo longe spectantem expreßit, siue omnia inspectantẽ, & cogitationum indagatricem vim manifestauit. super filios hominum, idest homines Iudęos, & super genus humanum, qui tamen in dignitate diuinitatis manens, prouidentię suę virtute in terra, siue vbique eße dicitur. Nam decenter, & pro maiestate de Deo incorporeo omnia explicari dedent, quę à corpore sumuntur, non enim loco circunscribitur. Vnde pie in cęlis, idest in iustis viris, & animabus sanctis habitare dicitur. Ex quo loco sese demittens homines infimos cõsiderat, vt intueatur, qui ex ipsis prudentes sint, & Deum quęrant. Tum vero maximè prospectat, cum uitium inter homines cum impietate ita conglutinatur, ut ex ore impij exeat, quòd non est ueritas, non est misericordia, non est in terris Dei scientia. Vt uideat, id est, uidere faciat, si est qui intelligentia Deum percipiat,*

piat, & affectu scilicet requirat. Allegorice, prospexit, id est misertus est mittendo filium suum, qui humano generi salutem dedit.

Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnũ.

OMnes de via deflexerunt, & à sanctis de Deo dogmatibus, & operibus rectis declinarunt, & propterea statim inutiles, & nulli vsui apti effecti sunt, scilicet Iudæi, quemadmodum & infideles, cum adeo execrandi essent, vt ne vnus quidem bonus reperiretur, quòd de peccatis suis neminem pœniteret. Ex hoc enim, quòd quis à Deo descíscit, inutilis euadit.

Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labijs eorum.

HI tres sequentes versus non habentur in textu hæbreo; nec Hieronymus, nec græci eos legunt; nec repetitus hic psalmus infra quinquagesimo secũdo, ipsos continet. Sed D. Paullus Rom. 3. ex Deutoronomio, & varijs psalmis decerptos citat contra Iudæos, vt illos vituperet. Sicut sepulcrum apertum fætorẽ exhalans cadauera suscipere paratum est; sic guttur eorum

eorum siue os, vel simpliciter vorare, vel secundum Allegoriam, occidere detrahendo, & necare eos promptum est, quibus ipsi morum suorum peruersitatem persuadere conantur. linguis, *dolose atque malitiose mala tanquam bona suadentes, & mores bonos colloquijs prauis corrumpentes; voracibus enim, & prauis omnibus comes est adulatio blanda.* Venenum aspidum, sub labijs, *idest in corde, quod peius est, quàm in ore; Venenum autem, quod insanabile est, ipsius aspidis dicitur, quia sicut aspides obturatas aures habent, nec venefici verba audire volunt, sic istis præcepta legis auscultare non libet, sed magis mala pro bonis ea reddere prædicantibus placet.*

Quorum os maledictione plenũ est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Q*Vomodo verbo noceant, inquit, quorum os opprobrijs, & execratione refertum est, & amaris verbis; hoc autem est venenum aspidum, & ad id refertur; quia sermones Dei male sentiendo in suam perniciem amaros effecerunt.* Veloces, ait; *quomodo obsint facto, idest voluntas, & affectus ob consuetudinem malefaciendi ad profundẽdum sanguinem, scilicet Christi, & suorum expediti sunt, & corpus, & animam occidere meditantes, & inconsulte, ac temere omnia committentes.*

Com-

Contritio, & infelicitas in vijs ipsorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor ante oculos eorum.

AIt quomodo sibi ipsis noceant; labor & miseria in operibus eorum patet; omnes enim prauorũ viæ huiusmodi calamitatis, & miseriæ plenæ sunt; vel contritio ad corpus, ad animam infelicitas refertur; nihil enim æque corpus, & mentem conterit, & exhaurit, ac peccatum; vel via impiorum in hoc mundo contritio dicitur, post mortem infelicitas; semper enim peccatores in via sua se ipsos conficiunt; ac viam pacis non nouerunt, idest iustitiæ, & vitæ institutionem, siue vtilem viuendi modum non sciuerunt. Vel Christum, & euangelia neque per fidem, neque per opera perspexerunt, Iudæi præcipue, qui non crediderunt Christo; de qua via Dominus dicit, Iugum meum suaue est; quare non cognouerunt? quia non est timor Dei, quia ante conspectum suum non proposuerunt Deum: nec futurum iudicium formidant; ideo mandata non seruant; nam licet isti non dicant, Deum non esse, cum tamen minimè metuunt, & factis negant.

Nonne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem.

IVdicium minatur; prædicta mala faciunt, nec iſta formidant in futuro iudicio; non ne, interrogans inquit, cognoſcent, qui ſcelera faciunt, ſcilicet futuram vltionem, aut quòd Iudæorum Deus verus ſit Deus? Vel ante Chriſti aduentum licet omnes de recta via declinauerint, num idcircò futuris temporibus non noſcent, Dominum ſcilicet?

Qui deuorant plebem meam, vt eſcam panis.

VEl vt Hieronymus, qui deuorant populum meū vt cibum panis, & videtur eſſe Dei verbum, id eſt quotidie, ſicut in dies pane veſcuntur, eum conſumunt ſeducendo, & occidendo, & qui commoda ſua ex illo capiunt, non ad gloriam Dei, nec ad ſalutem hominum, quibus præſunt referentes, quemadmodum Hæretici plebem ſequentem Chriſtum deuorare nituntur; ex ipſo rerum euentu diſcent populum meum inexpugnabilem fore, nec euenturum, quod ipſi neglecta diuina prouidentia exiſtimant. Deum non inuocauerunt, *cum in eo ſpem non habeant; nam Deum non inuocat, qui ea appetit, quæ illi diſplicent.*

Illic trepidauerunt timore, (vbi non erat timor.) *hæc Hieron. non legit.*

NOn infideles solum, sed Iudæi de damno rerum terrenarum dubitantes dixerunt, si dimittimus eũ sic, &c. timuerunt enim regni terrestris iacturam facere, & cælorum regnum amiserunt, quod metuere debuerunt, & hoc de omnibus terrenis bonis, & commodis intelligendum est, de quorum amissione cum timent, ad æterna non perueniunt; Formidant enim ea, quæ speranda potius sunt; quæ timenda, hæc concupiscunt, cur ista? nisi quia peruerse iudicant, & corrupti sunt? At qui sunt isti? nisi qui in iniquitate, & perfidia versantur, quiq; adhuc non inuocauerunt dominum? Verũ veniet tempus, quo ipsum cognoscent; Tunc illos bonos Dei timor faciet, Initium enim sapientiæ Domini Timor.

Quoniam Dominus in generatione iusta est.

CAusa est supradictorum, quoniam Dominus est in generatione iusta, idest iustorum, & pro eis pugnat, in quorum numero erat Ezechias; cuius pietas, & religio, qua populum suum regebat, commendatur; Gener. Iustam vocat concordiam iustorum, & populi sequentis Christum, non eorum qui sæculum, ac mundum

mundum diligunt: nam cum Deus Iuštus sit iudex, in illa consensione iuštorum reperitur; si enim duo, vel tres in nomine eius congregati fuerint Dominus illic adešt, quanto magis in vniuersa concione inuenietur?

Consilium inopis confudiſtis, quoniam Dominus ſpes eius eſt.

IVxta Historiam, Regis Ezechiæ quem, vt vilem despexiſtis, ac irriſiſtis, & inopis, quia paucos sibi obtẽperantes habebat, consilium, ideſt firmam ſpem quam in Deum habebat, vel consilium, cum iudæos hortaretur, vt hoſtes negligerent, ac domino confiderent, ludibrio habuiſtis. Vel ſecundum Allegoriam. Christum dicit pauperem, qui cum diues eſſet, noſtra cauſa inops factus eſt; consilium autem eius, quod cepit pro nobis mortem carne guſtandi, vt nos à morte, & animi morbis liberaret, Iudæi frangere conati ſunt, cum ipſum tantum mortalem eſſe palàm dixerunt; Aut conſiliũ, ideſt aduentum eius humilem contempſiſtis, quia in eo non vidiſtis pompam regalem ac ſæculi, vt hi quos vocabat, in Deo ſolo ſpem ponerent, non in rebus terrenis, ad quæ illi animum attendebant.

Quis dabit ex Syon ſalutare Iſrael?

NIſi Deus? qui cum eripiet ex manu hoſtis Sennaberich; Et is ſcilicet Chriſtus, cuius humilitatẽ contempſiſtis? Hoc ſalutare ſecundum carnem à ſemine Dauid ortum ex Syon, ideſt ex Iudæis datum eſt, veniet

niet enim ex Syon, vt ait Isaias, qui liberet, & impietates ex Iacob auertat. Et quoniam ex parte Israel ob humilem istum Christi aduentum cæcitas facta est, vt plenitudo gentium intraret, in illo alio aduentu ad iudicium cum claritate perficietur id, quod sequitur, vt omnis Israel saluus fiat. Vnde conuersio iudæorum prædicitur.

Cum auerterit Dominus captiuitatē plebis suæ, exultabit Iacob, & Israel lætabitur.

CVm animæ, quæ per Dæmonum fallaciam captiuæ detinebantur, ex cunctis gentibus ad dominū conuersæ, per salutare Dei remedium salutem adeptæ fuerint, aut Dominus Dęmonem damnauerit, qui populum eius captiuum detinet, Viri Iusti & prophetæ, qui ex semine Israel orti fuerunt, lætabuntur, quòd quæ de nobis vaticinati sunt, ea finem consecuta fuerint, ac nobis de salute nostra gratulabuntur, Vel, cum in pristinam libertatem plebem suam à peccati, & inferni carcere vindicauerit, exultabit exterius, & corpore, Iacob. Et Israel interius, & animo gaudebit, idest iudæorum populus. Nos ergo caueamus totis uiribus quantum possumus, vt cogitatio talis vnquam in mentem nostram influat, vt non sit Deus, sicut insipiens ille, & impius aiebat, & perfidi Iudæi Christum non esse Deum dicebant; vt nec vnus quidem bonus reperiretur, quibus futuram vltionem minatur,

natur, & denunciatione periculi eos terret inquiens illos ipsum esse cognituros, quem modo nosse, ac inuocare nolunt; Ac diuinum auxilium, vt eam possimus amouere, ex animo imploremus, etiam si Dæmon immittere in mentem tentaret; Sed velimus adiutore Deo in illa iustorum congregatione numerari, in qua habitat Dominus Deus, & in eo spem ponamus, sicut Ezechias, quoniam certi sumus, quòd saluabit nos, & ab istis impijs captiuos liberabit; & cum ex hac vita nos euocarit; ac tanquàm è carcere cælestem emiserit ad patriã, tunc gaudio cuncti exiliemus, quòd superatis miserijs, & ærumnis ad optatum illud cælorum regnum peruenerimus, vbi Christo frui digni habiti fuerimus, qui viuit sempiternis sæculis, Amen.

IN PSALMVM IV.

DOMINE QVIS HABITABIT.

Psalmus Dauid.

H*Vic inscriptioni præponunt græci,* in finem, *quod verbum latini non habent, Finis tamen ab eis hoc loco pro perfectione exponitur, quia* τέλος *vtrũq; significat; Nam Dauid virum perfectum describere proponit, qui beatitudinis compos futurus sit. Superior enim Psalmus salutem habitantibus, & captiuis libertatem prænũtiauerat, hic adhortationes confugit,*

& quemadmodum eos, qui in Dei militiam aſcripti ſunt, viuere deceat, preſcribit. Sed interrogando, & reſpondendo orationem format.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo.

V*El peregrinabitur, vt legit D. Hieronymus, & D. Auguſtinus in tentorio, ideſt quis domiciliũ habebit in tabernaculo, ideſt in eccleſia preſenti, et militanti, quæ eſt tanquam Tabernaculi habitatio, et in qua contra Dęmonem dimicamus? Tabernaculum etiam hic dici poteſt caro vel corpus, in quo anima ſe demi habet, quam poſtea excultam, et virtutibus ornatam locatori reddere debemus. Incola autem, et peregrinus dicitur, qui ad tẽpus in alicuius domo moratur.*

Aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?

V*T cum mundum peregrinus incoluerit, et carnẽ hanc exuerit tanquam alienam, in cœlo habitet, et requietem in ęterna illa beatitudine conſequatur? ille enim mons à ſanctis animabus atque ab ijs, qui in ipſa iuſtitia perfecti fuerint, incolitur, et eſt eccleſia triumphans, et beatorum cœtus. Iudæus vero cum audierit nominari montem ſanctum, ad Syon accurrit infelix. Beatus ergo erit is, qui terrenis rebus non ad*

dictus, neque patriam hanc à natura sibi traditam vendicans in ipso monte consederit; constat enim firmũ ac perpetuum his, qui digni fuerint, domicilium fore. Verum rari sunt, qui ad terrestria tãquàm ad propria animum non adiungant, humanę glorię florem caducũ agnoscant, qui corporis commodam valetudinem per breuem ducant, qui diuitiarum vsum ad tempus reputent: Ideo et rarus est, qui et tali ascensu et habitatione cęlesti dignus sit. Quare sancti viri erit de hac exigua vita non cogitare, sed de illa perpetua, ad quã omnes festinare debemus, nihilq; omittere, quo illam assequamur.

1. Qui ingreditur sine macula.

R*Esponsio domini, qui Decalogi exemplo inquit eũ virtutibus decem ornatum esse oportere, qui ad atria sua peruenire cupiat. Harum autem virtutum effectus sunt decem, qui ad quattuor principales virtutes referuntur; dupliciter autem considerantur, primo, vt actio virtute prędıti respicit se ipsum, et proximum deinde; atque ait eum in montem ascensurum esse, qui in hac vita sine macula mortali graditur, idest irreprehensibilis et innocẽs, et ab omni malitia alienus est, quia peccatum venia dignum proprie maculam non habet. Qui contra peccatum, ac vitium vitam suam transigit, et qui interius omnis virtutis perfectione ornatus, atque absolutus est.*

2. Et

2. Et operatur Iustitiam.

QVia non satis est declinare à malo, sed bonum etiam agere oportet eum, qui omni virtutum genere præditus est; iustitiam enim absolutam virtutẽ intelligit, cuius genera numerat. Dixit autem, ingreditur, non ingressus est, quia actio vna virum bonum non reddit, sed toto vitæ tempore ad præclaras virtutis actiones, & ad honesta opera incumbere illum decet, vt ratione cum is actionem iustitiæ perficiat, & se effectorem bonorum operum non erubescat. Cæterum Iustitia sola magna virtus est, & habenti non prodest. Non dixit, qui operatur castitatem, aut sapientiam, quia reliquæ virtutes possidentem eas delectant, illa non, sed alios oblectat. Opus est ergo ad innocentem, & culpa carentem viuendi rationem, iustas actiones, idest iustitiam, quæ factis demonstratur, accedere.

3. Qui loquitur veritatem in corde suo

VEritas est, cum ita est, vt dicitur, hoc Christus fecit. fraudulentis tamen quærentibus non respondit. in corde, addit, quia non est verum eloqui, nisi & in animo sic se res habeat; ille enim nesciens verum dixit, quia aliud putabat, cum dixit. Vel qui vera dogmata in animo sentit, & ore explicat, ac vera de veritate, quę Christus est, cogitat, nec opiniones hęreticas miscet.

4. Qui non egit dolum in lingua sua.

Dolus in lingua est, cum aliud dicitur, & in pectore aliud est, quia omne bonum deterioris additamẽto adulteratur, vt veritas, si cum sanctis colloquijs scurrilia misceantur; Vinum; si aqua addatur, &c. & aurum ære addito.

5. Nec fecit proximo suo malum.

Omnes homines nobis proximi sunt, non tantum frater, cognatus, vicinus; & nulli malum inferre debemus, nec offendere quenquam, idest, qui neque in re vlla siue parua, siue magna ipsum læsit, sed qui misericordiam ei tribuit, vt docuit Dominus Iesus in ea parabola loquens de illo qui in latrones incidit; quis proximus existeret. Seruatur autem ordo, primo enim ille cogitat, deinde cogitata explicat; denique opere perficit, quæ in animo habuit.

6 Nec opprobrium accepit aduersus proximos suos.

Qvi probris proximum non affecit, aut criminatori non libenter, nec temere credidit, aliquis. n. contra alium quicquam dicit, sed id sustinendum non est, vt hortatur Ecclesiasticus, Audisti verbum contra

proximum

proximum tuum, tecum moriatur, quia alijs dicendum non est; Et si qui sunt, qui in calamitates incidant, cum hæc voluntaria non sint, eos irridere nos non decet, sed potius condolere, opprobrium enim ad irrisionẽ, ad emendationem delicti reprehensio spectat, vnde illud in malam, hanc in bonam partem accipimus.

7 Ad nihilũ deductus est malignus, timentes autẽ dñm Glorificat.

M*Alignus scilicet dæmon, vel homo male suggerens, in conspectu iusti nulla re dignus est existimatus, immo parui ductus, licet magna potestate præditus, & diuitiarum copia affluens sit, & ob generis claritatem se efferat, & splendorem suum iactet, quod magni animi argumentum est, quia iustus ille, vt alicui noceat, cogi nunquam potuit: Timentes autem Deum, qui timor est sapiẽtiæ initium, etiamsi inopes, & ignobiles existant, veneratur, extollit, beatos prædicat Hieronymus legit, improbus in oculis eius despicitur. Hæc superiora sicut ad perfectos ita quæ nunc dicturus est, ad incipientes pertinent.*

8. Qui iurat proximo suo, & non decipit.

I*Dest non nocet, sed opem fert, non decipit, sed promissum implet, & reddit. Cur hic iuramentum permittitur, non autem in Euangelio? quia in eo leges per*

fectiores habentur: nam lex vero iuramento contenta est; sed falli potest, qui vero non iurat, periurij occasionem aufert, & omnino tollit. Iusiurandum autem est irreprehensibilis sermo, in quo illud, est est, non, non, cum Dei testimonio firmatur. Vel qui iurat, idest, qui affirmat, iuramentum enim ab antiquis pro confirmatione sumitur.

9. Qui pecuniam non dedit ad vsurã.

REuera inhumanitas maxima est illum quidem necessariorum indigentem mutuum quærere, hũc vero summa non contentum esse, sed ex pauperis calamitate sibi ipsi redditus excogitare, & diuitias parare. Dominus quidem manifeste nobis præcepit dicens, petenti à te dato, & volentem à te accipere mutuum, ne auerseris; nam is ad societatem, & ad familiaritatem nos hortatur. Sed cum mutuum dari dupliciter, intelligatur, cum sancti hoc faciunt, secundum intellectum, non secundum sensum accipiendum est. Nam cum ea, quæ ad spiritum pertinent, doceant, corporea tamen quibus alantur sumentes non fœnerantur. Nã qui propter cælorum regnum, & propter dilectionem erga proximos fœnori dat, pecuniam quidem erogat, non vt sibi ab hominibus rependatur, sed sibi ipsi tanquàm in Thesauris reponit, & in futurum ad retributionem à Deo faciendam reseruat. Ezechieli ergo credamus inter maxima mala vsuram recensenti, & præter sortem aliquid accipere, quod & lex prohibet.

Et

10. Et munera ſuper Innocentem non accepit.

QVi cauſam innocentis pro alicuius munere non deprimit; omnis quippe munerum acceptio mala eſt, ignis enim eſt eorum domos deuorans, qui muneribus affecti ſunt; multo magis contra innocentes. Qui enim iudicat, oportet vt muneribus incorruptus ſit, talem enim iudicem græci ἀδωροδόκητον ad cælum tollunt, & miris laudibus ornant; Et ſententiam donis non labefactet; nam hæc munerum ſuſceptio iuſtitiam infirmat. Iſta autem non ſunt ſecundum Auguſtinũ magna; ſed qui nec ſeruare iſta valet, multo minus loqui veritatem, & dolum non agere, nec mala proximo poteſt, quæ perfectorum ſunt.

Qui facit hæc, non commouebitur in æternum.

IDeſt ad illa maiora perueniet, in quibus eſt ſtabilitas, ideſt nunquàm greſſus ſuos à Domino auertet. Qui enim in ijs virtutibus, in quibus profecit, viuendi curriculum confecerit, Et ſupradicta omnia executus fuerit, ſeſeq; totum illæſum, & omnibus operibus honeſtis, & rectis refertum conſeruauerit, in monte ſancto tuo requieſcet. Sed quis tam amens eſt, qui hæc ſeruare non conetur, vt virtutis premium, ideſt diuini

auxilij fructum continenter percipiat, & immortalē ac perpetuam vitam expectet? Nos certe nobis ipsis deesse nolimus, & Dauidem nobis virum omnibus numeris absolutum frustra depinxisse non patiamur. Nā qui tales sunt, cœlestem suauitatem maxime degustāt, ac potentes istos siue Reges, siue Principes, vt ait ipse, nihili faciunt, nec eis inuident, quod multis bonis abū dent, hi enim diuinis colloquijs fruuntur, atque animo ac mente regnum cœleste possident; laboremus nos quoque, vt in hoc numero habeamur à Deo immortali, & sancti ac perfecti euadere nitamur, & velimus, nam si constantem voluntatem habuerimus, quam Dominus Deus adiuuabit; vnà cum Iesu Christo in patria cęlesti regnabimus, qui est omnibus sęculis benedictus. Amē.

IN PSALMVM XV.

CONSERVA.

INscribitur Psalmus hic. Tituli inscriptio ipsi Dauid. sicut antiquis mos erat, vt imperatorum præclara facta in columnis inciderentur, quemadmodum Romæ Traiani columnam vnam cælatam, Antonini alterā videre licet; vel in arcu triumphali; ac trophęa ponerētur, quę bellicæ laudis victorięq; insignia, & monumenta essent, sic Dauid præuidens animam Christi in inferna parte non solum non derelictam iri,

net carnem eius corruptionem passuram esse, quòd ipse tertio die surrexerit, sicut Petrus in actis de illo locum hunc explicat, sed ab eo, vt strenuo duce mortem etiam, & dæmonem victum esse, hunc Psalmum conscripsit στηλογραφίας nomine à septuaginta insignitum, quòd in ipso tanquam in columna, seu titulo Christi victoris cælatum sit trophæum perpetua scriptura dignum; de quo & regalis titulus, cũ is in crucem actus esset, à Pilato non sine sancti spiritus numine positus eluxit. At Hieronymus Aquilam, & Symmachum secutus legit: humilis & simplicis Dauid: vt de humilitate, & mansuetudine Christi innuat, qui dixit, discite à me, quia humilis corde, & mitis sum, hic agi; loquitur autem Christus, vt homo, Inquiens.

Conserua me Domine quoniam speraui in te.

CVstodi me quæso domine, scilicet Pater, ita enim hostes effugiam; sed propter ecclesiam, quæ est eius caro, conseruari se petit, ad illius enim personam custodia, & conseruatio refertur; postulat autem, vt homo, cum à se ipso conseruetur, vt Deus, & petit vt homo, cum vt Deus concedat. Quoniam in te spem collocaui, & sic meritum patet, quo seruari debeo. Christus vero pro nobis vitam æternam; pro se antequam surgeret, corporis claritatem sperauit; claritatem enim animæ ad punctum temporis, quo conceptus fuit, iam assecutus erat.

Dixi

Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorũ meorum nõ eges.

DIxi Domino patri scilicet, & omnium Domino, Deus meus es tu, idest mei hominis vere Deus; non dixit, Dominus meus, ne se minorem patre demonstraret, cui diuinitatis ratione æqualis est; quia bonis meis vt euadas beatus, non expectas: nam bonis omnibus affluis, humanęq; iustitiæ minime indiges, quia infinitæ bonitati tuæ nihil addi potest. Nouimus tamen Deum dona, & vota, ac sacrificia, quæ magno animi affectu à nobis fiunt, suscipere, non vt aliquid ex his vtilitatis ipse percipiat, sed vt nobis ab eo petentibus cæle stia dona largiatur. Hieronymus legit, bene nõ est mibi sine te; idest omnis bonorum meorum copia e gratia tua manat. Vtrunq; recte; nos namq; à Deo bona accipimus, & ipse nostris operibus iustis non eget, quæ ad nostram vtilitatem referantur.

Sanctis qui in terra sunt eius mirificauit omnes voluntates meas in eis.

SAnctis qui ante Christi aduetum Deo placuerunt, quod eum sincere amarent, & ei confiderent, quiq; in terra eius, idest in ecclesia militante, ac triumphante existunt; Vel apostolis, & ijs qui illorum prædicationi crediderunt, mirificauit scilicet pater, idest ostendit omnes

nes

nes voluntates meas, inquit Christus, in eis scilicet cõpletas; vel quibus videre, & intelligere licuit, quantũ profuerit, & humilitas, vt morerer, & potentia, vt surgerem, ij senserunt, quæ mirabilia sunt, quoniam qui credunt, ex terrestribus cælestes fiunt. Vel voluntates, idest virtutes singulas esse liquet, cũ dicat Deus, inueni Dauid virum secundum cor meum, qui omnes voluntates meas faciet; nam licet præsentiret eum esse peccaturum, attamen peccata sua humilitate pia, ac vera pœnitentia etiam deleturum præuideret; cur hoc non diceret, cui tam multa efficienti bona peccatum à scripturus non erat, & tanta cum pietate vitam degẽti, vt ipsa impulsus Dauid pro peccatis suis compuncti spiritus sacrificium faceret? propter hæc omnia verissime dictum est. Inueni, quia quamuis Deo displiceret, quòd ille peccaret, vehementer tamẽ ipsi placuit, quòd peccatis suis congrua pœnitentia satisfecit, eaq; absterfit. Has ergo ita perceptas in sanctis suis miras efficit, qui cęteris, & virtutibus, & officijs pręstant. Hieronymus legit, in terra sunt, & magnificis omnis voluntas mea in eis, magnificis, quos & sanctos, seu admirabiles vocans.

Multiplicatę sunt infirmitates eorũ, postea accelerauerunt.

E*Orum scilicet sanctorum infirmitates cum se plerunq; à fortitudine, & magnitudine Dei procul abesse senserunt, multiplicatæ sunt non ad perniciem inquit*

inquit Augustinus, sed vt medicum desiderarent; at non diu hæserunt, quia statim abierunt, & accelerauerunt ad sanitatem scilicet, vt sanarentur. Et quanquã ante infirmi fuerunt, qui peccatorum uinculis astringebantur, vbi tamen præconia Christi audiuerunt, quàm celerrime prædicationi crediderunt. Vel, dolores & afflictiones eorum diuina dispensatione multiplicatæ, id est auctæ sunt, postea annuente Deo cito transierunt. Hieronymus Idola legit vnà cum Symmacho, quæ ipsi septuaginta infirmitates interpretati sunt, idest floruerunt, & numero aucta sunt, atque in honore, & cultu magno habita, at celerrime deleta sunt, quia gentes relinquentes ea ad me cito reuersæ sunt.

Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus.

E*Go cœtus ex gentibus colligens non amplius ex sanguinibus, idest pecorum victimis eorum libamenta sumam, vt Hieronymus non libabo libamina eorum, quia noua illis mysteria, noua sacerdotia, & illa incruenta instituens, atque tradens, quonam modo eis vti debeant ipsi, & quo pacto ad me accedere, ostendã. Iudæi enim Deo libationes de sanguinibus secundum legem, gentes vero dæmonibus faciebant. Itaq; non fient conuentus eorum, qui carni dediti sunt, quique in sanguine perseuerant, quia nec ego hostijs placatus eos congregabo, sed illorum qui Deum eligunt patrem.*

Nec

Nec memor ero nominum eorum per labia mea.

SEd nec veterum nominum recordabor; non enim à me peccatores, impij, idolis seruientes vocabũtur, verum per labra mea, ideſt prophetas, apoſtolos, & euangeliſtas iuſti, pij, fratres, & filij Dei nuncupabuntur; alia namq; eis nomina imponam.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.

CHriſtus humano more loquitur, inquiens, Dominus pars hæreditatis meæ, vocanſq; regnum gentium hæreditatem, ſicut in ſecundo Pſalmo pater filio dixit, poſtula & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Et calicis mei, ideſt mortis; ſicut enim Dominus eſt mei, & meorum portio hæreditaria, ſic & calicis, ideſt obitus mei particeps factus eſt; ſecum enim pater tam ad uocandas gentes, quàm ad filij mortem conſenſit. Vel calicem, hæreditatem appellat ſibi à patre traditam, quæ ipſum lætum, & hilarem reddere poſſit. Mecum ergo hæreditatem mei adibunt, Dominum ſcilicet, qui ſanctorum portio eſt; eligant ſibi alij partes terrenas quibus fruantur, mortiferas alij voluptates bibant, quia calicis mei portio vnà cum corpore meo eccleſia ſcilicet, Dominus exiſtit. Qui ergo mundum animo deſerit, & ad cælum aſſidue aſpirat, vt decet eos

omnes, qui ſacris initiari volunt, ſortem aliam, aut hæreditatem non habet præter Deum; quapropter omnia relinquenda ſunt; vt nobis vere dicere liceat, pars mea Dominus in æternum.

Tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

T*T es ò pater, qui hæreditatem ſcilicet æternæ gloriæ, & lumen claritatis & immortalitatis, quã mei amiſerunt Adamo ipſo peccante, reſarcies; non enim mihi, quod non perdidi, ſed meis in quibus ſum ego, notitiam claritatis meæ cuius iacturam fecerunt, reſtitues. Vel gentes, quæ olim à Deo creatæ erant, & Dei figmentum appellabantur, & à Deo deſciuerant, & ad idola colenda ſe conuerterant, ad fidem reuerſas reſtitues.*

Funes ceciderunt mihi in pręclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

F*Vnis menſuræ nota eſt, qua terram diuidi cõtigit; Vnaquęq; autem gens propriam terram in qua habitaret, & Iſrael promiſſionis terram ſortitus eſt; & prior fuit funiculus populi hæbrei, quo delinquente, & eiecto propter mores eius impios alius, & alij hæredes inſtituti ſunt, ait igitur, funes ceciderunt, ideſt*

ſorte

ſorte mihi obtigerunt in præclaris, patriarchis videlicet, & Apoſtolis, ac ſanctis; quaſi dicat, pro vno Iſraele totius orbis hæreditatem conſecutus ſum, vel funes ideſt limites meæ poſſeſſionis in tua claritate ſorte ceciderunt. Funes etiam poſſunt intelligi vincula illa, quæ Chriſto à Iudæis iniecta ſunt. propter optimos, & præclaros, ideſt fideles omnes, pro quibus pati voluit; aut vincula charitatis, qua eccleſiam proſecutus eſt; etenim hæc placens, & grata eſt mihi, omnibuſq; videntibus, quia ſpecioſiſſima, legit Hieronymus, hæreditas mea eſt.

Benedictus Dominus, qui tribuit mihi intellectum.

SEquitur Chriſtus, vt homo loqui; ait enim tibi gratias ago, quòd non modo præclaram illam hæreditatem, & eximiam terram poſſidendam mihi tradidiſti, ſed & ſapientiam atque intelligentiã, ſiue oculũ quo hæreditas hæc perſpici, & oĩa ſancta, & vera videri queant: non tamen intelligentia, & ſapientia indigebat Chriſtus, qui à conceptionis initio illa abundabat; ſed vt ait D. Lucas, ſecundum humanitatem ſapientia, & ætate, ac gratia proficiebat apud Deum, & homines, quia eandem qua plenus erat, ſapientiam in experimentum prodeuntem cęteris, creſcente corpore paulatim demonſtrabat, & gratiæ dona pandebat.

Inſuper & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei.

PRæterea appetitus meus, qui in renibus ſedem habet, nulla terrena concupiſcens, ſed diuini s tantũ ſermonibus, ac pijs operibus deditus me erudiuit, & vitam meam vſque ad mortem direxit; vel inferior pars mea, carnis videlicet ſumptio me edocuit, vt tentationum obſcuritatem, quam noctem appellat, & mortalitatis tenebras experirer. Nonnulli de Iudæis dicta exponunt; aiunt enim inſuper conſanguinei mei Iudæi, qui à Iuda, à quo & ego ſecundum carnem, orti ſunt, tẽtationibus, & iniurijs reprehenſibilem me oſtendere conati, vſque ad mortem inſectati ſunt. Quæ mihi minus ſatisfacit interpretatio; non enim renes pro ijs, à quibus oriundi ſumus, legiſſe adhuc me alibi memini.

Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.

NOn deijciebam oculum ab eo, qui ſemper exiſtit, hoc prouidens, vt poſt peracta mandata ad eum recurrerem; oculi enim mei ſemper ad Dominum, ideſt ante alios omnes Deum videbam, qui meo in conſpectu ſemper eſt, ideo ſpe non ſum fruſtratus.

Quoniam à Dextris eſt mihi, ne commouear.

QVia mihi præſto eſt, atque auxiliatur, ne à recta vnquàm via ad non rectam declinem; (cuſtodit enim eos qui ſe diligunt) nec ſinit me perturbari, quatenus enim homo cum à dextris Deum habeat, commoueri non potuit, vt grauia, & moleſta in eum inuaſerint. Vel fauet mihi, ac propitius eſt, vt ſtabilis in eo permaneam; ideo ſiniſtri nihil aduerſum me vires habebit.

Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea.

PRopterea cor meum lætitia impletum eſt, ideſt mẽs mea, quia hæreditatem adiui, inimicum deuici, ac te talem adiutorem habui; vnde lingua mea hymnum, & laudes victoriæ cecinit, & mirabilia commemorauit; Nam plena eſt illa lætitia, quæ corde hilari concipitur, & alacri ſermone profertur. Vel in cogitationibus meis eſt iucunditas, in verbis exultatio.

Inſuper caro mea requieſcet in ſpe.

NOn enim deficiet interitu caro mea, ſed in ſpe ſurgendi maxime obdormiſcet; corpus enim Domini in ſepultura iacebat cito excitandum.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno.

QVia animā meam, quam vt verus homo habeo, inferis partibus possidendam communi aliorum more non trades, nec relinques; Quoniam illuc descendi, vt electos meos inde eximerem, & Dæmoni vincula iniicerem, eumq; ligarem. Quare si anima Christi ratione caruisset, vt amens ille Apollinaris, & multi alij aiebant, non illuc descendisset, ac rediisset.

Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

IDest corpus meum sanctum, per quod et alij reddendi sunt sancti, corrumpi patieris, immo indissolubile tueberis, vt anima in incorruptum corpus reuertente cito surgam; hic de corruptione sermonem facit, quæ membrorum est in terram, et puluerem dissolutio; alibi se corruptionem, idest vulnerationem pati inquit, Quæ vtilitas in sanguine meo dum in corruptionem descendo?

Notas mihi fecisti vias vitæ.

IDest humilitatis, vt ad vitam redeant ij, qui superbia elati deciderunt, ac lapsi sunt, idest docuisti me virtutes, quæ ad immortalem vitam hominem ducunt.

Adim-

Adimplebis me lætitia cũ vultu tuo.

ME qui sanctos omnes iucunditate cumulo, perfecta lætitia afficies, vt nihil vltra desiderem, cum vultum tuum, faciemq; videro, & mei, in quibus sum ego, te intuiti fuerint. Postquàm enim surrexero, me hominem factum, & diuinitati coniunctum gaudio perfundes; is enim ante tristis erat ac mœstus, vel cum vultu tuo, circuitione vtens, idest tecum, ipsum.n. Christi corpus filio conglutinatum erat, & patri filius; quare propter hominum salutem eorum lætitia communis erat.

Delectationes in dextera tua vsque in finem.

ET interea in itinere vitæ eius delectationes mihi erunt in fauore tuo perfectæ, & æterno tempore. Græci autem, & Augustinus legunt, delectatio sine fine mihi erit in dextera tua, quæ veritas, & sapientia est. Vel cum dextera patris filius sit, quemadmodum & brachium, & huiusmodi, ait, quòd perpetua erit filio Dei exultatio, quia eos secum exurgere fecit, qui olim è gratia exciderunt. Nos ergo caput nostrum Christum imitantes Deum orare non cessemus, vt nos qui totam spem nostram in eo ponimus, seruare velit, & in eorum numero reponere, qui iam ab initio mundi ab eo electi ad vitam æternam destinati sunt, vt ab his

nequaquam segregati si minus in gloria esse non mereamur, à venia non excludamur; Nam cum ipse nobis concesserit, vt eum partem hæreditatis vocemus, etiã eam nobis largietur, si ad illum tota mente confugerimus, & quæ filius eius Dominus noster Iesus Christus pertulit, vt nobis à patre hæreditatem impetraret, ac obtineret immortalitatem, animaduerterimus; nec permittet animam nostram in inferis partibus cruciari; quid enim hoc acerbius cogitari potest? at nobis ad beatitudinem viam demonstrabit, quam si persequi studuerimus, sicuti debemus, ab eo digni habebimur, qui videamus ipsum, illiusq́; conspectum, & faciem contemplemur; ac tanto nos gaudio complebit, vt maxima in laudanda diuina bonitate, ac sapientia, largitateq́; delectatio secutura sit atque iucunditas. Affectum ergo animi nostri ab hisce terrenis rebus penitus auferamus, nec mundum in delicijs habeamus, sed in eum concitemus odium ingens, mentemq́; nostram totam in Iesu Christo figamus. Et ipse nos regni cęlestis cohęredes efficiet, & inter præclaros numerabit. Qui viuit, & regnat æternis sæculis. Amen.

IN PSALMVM XVI.

EXAVDI.

Titulus. Oratio Dauid, ſecundum omnes.

GRæci aliqui Pſalmum hunc, ſeu potius orationem à Dauide conſcriptam eſſe aiunt, cum Saul ei inſidias faceret, & illum inſectaretur, in qua Deũ ſupplex rogat, atque ad auxilium ſibi ferendum aduocat. Auguſtinus, & latini à perſona Chriſti contra Iudæos; Et eccleſiæ contra hæreticos cani inquiunt. Etiam à viro in mandatis ſe exercenti, multaq; fiducia referto, ab inimicis tamen oppreſſo illam recitari poſſe fatemur.

Exaudi Domine Iuſtitiam meam.

IVſtitiam non hic abſolutam illam virtutem, ſed iuſtam petitionem intelligit Dauid; nam ſe iuſte opem diuinam implorare declarat, qua ſperans fore, vt ab iniurijs ſibi illatis à Saule liberetur, exaudi, inquit, & petita mihi concede. Nam Iuſtitiæ amore inimicum Saulem nunquam lædere, nec obiurgare volui.

Intende deprecationem meam.

ATtende preces meas nimirum mœrore plenas atque humiles, quæq; solę te mihi conciliare possunt.

Auribus percipe orationem meam non in labijs dolosis.

AVdi obsecrationem meam non labris dolo plenis tibi oblatam; ea enim mendacij expers est, quòd mihi conscius sim me nihil vnquam Sauli dixisse, quòd eum offendere potuerit. In labris dolosis, *dixit, quia Deus nisi vera verba auscultare non dicitur; ideo ipse non aliud in ore, aliud in mente gerebat, sed linguam animo concordem profitebatur. Oratio autem siue obsecratio proprie sanctorum est; Deprecatio eorum est, qui mala à se remouere conantur.*

De vultu tuo Iudiciũ meũ prodeat.

DAuid tanquam Rex, & Iudex sedebat, sed ne quatenus homo circa Iudicium falleretur, ignorans quod iustum est, iure petit, quod alibi ait, Deus Iudicium tuum Regi da, & fac, vt ego notitia tua illuminatus verum iudicem, aut iudicans aliud non proferam, quàm ex te cognosco; intelligentiam enim habere cupit, vt in discernendo perspicax sit. Vel aliter,

De.

De vultu tuo, ideſt à te (vt circuitione vſus ſit) ſententia quæ de me ferenda eſt, opto vt feratur. Chriſtus etiam cum iudicandi munus inter homines exereuerit, à patre petit, vt Iudicium de illius vultu prodeat, pater autem cum iudicia faciendi filio poteſtatem dederit, ſi à facie eius egreditur omne iudicium, cum ipſe Chriſtus ſit imago patris, ergo à filio iudicium proficiſcetur. His autem precibus humilitatem ſuam, & in iniurijs perferendis patientiam patefacere videtur.

Oculi mei videant æquitatem.

INteriores oculos optat ſibi rectos, & ait, oculi mei à te directi ſine perſonarum acceptione obliqua refellant, & oculi mentis iuſtas, & æquas de me ſententias ferendas videant. Et Chriſtus inquit, vt ſcilicet à Iudæis pœnam repetas, & mihi remedium adhibeas. Nonnulli latini, & Hieronymus ex Hebr. legit, tui, & precum codex noſter, vt benignus aſpectus tuus videns innocentiam meam pro me contra aduerſarios meos æquam ſententiam pronunciet.

Probaſti cor meũ, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.

TV intimas cogitationes meas ſcrutatus es, quẽadmodum igne aurum exploratur, & nocte tentationum, & afflictionum igne de me queſtionem habuiſti, ac mentem meam facibus ęrumnarum incendiſti,

disti, neque me à via recta declinare, aut aliquod facinus admittere etiam tuendę salutis causa, nec vllã aduersus Saulem iniquam cogitationẽ habere me reperisti; si quidem tantum abfuit, vt infensum hominem ostenderem, licet eius opprimendi facultatem sim nactus, vt linguam etiam à conuitijs abstinuerim; noctem illam nominare opinor, in qua dormientem ipsum seruauit, nec mortiferum illi vulnus infligi permisit. Visitasti ergo nocte cor meum afflictatione, quę non solum nox vocatur, quia perturbat, sed & ignis, quia vrit, qua examinatus iustus inuentus sum, quod etiam D. Laurentius vere dicere potuit. Prædicta soli Christo quadrant. Nam licet in tentationum nocte fuerit ipse, & in regione obscura, ac tenebricosa, tamen cum à Patre eum visente probatus fuisset, vt surgeret dignus habitus, purus, purgatusq; tanquam aurum à fornace susceptus est; solus enim peccato semper caruit, nec in ore illius dolus inuentus est, vt ait Isaias.

Vt non loquatur os meum opera hominum.

I*Deo me examinasti, vt ego me ad te conuertens non humana opera, sed tua beneficia commemorarem; Vel vt aliud ex ore meo non exeat, quàm id quod ad laudem, & gloriam tuam spectat, non ad vanitates hominum, quas ipsi præter voluntatem tuam adhibent. Non enim opere tantum atque animo propen-*

so,

so, sed vel solo verbo opera hominum, idest peccata annunciare malum est: homines autem carni valde deditos intelligit; qui enim purus, & integer est, ne verbo quidem offendit, Hieronymus ex Hebr. legit conflasti me, & non inuenisti cogitationes meas transire os meum, idest de me magnum periculum fecisti, & non reperisti cogitationes malas per os meum peruasisse, nec me illis consensisse, sed imitantem me beatum Iob linguam meam continuisse: Nam & si cauere nequit homo, ne prauæ cogitationes in animo oriantur, illas tamen non tractare, nec perficiendas curare, & silere potest.

Propter verba labrorum tuorum ego custodiui vias duras.

IDest prophetarum tuorum ego vias mortalitatis humanæ laboriosas confeci, & futura supplicia timens, quę legis pręuaricatoribus minatus es, in duris me laboribus exercui, & animæ corpus subieci. Vel vt tuis mandatis, ac præceptis parerem, asperas virtutum vias ambulaui, & difficile ac laboris plenum iter perfeci. Hieronymus vero inquit, In opere hominum propter verba labrorum tuorum obseruaui vias latronis, idest in actionibus, & negotijs omnibus, in quibus solent homines multam operam ponere, propter præcepta tua exploraui vias latronis, idest Dæmonis, quæ valde occultæ sunt, ne se insinuet; semper enim is pręsto est, vt actiones nostras

nostras omni dedecore maculet, Et in hoc omne studium ponit, nihil vt eorum, quæ agimus, Deo placeat.

Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.

SEnsus meos in semitis iustitiæ, in mandatis videlicet, rectos confirma. Vox etiam est ecclesiæ, & rectas fac cogitationes, & actiones meas, atque in eis animi mei affectum corrobora, quò vestigia mea in quibus iustitiæ forma impressa est, extent, & nō amplius nutent: Vel nō commoueantur itineris mei signa, quæ intueantur ij, qui me imitari volunt. Exemplum præbet nobis Christus his verbis, ne plus de nobis sentiamus quàm decet, nec nobis ipsis fidamus; quin potius suffragij semper eius nos egere existimemus, ac vt pedes nostros ad eius vestigia dirigamus, à quo initium est ac finis. Semitæ enim Domini sunt eius mandatorum obseruationes, vel potius planæ virtutum actiones, eò quòd ab ijs, qui ad earum finem studiose peruenire contendunt, quasi pedibus terantur, quorum finis est beatitudo.

Ego clamaui quoniam exaudisti me Deus.

EGo clamani fide munitus, & intentione valida preces meas ad te direxi, quoniam me orantem exaudisti;

exaudisti; vel non temere huiusmodi verbis vsus sum, sed iampridem benignitatis tuæ periculum feci, nam cum te sæpe inuocarem, exaudisti: aliqui opinantur dictũ esse, clamaui & exaudisti, pro clamabo & exaudies. Hieronymus quoque legit, inuocauit, quoniam exaudies: clamor autem nihil aliud est, quam intenta in Deum cogitatio.

Inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

CHristus aurem inclinat, cum exaudire vult, tanquàm excelsus ad humilem; Auditus enim Dei, est potestas, quæ propriæ bonitatis impulsu ad preces nostras audiendas se inclinat, & exaudi verba mea, idest preces meas admitte, & auditio tua humilitatem meam non deserat.

Mirifica misericordias tuas, qui saluas sperantes in te.

IDest miras fac miserationes tuas, diuinum videlicet auxilium tuum, vel vilissimæ non sint misericordiæ tuæ, ne minus amentur, immo fac, vt admirationẽ moueant, qui saluos præstas non eos, qui ex semine Israel sunt, sed qui viam viuendi nouam nacti in te sperant, & beneficio afficis illos, qui in te spem collocãt. Omnes enim, qui Dauidem à Deo adiutum, & à tantis periculis

periculis liberatum esse intellexerunt, ac viderunt, tam validum auxilium non admirari certe non potuerunt.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, vt pupillam oculi.

VOcat Dei dexteræ, & auxilio resistentes, qui Dauidi aduersabantur, & iure quidem; nam ille à Deo vnctus Rex administrationem regiam consecutus est. Ait igitur, qui contra me pugnant, electioni decretisq; tuis obsistunt, ac Saulem & Satellites suos significat. Vel dextræ Dei, idest fauori tuo, quo mihi faues. Custodi me igitur ab illis, vt oculi pupillam, quæ & si perparua videtur, attamen acies est, qua cernimus, & videmus, ac lucem, tenebrasq; diiudicamus, quam oculus, & palpebræ tanquam pilorum vallo munitæ admirabiliter custodiunt. Vel dextræ Dei, idest vnigenito eius filio; cui Dæmones repugnant, & impostores, ac maligni homines; & cui resistunt Iudæi eius doctrinæ contradicentes; Sed quomodo alibi ait, Tu terribilis es, & quis resistet tibi? vere & reipsa ei repugnare neminem, at voluntate, ac proposito resistere respondetur.

Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt.

ALas vocat vires, & efficacitatem diuinæ prouidentiæ, quibus conseruare, & fouere omnia so-

let Deus; similitudo autem ex gallina, & auibus sumpta est, quæ pullos suos alis tuentur, & seruant à facie impiorum, idest ab ipsis impijs Saule scilicet, & socijs; (vocat impios, omnes iustitiæ violentiam adhibentes, nullam spem de rebus cælestibus habentes, animamq; cum corpore interire fatentes.) qui me miseria, & calamitatibus pressum afflictare magis cupiũt. Christus etiam ad Deum patrem huiusmodi voces misit, cuius alæ sunt misericordia, & charitas, quibus à rapacitate Dęmonum Iustos defendit, atque custodit.

Inimici mei animam meam circundederunt.

OPus, & figuram insultantium describit, opus, cum eos insidias parasse, figuram, cum circundatos adipę esse inquit; Inimici igitur circunsepserunt animam meam, inquit, idest me, totum à parte explicans, vel animam dixit, quoniam corporei hostes vitam, Dęmones nisi animam quærunt; Et quia ignorant quę intus in anima cogitet homo, eius motus, & actiones obseruant extrinsecus, vt in quo se vnumquenq; oblectare perspiciunt, in eo mala illi subijciãt. Iudæi quoque animam Christi, idest vitam insidijs, & malicijs circundederunt, eam tollere volentes.

Adipem

Adipem ſuum concluſerunt.

ILli adipem ſuum concludunt, qui terrenis rebus affi ciuntur, ideſt ingenti voluptate tanquàm adipe op-pleti ſunt; Vel miſericordiam omnem, quæ à corde, & viſceribus in quibus adeps exiſtere ſolet, manare dici tur, intra ſe ipſos incluſerunt, nullum humanitati in ſuis cogitationibus locum relinquentes. Hieronymus legit, adipe ſuo, ideſt abundantia diuitiarum, & potẽ tia ſua me obſederunt, vt me perdant. Ac videtur innuere illud in teſtamento veteri, cum Iudæi adipem mandere probibentur, quòd eorum cor craſſum effectũ fuerit: nam ſceleribus ſaginati ſenſum carnis retinue runt, veram ſpiritus intelligentiam amiſerunt.

Os eorum locutum eſt ſuperbiam.

QVia à Deo defecerunt, cum futura non credant, & iudicium negent; ideo nihil bene, ac recte pro ferunt; ſed tam inflata loquuntur, vt iactent illi ſe cito me tanquàm facilem captu prædam comprehenſuros, quòd ex manibus eorum elabi nequeam; quaſi ego nuſpiam auxilium habiturus ſim, ſicut Iudæi arrogan-ter, Aue Rex Iudæorum, & ſi es Rex Iſrael, deſcende, & huiuſmodi aiebant.

Proijcientes me nunc circundederunt me.

IPsi præterea me à patrio solo, & ex bonis meis expellentes, & eijcientes circuierũt me, vt vita etiam priuẽt, & huc illucq; concursant, vt me abripiant, quẽadmodum Iudæi Christum proiecerunt extra ciuitatẽ; & non obsequio, sed furore tanquàm ad spectaculum datum conuenientes in crucem sublatum circundederunt, vt irriderent prauos colonos imitantes, qui primum seruos in vineam missos occiderunt; filium deinde, & hæredem interfecerunt. Hieronymus autem legit, incedentes aduersum me, tanquàm hostes, scilicet contra me insidias struentes.

Oculos suos statuerunt declinare in terram.

AD terrenas cupiditates intenti, oculos suos, idest cor suum à te, & à mandatis tuis declinare decreuerunt, & quod rectum est, noluerunt intueri, sed prauum mentis oculum habuerunt. Quod nihil aliud erat, quàm absq; vlla ratione, quicquid poscebat libido, explere velle: putabant enim eum perpeti magnũ malum qui occidebatur, nullum verò, qui interimebat. Et præsertim Iudæi, qui Christum hominem duntaxat existimauerunt, & eius diuinitatem non cognouerũt;

ac

ac de terrenis rebus cogitauerunt, cęlestia minime meditati sunt. Vel aliter, statuerunt declinare, idest, vt declinent, & me deprimant, & ad terrena compellãt, & quæ ad carnem pertinent, concupiscere mihi persuadeant.

Susceperunt me sicut leo paratus ad prędam, & sicut catulus leonis habitans in abditis.

I*Dest sustulerunt me quantum ad eorum spem attinet, & conatus eorum, dęmonem imitantes, qui aperte satellitibus suis nos oppugnat, ipse vero in spelunca latitat, insidiasq; tendit; vel susceperunt, idest me expectant, vt more leonis me perdant, & velut feram quandam me capiant, quoniam qui suscipiunt, aliquid futurum expectant, vt illud, suscepimus misericordiã tuam, idest humanitatẽ tuã expectauimus. Hieronymus autem legit, similitudo eius quasi leonis, vt Dęmonem cum leone comparet, qui vt ait D. Petrus, circuit quærens quem deuoret.*

Exurge Domine præueni eum vel eos, & supplanta eos.

Q*Vi dormire, & propter longanimitatem, ac lenitatem iniquitates non curare existimaris, præueni impios eos scilicet, idest noli permittere ad finem eorum conatus peruenire, & prospere succedere; sed ij malitia cæcentur sua, vt vindicta factum eorum anticipet;*

anticipet; Et supplanta more luctantium, vt pedis offensione accepta, quæ eorum cursum retardet, in terrā labantur, atq; à peruerso illorum proposito cadāt. Nos in codice precum nostro eum vnà cum D. Hieronymo legimus, vt hęc de Dęmone dicta exponamus.

Eripe animam meam ab impio, frameam tuā ab inimicis manus tuæ.

ANimam meam, ideſt, me ipsum, ab impijs, Saule, & socijs, frameam tuam, scilicet erue, ideſt gladium tuum, quo fidens aduersus hostem vsus sum, ab inimicis manus tuæ, ideſt virtutis, ne ereptam mihi in me conuertant; aut gladium, & potestatem aufer, quam à te acceperunt. Hostes manus Dei, hostes eius appellat, quoniam qui eum vnctum à Deo in Regem deijcere studebant, cum Deo pugnare videbantur. Vel eripe, inquit Christus, animam meam suscitando me à morte ab impijs illata; frameam tuam, quæ est anima mea, erue, quam æterna virtus tua assumpsit, vt ipsa regna iniquitatis bello expugnet; & iustos ab impijs diuidat. At Hieronymus legit: animam meam ab impio, qui est gladius tuus, ideſt, à Dæmone, qui iustum insectatur tanquàm gladius, & flagellum Dei, in quo Dominus suos exercet. Græci aliquot legunt, framea tua, ideſt gladio tuo in eos districto; siue seuera, & iusta vltione tua ab eorū insidijs me tuere, non vt occidas, sed vt illa inimicos tantum perterrefacias atque repellas.

Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum.

Domine à paucis fidelibus secundum Historiã, qui in Agrippę regnum secesserant, antequam Hierusalem obsessa caperetur, iudæos separa, ac de terra illa sublatos quam inhabitant dissipa; hanc enim solam vitam suam putabant, quia æternam desperabant, & eos scilicet per orbem terrarum disperti in ac præsenti vita, quod & factum fuit; nam futura vt præsentia indicauit Dauid. Vel à paucis, idest ab electis, & sanctis, qui admirabilem à Deo hæreditatem acceperunt, malos segrega, qui impositum sibi ipsis à Deo iugum excutiunt, sicut prauo eorum viuendi modo congruit. Si enim eorum cętus, & nefariæ conspirationes dissoluantur, vtilis est illa segregatio, si quidem quod concordi animo malum commissuri erant, si inter se diffideant, imperfectum abijciunt, vt turrim ędificantibus contigit. Non nulli gręci ita exponunt, quoniam tu domine cunctos homines communi mortis decreto de terra separas, hos tu, dum vitam ducunt, idest adbuc viuentes ipsos dissipa, vt ante communem mortem pro sceleribus admissis pœnas luant. Hieronymus autem legit, à uiris manus tuæ Domine qui mortui sunt, in profundo, quorum pars in vita, idest ab hominibus prauis super quos est manus tua, & vltio, qui in profundo peccatorum, & prauorum appetituum coràm te mortui sunt, qui pro portione in hac vita felicitate vtuntur, scilicet fideles, & Iustos diuide.

De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum, ſaturati ſunt filijs, & diuiſerunt reliquias paruulis ſuis.

Omnibus bonis, quæ in hac mortali vita poſſidentur ſiue cibo fructuq́; ac delicijs, ſiue Theſauris, vt Symachus exponit, abſcondita, *auro videlicet, & argento impletus eſt venter eorum, ideſt ipſi expleti ſunt. Abſcondita etiam, pœnas ac ſupplicia, & vindictas intelligit, quas cũ Dominus Deus vult, promit vlciſcens, quando minus homines opinantur, & pro tempore illis vtitur, ab ipſo theſauro translatione ſumpta, ideſt vt ſupplicijs tuis eorum viſcera adeo torqueas, vti pœnis à te inflictis filij quoque vnà cum parentibus puniantur, & vltio tua ad nepotes etiam perueniat. Vel de abſconditis, ideſt peccatis quæ tanquã tenebræ à lumine veritatis tuæ remota ſunt, memoria eorum repleta eſt, vt Deum obliuiſcantur.*

Ego autem in iuſtitia apparebo in conſpectu tuo, ſatiabor cum apparuerit Gloria tua.

Ego bonis & iuſtis operibus fultus, quòd mandata tua obſeruaui, in conſpectu tuo in futuro apparebo, quod illis non continget, & ſatiabor, ideſt maxima in me tuæ benignitatis ſignificatione cum iucunditate fruar. cum apparuerit gloria tua, qua me glorioſum

efficis, vel gloria tua, ideſt filius tuus, qui ſalus eſt & vita, ac ſanctorum gloria. Hieronymus vero legit: Ego in iuſtitia videbo faciem tuam, implebor, cum euigilauero ſimilitudine tua. ideſt in iuſtitia perueniam ad aſpectum uultus tui, & tunc ſatiabor plene felicitate æterna, cum à mortuis reſurgam ſimilitudine tua, ideſt ſimilis tibi, & anima, & corpore glorioſo factus: ſimiles enim erimus, ut ait D. Ioannes, ergo non in hac uita tenebit me ſatietas, ut impios, quorum in hac uita pars eſt, ſed in futuro ſæculo, atque in uita æterna, ubi à mortuis experrectus fuero, ſimilitudinem tuam, immo gloriam tuam, quin & te ipſum, qui mea es gloria, intuebor. Enitamur ergo in operibus bonis nos quoque ita uerſari, ut iuſtitiam noſtram in conſpectu Dei ponentes, orare uere poſſimus, atque ab eo nos exaudiri, aduerſusq; noſtros hoſtes impetrare, ut contra eos Iudicium fiat, ſicq; in iuſtitia nos ita ſtabiliri, ut nunquàm à ſemita recta ob illorum prauitatem dimoueamur; præterea ipſum nos obſecremus, ut ſuam erga nos miſericordiam augeat, ac tanquàm pupillam oculi nos cuſtodiat, ne ab inimicis inſultantibus offenſionem ullam accipiamus, qui tantam in nos crudelitatem exercent, ut nullas inſidias ponere ceſſent, quo nos abijciant, atque proſternant. Denique tota mente ad Deum confugiamus, & ei ſupplicemus, ut eorum machinationes ille anticipet, ne ab ipſis lędamur, & à nobis, qui boni, & iuſti Deo adiuuante ut ſimus, magnopere laboramus, illos ſeparet, qui in hac uita omnium diuitiarum ſatietatem habuerint, & concedat Dominus Deus nobis, qui in hoc mundo tanquàm peregrini

domicilium

domicilium habuerimus, vt cum ab hoc corporis ergastulo soluti fuerimus, ante faciem Dei sistere nos, & cum eo illa beatitudine æterna frui queamus, atque illa inexplicabili affici lætitia, qua diuinam eius bonitatem, sapientiam, potentiamq; contemplantes perfundemur. Qui viuit, & regnat sæculis omnibus benedictus, & gloriosus. Amen.

IN PSALMVM XVIII.

CÆLI ENARRANT, gloriam Dei.

HIc Psalmus ex eorum numero est, qui ad finem beatum nos ducunt. In finem autem inscribitur, quia nouam vitam nobis prænuntiat, & de aduentu Christi nos instruit; Qui & allegorice de ecclesia canitur. D. Hieronymus more suo, Victori ait, quoniam victoriarum datori dicatus est. Nonnullis videtur in hoc impietatem eorum reprobari, qui omnia casu, aut fortuito euenire dicebant, contra quos ex natura rerum argumentatur Dauid inquiens.

Cæli enarrant gloriam Dei.

CAeli ipsi vbiq; magnificentiam Dei prædicant; quæ enim videri nequeunt, per ea quæ facta

sunt, vt ait D. Paullus, intellecta conspiciuntur, & semper laudant, non voce, at aspectu, non clamantes, sed apparentes, præsertim cum nato domino stella quæ nunquam videbatur, apparuit; nec lingua vtentes, sed ornatu suo, & numeroso illo concentu magnitudinis potentiam docentes. Quot quot enim eorum pulcritudinem, & ordinem intuentur, ad opificis gloriam celebrandam excitantur. Non est autem quòd quis multitudinem cælorum audiens miretur; scriptura enim, et plures vt hic, & vnum agnouit, vt alibi; Cælum cæli Domino. Ἀλληγορικῶς, *Apostoli cæli dicuntur propter eorum sublimem viuendi modum; & viri sancti, qui similem in terris vitam angelis ducunt. Nam apostoli, & Iusti, in quibus habitat Deus, tanquàm in cælis, gloriam D.N.I. Christi narrant, qua filius gloriosum super terram patrem effecit; vel gloriam Dei, quod Deus peccata gratis condonet. Argumentatur Origenes, quomodo si cæli ipsi peribunt, Dei gloriam exponunt? atqui nemo eam prædicās interibit, inquit enim qui me honore afficiet, eum gloriosum reddam, non igitur cæli peribunt, porrò qui gloriam Dei nunciant, pura & simplices illæ naturæ sunt, vt Isaias, & Ezechiel aiunt, quòd in se ipsis iustitiæ solem habeant.*

Et opera manuum eius annunciat firmamentum.

Videtur superioris dicti esse repetitio; Efficaces vires eius firmamentum annunciat non verbis, sed operibus, hoc inquam secundo Die factum omnibus prædicat, & vociferatur tantum, ac tam admirandū

opus

opus in rerum naturam prodiisse, at veri Dei omnium creatoris opus esse, magnificentiamq; eius demonstrat, quam supra gloriam Dei, nunc opera manuum eius appellat. Apostoli etiam firmamentum vocantur, quia virtute spiritus sancti firmati sunt; Quæ autem opera virtutis eius nunciant? Gloriam Dei, qua salui facti sumus, & miracula quæ edidit, quòd passus fuerit, surrexerit, & ad cælum ascenderit.

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.

Dies & nox docent eos, qui erudiri cupiunt, quanta sit sapientia, & virtus Dei temporum interualla metientis; nam si casu mundus regeretur, dies ac noctes suum ordinem non conseruarent; sed huiusmodi vicissitudines diurnæ nocturnæq; ferè loquuntur, et clamant sapientissimi Dei vniuersorum prouidentiæ testimonium tribuentes nobis, et Dei cognitionem hominibus prædicantes. Nam ipsa Dies eructat, idest significat mandatum Dei, quod de huiusmodi ordine confectum est, et nox indicat scientiam, idest doctrinam de hac prouidentia Dei, quã ipse ordo declarat; qui tanta cum regula adhibitus est, vt Dies et noctes mutuo non se offendant; Allegor. Dies diei, idest Apostoli fidelibus, sancti sanctis, spiritus spiritui eructant verbũ carne indutum esse; nox nocti, idest caro carni, vel dies idest pater filio dicit, et nox idest Christus, vt homo nocti, idest alijs hominibus scientiam, ac Dei cognitionem annunciat.

annunciat. Quando ergo Christus apostolis loquebatur, dies diei verbum proferebat; quando Iudas Christum prodebat, nox nocti scientiam tradebat.

Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Non sunt sermones eorum, scilicet dierum & noctium, cælorumq; gloriam Dei enarrantium, & firmamenti opera Dei manuum annunciantis, quorũ, Hieronymus legit, quibus, græce ὧν, vt διά suppleatur, idest per quos, vt explicat etiam D. Augustinus nõ audiantur eorum voces. Nonnulli græci cum interrogatione legunt; Nunquid non sunt sermones earum rerum, quæ anima carent? & quarum voces non audiuntur? respondent, operibus istas res creatas magnitudinem Dei clamore adeo exprimere, vt totus orbis earum voce impleatur. Aquila clare explicat inquiens: non sermonem emittentes, nec verba proferentes, sed regulam, & proprium ordinem præseferentes, omnem terram & mare ad diuinas laudes perpetuo celebrandas, & canendas inuitant. Ac sonus ille vsque ad nos peruenit, & in fines, repetitio est, quæ prædictio probata est, quoniam vbiq; gentiũ aliqui sunt qui prouidentiam Dei, & intelligunt, & nunciant. Vnde futura tanquam præsentia Dauid intuetur. Allegor.

commendat.

commendat, & gloria dignam ostendit Apostolorum sapientiam, vt pote qui pure ac sincere Christi mysteria loquantur. siquidem prophetarum sermones propter eorum obscuritatem à multis non admodum percipiuntur; at Apostolorum verba ad omnes vsque terrarum terminos peruenere; Voces cælorum non sunt alicuius idiomatis per quod intelligantur, sed vbique spectaculum præbent, & visu percipiuntur; Apostolorum vero & euangelistarum voces auditæ sunt, sicut D. Paullus ad eos hæc verba refert, cum omni linguarum genere ad prædicandum euangelium vterentur, quorum fama in omnes fines, & angulos exiuit.

In Sole posuit tabernaculuш suum, & ipse tanquàm sponsus procedens de Thalamo suo.

D. *Hieronymus, & omnes ex Hebr. interpretes concordes exposuere: Soli posuit tabernaculum in ipsis, scilicet cælis, vt ab eis veheretur, idest iuxta Moysis dictum c. 1. Gen. domicilium collocauit; aut illic, vt legunt aliqui in firmamento videlicet; & omnes ferè greci ita interpretantur; Quę lectio etiam Apostolis congruit; Christo enim Deus pater in eis tabernaculum posuit, vt per illos in omnes mundi partes ipse penetraret. Sol igitur gloriæ Dei doctor existit, quippe qui legem Domini perpetuo seruet, & ordinatim cursum suum conficiat, nec extra constitutos sibi fines egredia-tur.*

tur, sed imperantis decreto lucis flore illustratus rectã viam persequatur, pulcher existens, atque fulgentiũ radiorum splendore instar sponsi è Thalamo exeuntis in eius ortu decorus; vnde commẽdatur eius pulcritudo, vt sicut sponsus niteat. Allegor. In sole Iustitiæ Chrĩsto pater habitat, et Christus in homine virtutũ radijs corruscante sedem habet, et omnem hominem illumi nat, sicut orbem terræ totum Sol; Hic autem sol Iusti tiæ Christus tanquàm de thalamo è sinu paterno egressus in beata virgine tabernaculum, idest carnis à se sum ptæ dispensationem posuit, et de vtero virginali exiens Deus humanæ naturæ tanquàm sponsus cum sponsa copulatus est. Vel in sole, idest in apertum tabernaculum suum retulit, idest ecclesiam suam, et eam omnibus illustrem reddidit.

Exultauit vt Gygas ad currendam viam.

MAgnitudo solis laudatur, quòd robustus sit, atque ad conficiendam viam suam velox, nec vnquam defessus videatur. Christus quoque cum indutus carne Dęmonem alligasset, & vi ab eo astrictos soluisset, secumq; duxisset, in cælum ad patrem redijt, velocitate gygantem cum robore currentem imitatus.

A summo cælo egreſsio eius, & occursus eius vsq; ad summũ eius.

SOlis exitus à summo cælo est oriens, & summam cæli plagam orientis intelligit; occursus autem oc casus

casus est, quòd ab extremo oriente ad extremum occidentem feratur, & totam spheram integro nimirum die ac nocte percurrat. Allegor. à summo cælo, idest à patre egressio est non in tempore, sed æterna, qua de patre natus est Christus, & diuinitatis plenitudine vsque ad æqualitatem patris recurrit.

Nec est, qui se abscondat à calore eius.

HOc certe maxima admiratione dignum, quòd cũ tanto interuallo à nobis distet Sol, illuminet tamen & calefaciat; nec vllis locorum spatijs minor ille sentiatur calor, calorem autem dixit, nõ lucem, quia maius miraculum apparet, & ostenditur; nec est qui se occultare possit, queunt quidem, sed calorem non sentiunt, nec eius erunt participes, quia ipse sol omnibus se exhibet. Sic verbum caro factum non permisit vllum mortalem hominem se excusare, quòd ad ipsum non penetrauerit verbi calor, etiam magis cum ascendit Christus misso Spiritu sancto omnes valde calidos effecit; nec est qui vitandi caloris causa se abdat, nisi volens, vt de sole dictum est; At cum venerit iudicare viuos & mortuos, iram eius nemo effugere, & se occultare poterit.

Lex Domini immaculata conuertẽs animas: testimonium Domini fidele Iustitiam præstans paruulis.

POst mysterium carnis à Christo sumptæ agit de lege, quæ ab ipso re ipsa impleta fuit, et ait, Cum lex

naturæ omnes homines rerum creatarum magnitudinem, pulcritudinem, & ordinem doceret, legem tamen Moysis scriptam tradere voluit Deus, à qua de diuina prouidentia, ac sapientia erudiremur; legem appellat, vt quæ optimum vitæ institutum præscribat. eam autem vocat omnis prorsus maculæ immunem, Euangelicam præsertim, quæ animas hominum ab errore ad veritatem conuertit, & omni labe carentes efficit. Testimonium Domini, quia peccatores contestatur, & imperfectos territat: Fidele, quia dignum cui fides adhibeatur, quo qui in Deo paruuli sunt, & humiles non superbi, sapientes redduntur, quod Danieli accidisse legitur, cui puero sapientia data est; & fortasse homines humanæ scientiæ expertes, & illiterati, & idiotæ docentur.

Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

IVstitias dicit, quia quod iustum est, ea doceant, & iniusta prohibeant, & recte agentes iustos esse declarent, quæ fructum eis lætitiæ afferant, qui sint illius participes, & eos gaudio cumulent; Præceptum lucidum, quia in se euidens oculos mentis & corporis, & interioris hominis illuminat, Dei cultum docens; oculi enim sapientis prouidentia est, eiusq; circunspectio. Quid autem præceptis Dei euidentius; non occides, non furaberis, & illustrius?

Timor

Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.

TImor Domini non seruilis sed castus, nec puniri, sed ab eo separari timens quem diligit, permanet in æternum, quia spiritus sanctus eum donat, & confert, qui perfectiorem hominem reddit, & fruentem eo nunquam à beneuolentia Dei excidere sinit, dictus merito castus, sanctus, & purus, non quia cum eo aliquid commisceatur, sicut mixtus est ille humanus, quem charitas foras emittit, & sepe extinguitur, sed quia veneratione, & religione diuina plenus sit, qui sibi appropinquantes puros, & castos efficit, & eos ad futurum seculum perducit. Itaque timor euangelicus mundus à timore, quem lex vetus iniicit, multum differt, quoniã ille pœnam respiciebat, hic vero in causa est, vt bonis omnibus perfruamur; Nam timore Dei declinamus à malo, qui cum ęternus sit, habentes illum ęternos efficit, & ęternorum bonorum fructus comparat.

Iudicia Domini vera iustificata in semetipsa.

IVdicia Domini, quę secundum puritatem iudicant, vera existunt, & qui timet Deum iam vera esse nouit; Iustificata in semetipsa, idest in semetipsis ipsa iudicia Domini euidentem iustitiam habent, vt potè

quę

quæ premia, & supplicia hominibus iuste rependant. Vel in semetipsa, quoniam in vnum compacta perpenduntur; nam si quis ea fortasse sigillatim intueri atq; examinare quærat, veritatem & iustitiam manifeste non videbit; mutuo enim coniuncta sunt, at propter ipsum vnum vera sunt. Aliqui ex Hebr legunt, Iustificata pariter vel simul, vt significare videatur nihil commixtũ esse cum in iustitia, & veritati nihil deesse.

Desiderabilia super aurum, & lapidẽ pretiosum multum, & dulciora super mel, & fauum.

H*Vic voluptati, quæ à prædictis percipitur iudicijs, nihil est in vita pretiosum, quod comparari queat, nam qui animum suum auri, idest diuitiarum, & lapidis pretiosi multi, idest potentiæ auidum desiderio veri boni compescit, omnium illarum rerum cupiditatem abstergebit, & eadem fauo, & melle, idest voluptate suauiora experietur. Peccatoribus quidem Iudicia Dei formidolosa sunt; seruantibus vero legem, & opere eam complentibus omnino cunctis rebus dulciora sunt, mercedis enim futura eximia spes est.*

Etenim seruus tuus custodit illa, in custodiẽdis illis retributio multa.

N*On de seipso tantum hoc affert, nimis enim sibi arrogaret, sed de quolibet Dei seruo qui dicere potest ea esse dulcia, quia illa expertus sit; & in seruandis*

uandis illis ei multa merces est, quæ multa non esset, si pro obseruatione, prædictorum terrestris ea, & fluxa expectaretur, & in aliquo exteriori commodo consisteret; cum vero cælestis illa sit, & omnibus mundi diuitijs antecellat, multam et copiosam esse necesse est, quæ in eo ipso etiam continetur, quo iudicia Dei amantur, & ab eo, qui obseruat, illa ipsa duntaxat appetuntur, prætere a nihil; Si ergo seruus est, qui Iudicia Domini opere complet, ergo qui ea spernit, minime seruus erit.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.

HActenus de pietate differuit, nunc persequitur, quæ ad iustitiæ administrationem spectant, deq, humanis delictis agit. Et docet eum, qui secundum virtutem perfectus est, neque peccati immunem esse, quis enim ad discernenda peccata adeo sapiens futurus est, vt in ea non incidat, cum aliqua maxime lateant, & humanam cogitationem fugiant? ait igitur, cum supra dixerit se seruum mandata seruare, humanam imbecillitatem in memoriam redigens, & verbum superbum considerans, quis est qui perspiciat interiora, & quæ cupiditate, & cogitationibus committentur? nam manifesta quilibet delicta intelligit; rarus, vt verbũ, quis, innuit, admodum est, qui ea noscat, ideo ab occultis munda me, idest à cupiditatibus latentibus, & ab ijs, quæ per ignorantiam commissa sunt, perinde ac iu-

stus

stus dicat, quoniam in occultis animi cogitationibus maculas, & sordes esse contingit quas, & alij nesciunt, et ego ignoro, tu qui latentium cognitor es, penitus absterge, quę nisi deleantur, occasionem dabunt, vt ab alienis capiar; Delicta enim quę occulta existunt nondum re perfecta, factis aliquando committi possunt.

Et ab alienis parce seruo tuo.

N*On enim me solæ cogitationes circundant, verum etiam me Dęmonum agmina obsident, & illa quidem foris, hęc autem me intus conficiunt. Iure Dęmones tanquàm hostes, & inimicos, alienos appellauit; vel ab alienis, scilicet peccatis, quę si omnino aliena sunt, nulli ascribuntur, at consentienti, aut dissimulanti attribuuntur; quicunque enim pręest, commissorum à sibi subiectis delictorum reus est, quando nimirum ob eius negligentiam seu dissimulationem deliquerint; vel ab alienis quę extrinsecus Dęmone suggerente eueniunt; nam quęcunq; non à nobis, sed extra ortum habent, hęc aliena vocauit; parce ergo ab alienis, ne seducar ab eis. non capitur tamen ab alienis, qui à suis penitus liber est. Hieronymus legit, à superbis libera seruum tuum, necessario huiusmodi preces fudit, tanquam superbe ante locutus, cum dixit. Etenim seruus tuus seruat ea, rogat igitur vt à superbia liberetur.*

Si mei non fuerint Dominati, tunc emundabor à delicto maximo.

D. *Augustinus cum nonnullis gręcis, dominata, legit, idest cum me ab occultis meis nondum purgatum*

ſuperbia liberer, merito hæc dico, vt qui nondum aliquid perfecti præſtiterim, & tum demum delicto ingenti mundus reddar, cum interiora ſcelera mea domi nata mei non fuerint; nec me ſuperba cogitatio, aut maligni Dæmones in ſeruitutem adduxerint; maximū delictum vocat, quod facto perficitur. Si ergo occulta mea, & aliena peccata, & quæ per libidinem occulte irrepunt in mentem, in me dominationem non habuerint, me ſanæ atque integræ mentis inuenies domine. Hieronymus quem ſequimur, legit, ſi mei non fuerint dominati, ideſt peccatores & Dæmones, qui dominatū habent, cum ad conſenſum nos alliciunt, tunc ſine macula peccati mortalis me tuebor, & à delicto maximo, ideſt à ſuperbia, quæ peccati omnis initium eſt, vacuus & purus ero.

Et erūt, vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

CVm hæc abs te in me profecta fuerint, & venia à me facinorum impetrata fuerit, tunc quæ ore protuli, cum te laudo atque gratias tibi ago, grata tibi erunt, & probabuntur; Et meditatio mentis meæ, cū ſcilicet reprehenſione caruerit, in conſpectu tuo, ſcilicet erit, qui conſcientiam puram inſpicis, & cum animus turpia cogitare dedidicerit, tua, & ea quibus delectaris, aſſidue examinabit.

Domine adiutor meus, & redemptor meus.

Per hoc docet, quòd Dominus adiuuat in bonis, & ijs omnibus, quæ virtute aguntur, & quòd à malis liberat. Nam Dominum tanquàm creatorem, & opificem vocauit, & appellauit redemptorem tanquã eum, qui per lauacrum sanctum, & à priori morte liberet, & Dæmonum seruitute redimat, incorruptamq; demum, & immortalem vitam largiatur. dicit igitur, nullius hostium imperio succumbam, quod si accidat, me ob ignauiam captiuum abduci ab aduersarijs, tu solus inuentus es adiutor, & redemptor, qui me ab illis redimere queas. Qui ergo in contemplatione vitam traducunt thesauros in cęlo obruentes, ij gloriam Dei narrant; Qui autem actiones eligunt, pro firmamento habentur, stabiles enim, & firmi opera manuum Dei nunciant Christi mandata conficientes. Nos vero si perfecte contemplari nequeamus, in actione saltem Christo placere conemur, & vbicunq; locorum erimus, magna illius facta prædicare, vt aliquo modo ipse sol Iustitiæ D. N. I. Christus tabernaculum in nobis parentibus illius præceptis, & gloria quàm maxima eum afficientibus collocet. Amemus eius legem maculæ prorsus immunem, timoremq; Domini illum sanctum in nobis imprimamus, qui bonis nos ditet, Dominum quoq; rogemus, vt cum nemo sit, qui delicta optime sciat pręsertim interiora, vt ab his nos liberet, nec non ab alienis; nam si ijs ita vacui fuerimus, vt dominatum eæ

non

non occupent; non modo sperare debemus nos maculis, & sordibus esse vacaturos, sed maiestati etiam tuę ita fore gratos, vt libenter nos adiuues, & redimas, qui viuis & regnas in aeternum. Amen.

IN PSALMVM XIX.

EXAVDIAT.

In finem Psalmus ipsi Dauid.

Secundum Gręcos plerosq; cum Sennacherib ad Ezechiam Regem litteras conuitijs plenas misisset, ille vt erat pius, & omni integritate, ac boni tate praeditus, acceptis ijs Isaiam sibi adiutorem aduocauit, et in templo exponit hostium impietatem, Deūq; orat & obsecrat, vt manifestam ante oculos Assyriorū virtutem suam apertamq; ponat. Quod praeuidens Dauid Spiritu sancto afflatus vaticinatur, & praesentem Psalmum dictat, in quo populum simul cum eo precantem introducit, vt propitia Ezechiae supplicatio fieret, & illius preces audirentur. Nonnulli autem Psalmū hunc tanquam nomine sociorum ipsi Dauidi sacrā facienti bene precantium ijs praesertim temporibus cum aut in singulare cum Goliath certamen esset descensurus, aut cum alijs hostibus suis manum conserturus, cātatum fuisse arbitrantur, quod nobis conijcere facile licet. Secundum Mysterium, quidam aiunt prophetam nomine ecclesiae de Christo canere, quem ad redemptio-

nem nostram venire, & pro inimicis orare is prævidebat, cui omnia congruunt, licet hæc iam peracta sint. At nos dicamus orationem hanc à Dauide conscriptam esse, & sacerdotibus fuisse traditam, vt pro salute regum; ac principum singulis tẽporibus orent atque precentur eo potissimum temporis momento quo cõtra hostes profecturi sint, atque etiam pro quolibet viro fideli, qui afflictionibus animi angatur, vt de hostibus præsertim ijs, qui non videntur, triumphum agere valeat.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis.

PRecatur populus, vt illius preces audiat Deus siue Ezechiæ, siue Dauidis, siue cuiuslibet fidelis; in die afflictionis dixit, non tranquillitatis, quietis & pacis; nam in tranquillitate pleriq;, aut non orant, aut eorum mens vagans, et cogitatio non, vt decet, orat; in calamitatibus autem Deum maiori feruore precamur.

Protegat te nomen Dei Iacob.

NOmen Dei cum Iacob coniunctum clypeus tuus sit; hæc enim inuocatio ad vlciscendos hostes satis tibi erit. Ille enim Deo quem in Bethel magnopere veneratus est, fultus mala supplantabit, & malignos spiritus illa concitãtes conculcabit. Sed cur de Abraam & Isaac non meminit, sicut de Iacob; quia dictum est, Iacob ipsum, cum multis ac grauibus ærumnis calamitatibusq;

tatibusq; vexatus fuerit ille, vitæ afflictæ exemplum fuisse.

Mittat tibi auxilium de Sancto.

A *Cæles̄ti templo; illud enim apud hæbreos sanctū nominabatur, quòd illuc Deum aduentare credebant. Vel de cælo sancto suo; auxilium enim pater misso filio Domino Iesu Christo tulit, qui* αναγογικῶς *sanctus est.*

Et de Syon tueatur te.

D*E Syon, idest specula arce Dauid, vbi erat arca, quòd ibi Deus colebatur, veniens te adiuuet, & tutum præstet. Vel quòd inde Christus Dominus noster humano generi illuxerit. Ex cęlesti ergo Syon te contra mala defendat.*

Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat.

D*Eus respiciat pietatem Regis siue Ezechiæ, siue Dauidis, & omnis sacrificiorum generis recordetur pacem concedendo: Ac spes homini afflicto affertur fore, vt eum Deus ex afflictione eripiat, quò ad agēdas gratias ipsi Deo se ille conuertat, ac sacrificium, & hostias offerat, quarū Dominus memor futurus sit, Et holocaustum acceptū à Deo habeatur, & ei iucundū sit; namq; animalia rationis expertia, quæ tamen crassa*

ſint, ad ſacrificium apta præbentur, & incenduntur, Et quia pinguia, ex his odorum ſuauitates afflantur: Differt autem ſacrificium ab holocauſto, quia eorum, quæ inanimata ſunt, alterum eſt, ſacrificium ſcilicet, alterum vero eorum quæ animata exiſtunt: Totos nos ergo Deo dicemus atque conſecremus nihil nobis reſeruantes, & ſic ὁλόκαυςον Deo gratiſſimum erimus, & quo maiori deuotione hoc ſacrificium peragemus, eò magis digni efficiemur, qui à Deo cognoſcamur. Si autem Chriſti ſacrificium reſpiciamus, ſupplicemus patri, vt nos omnium iniuriarum, contumeliarumq; tuarum Domine Ieſu, quas pro nobis pertuliſti, memores nos preſtet, & crucem, qua ipſi te totum obtuliſti, in lætitiam, qua ſurgendo perfuſus es, & nos quoque afficiemur, ſi perſequemur veſtigia tua, conuertat.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet.

CVm non deceat Deum dare, nec petentem accipere, qui neſciat, quid petat, petenti laus eſt ſi petitionis ſuę compos fiat, vt potè qui ea cupiat, ac poſtulet, quæ Deo placeant, & grata ſint; ſemper enim Deus ſupplicum votis annuit, cum ea poſcuntur, quæ accipienti vtilia futura ſit. Tribuat igitur tibi Deus, quæcunq; anima tua deſiderat, & ad finem optatum perducat, Et omne conſilium tuum confirmet, ideſt voluntatem tuam impleat, vt D. Hieronymus legit, quæ tunc perficitur, cum in deliberationibus ſuis ſe minime fruſtratur, at ex ſententia obtinet ea, de quibus conſi-

lium

lium ceperat. Ἀλληγορικῶς, *Tribuat tibi pater, ô Iesu Christe non secundum cor eorum, qui insectando te posse deleri arbitrati sunt, sed tuum, quo sciuisti, quid vtilitatis afferret passio seu perpessio tua; & omne consilium tuum stabiliat, quo altissimo omnia facis.*

Lætabimur in salutari tuo, & in nomine Dei nostri magnificabimur.

IVcunditate, & lætitia perfundemur, cũ preces tuas audiuerit, in salutari, idest salute, quam dat illi Deus, quem in die afflictionis exaudit, & quia didicimus ex oraculis germen ex te nasciturum, ô Dauid omnibus hominibus salutare, in eo & nos exultabimus, & cum illuxerit, tum vnà tecum clari, & magni efficiemur. Vel ô Christe gaudebimus salute, quam humano generi dedisti, cum te surrexisse omnibus notum fecisti; Et exultabimus, quòd nihil tibi mors nocuit, nec eam nobis obesse posse monstrabis. Sed cum cæteri in terrenis rebus se oblectent, nos in nomine Dei nostri ab inimicis contumelia affecto magnificabimur, aut choros ducemus, vt legit D. Hieronymus, idest triumphabimus siue insignes, & inclyti erimus; progressum autem in bono significat, magnus enim quis efficitur in nomine Domini, cum ea præstat, quæ ad sincerum, & perfectum seruum spectant.

Impleat Dominus petitiones tuas.

CVm tuæ preces dignæ sint, quibus annuat Deus, vniuersas petitiones tuas perficiat, & certe ma-

gna est illius gloria, qui nihil postulet, quod à Deo statim non impetret; porrò petitio impletur, cum ea quæ quis efflagitauerit, eueniunt, & vere illi sese offerunt. Sicut Deus pater filij sui postulationes continuo executus est, cum ille dixit, clarifica me; & serua pater eos de mundo quos dedisti mihi, in me credentes scilicet.

Nunc cognoui quoniam saluũ fecit Dominus Christum suum.

E*X ipso rerum euentu nunc perspexi Regem nostrũ siue Ezechiam, siue Dauidem Deo fretum salutem consecuturum esse: (fecit enim pro faciet, exponitur) & in templo preces fundentem auxilium ex summo cælo accepturum. Vel nunc ex propheta didici, quoniam Dominus Pater Christum filiuum suum suscitabit.*

Exaudiet illum de cælo sancto suo.

I*Llum regem nostrum Ezechiam, siue Dauidem audiet; nam postquam ostendit illum in terra precantem declarat eum quoque ex cælo adiutum iri. Vel Regem nostrum Christum Iesum non in terra tantum, vbi se clarum fieri petijt; sed in cęlo, vbi pro nobis deprecatur, spiritum mittens.*

In potentatibus salus dexteræ eius.

IN fortitudine salutis dexteræ eius legit Hieronymus, idest salus illa quæ à gratia Dei proficiscitur, in abundantia quadam diuinæ potentiæ (per dexteram significatæ, vt plerisq; videtur) fundata est, idest fortis ac valida existit, & ideo inimicorum impetum atque apparatum negligere nos oportet. Alleg. in fortitudine salus facta est per Christum, qui est dextera patris; vel gratia qua eos saluas etiã potentes efficit, vt multa prodigia, ac miracula edant. Dixit autem, dextera, quia duplex est Dei salus, sinistra vna, qua ipse saluat eos, qui terrenis rebus addicti sunt illis ea bona largiendo. Alia dextera, quà iustos æterna, ac cœlestia bona illis tribuendo saluos reddit.

Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus.

HI in curribus, idest in uolubilibus bonis, et equis idest superbis honoribus fiduciam collocant, in diuitijs, gloriaq; & generis splendore se oblectantes; nos in æternis spem ponentes neque gloriam aucupantes in nomine Dei nostri inuocabimus, scilicet auxiliũ. Hieronymus legit, nos nominis Dei nostri recordabimur; clamabimus enim salutem, & opem ab eo poscentes. Quam impetratam fuisse ob illam Assyriorum cædem ab Angelo factam, versus sequens innuere videtur.

Ipsi obligati sunt & ceciderunt, nos autã surreximus, & erecti sumus.

IPsi obligati, vel vt ait D. Hieronymus incuruati à potentia Dei ceciderunt, & corruerunt, atque in ruinam præcipites acti sunt: nos vero implorato auxilio Diuino surreximus salutem consecuti, et erecti sumus, quia animum fiduciamq; accepimus, & superiores facti sumus. Quod & Iudæis contigit, qui à desiderio rerum terrenarum, & à superbia ligati, ac metuentes parcere Domino Christo, ne Romani eis locum, & gentem auferrent, spe cęlesti deciderunt, quibus cęcitas ex parte Israelis euenit. Nos vero, vt populus gentium intraret, qui non amabamus iustitiam, eam apprehendimus, & surreximus, nec viribus nostris, sed per fidẽ iusti facti excitati sumus.

Domine saluũ fac Regem, & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

HAec est conclusio. Regem Ezechiam, vel Dauidem omni tempore salua, & nos audi cum te implorauerimus: Huiusmodi enim auxilium adepti te domine obsecramus, vt cum Rege nostro huius participes simus. Vel Christum Iesum Domine Pater, vt qui ad præliandum nobis exemplum patiendo proposuit, à mortuis excitatus sacrificia nostra offerat, & audi nos quotienscunq; eo aduocato à te subsidium petierimus.

Precemur

Precemur igitur assidue, vt nos in afflictionibus nostris Dominus exaudiat, & mentem nostram præsertim saluet, quò ea affectiones nostras moderetur & regat, nec nos voluptatis illecebris deliniri sinat, sed eis imperet. Qui enim magis appellari debent Reges, quàm ij qui se ita rexerunt, vt nulla eis vnquàm libido dominata sit, quiq; non modo mundum, sed se ipsos vicerunt? Certe illi magnopere lætari merito debent, quòd contemnentes penitus hæc terrena, & Christum ex animo sequentes salutem consecuti sunt. Si ergo nos quoque non in bonis caducis finem nostrum constituerimus; si diuitijs & honoribus non delectabimur, sed in D. N. Iesu Christo totam spem collocauerimus, orationes nostras semper acceptas habebit, & in calamitatibus nostris nos adiuuabit, & ab eis eruet atque eripiet. Qui viuit, & regnat sempiternis sęculis. Amen:

IN PSALMVM XX.
DOMINE IN VIRTVTE.

INscribitur hic Psalmus, In finem Psal. Dauid, vel Victori, vt more suo D. Hieronymus, quia inimicorum, & Deum oppugnantium perniciem recenset, & quia secundum plerosq; gręcos vaticinationem eorum continet, quæ Ezechiæ Regis tempore finem habuerunt, quando post illustrem illam victoriam, quam ex illa Assyriorum strage reportauit, ægrotauit ipse, & ab Isaia se moriturum esse didicit, quem tamē Deus multis precibus, ac lacrymis placatus nec opinantem liberauit,

liberauit, & quindecim annos illi vitam produxit. Dauid ergo populi nomine pro Regis incolumitate gratias agentis Psalmum hunc conscripsit: Quem tamen nonnulli de Dauide interpretantur inquientes, cum is ex oraculis salutare germen ex eius semine nasciturum, praeterea illius potentiam iam cognouisset, propterea mira laetitia afficietur, atque eo quoque fretus fusis hostibus victoriae triumphum tibi Domine acceptum referet. Integer etiam Psal. à latinis de Christo exponitur.

Domine in virtute tua lętabitur Rex, & super salutare tuum exultabit vementer.

IN superiori Psalmo preces populi pro Rege dixerunt, saluum fac Regem, quem miro modo seruatū viderant, nunc aiunt, Domine Deus in illa potentia, quae magno ei subsidio fuit, valde gaudebit Rex noster. & de beneficiis innumerabilibus à te in eum collatis, & de salute, quam à te consecutus est, magnopere gloriabitur. Vel ò Domine pater Christus Rex noster, vt homo in virtute tua idest potentia tua diuina laetabitur, qua Demonem, & mortem morte sua vicit, & miracula edidit, & super salutare tuum mirum in modum gaudebit, quòd genus humanum saluasti, & quòd omnibus rebus vitam das.

Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.

TV perhumanus, ac benignus Regis nostri etiam cessisti precibus, & petitiones omnes concessisti; immo maiora petitis munera largitus es. Ac nimirũ quicunque spiritu præstat, & à carnis cupiditate abstinet, quæ cor, idest mens optat, ab ipso Deo obtinet, qui replet bonis desiderium eius, quin etiam quæ precatus est, consequitur, nec voluntas, idest postulatio labrorum suorum à Domino fraudatur. Vel ò Pater Christus Iesus Pasqua mandere cum discipulis, animã tradere. atque iterum cum vellet, eam recipere desiderauit, & ei largitus es: ac quicquid dixit factum est, quia illum exaudisti.

Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

VSus est, coniunctione, quoniam, causam reddente, ostendens ipsum lætari iure atque exultare, quia in benedictionibus bonitatis, vt legit Hieronymus præuenerit eum Deus, addidit dulcedinis, vt inter benedictiones has, & illas Iacob, quæ non fuerunt

fuerunt dulcedinis, sed duro modo prænunciarunt, quę filijs euentura erant, discrimen esse demonstret; Regem ergo, & eius imitatorem præuenisti domine, & ad cælestes promissiones eum attraxisti, quarum hic, in terra dum vitam ducimus, arrham habemus; & ei coronam preciosis contextam lapidibus imposuisti, idest regio diademate caput eius coronasti, vt liberalis grariarũ donatio intelligatur: benedictiones enim secũdum nonnullos pro beneficijs hic accipere debemus, quæ à Dei benignitate proficiscuntur: Et certe Dauidem præoccupasti, antequàm aliquid ipse à te peteret, qui puer adhuc, vnctus Rex fuit. Nam cum Deus ex indignis dignum eligit, tum ante electionem illi benedicit, vt etiã D. Paullo contigit. Vel pater præuenisti Christum Iesum muneribus omnibus gratiæ in eum collatis, in quò omnes viui efficimur, & fecisti eum Regem imposita ei corona de lapide pretioso, idest de diuinitate. Hieronymus legit, obrizo, idest auro purissimo, vel corona de Apostolis, qui eum docentem circuierunt, quiq; propter pretiosam doctrinam lapides pretiosi vocantur, à quibus prædicationis exordium cęptum est; aut coronam, idest ecclesiam, quæ variarum gentium congregatio est, in capite eius posuisti.

Vitam petijt à te, & tribuisti ei, longitudinem Dierum in seculum, & in seculum seculi.

IVxta Historiam hoc de Ezechia dictum esse non ambigitur; non solum enim salutem, & vitam à te petijt,

tijt, sed longiorem etiam dedisti; præterea clarum, & Illustrem tum propter mirabilem illam Assyriorum cædem; tum propter præposteram solis reuersionem reddidisti, quod vbique notum ita factum est, vt Babiloniorum Rex ad eos dona miserit, qui prius Assyrijs tributa pendebant. Et hoc Dauidi etiam congruit, qui neque ab inimicis vnquam interemptus fuit, nec morbo confectus; longam enim vitam ei dedisti, & longitudinem dierum firmam, stabilemq; largitus es; Vel ò Pater Christo vitam petenti, cum dixit, clarifica filium tuum, tradidisti, cum surrexit ipse, & mortuos ad vitam excitauit, ac longitudinem dierum, vt vitam haberet immortalem, ac fine carentem. vel longa tempora quæ haberet ecclesia, deinde æternitatem largitus es. Aliqui interpunctionem hanc ex Hebr. ponunt, vitã petijt à te, & tu longitudinem dierum ei tribuisti. Hieronymus tamen nobiscum sentit.

Magna est gloria eius in salutari tuo gloriam, & magnum decorem impones super eum.

M*Agnam ex pernicie hostium gloriam in salutari tuo, id est in auxilio consecutus est Rex noster, in quo spem posuerat, & ampliori eum gloria donabis, & decore ornabis, quòd optimum ac mirificum eius in te animum, & cõstantissimam voluntatem perspicias, ideoq; is tibi gratissimus existat, quanuis eadem de Dauide dici queant. Vel magna est gloria Christi in*

salutari

ſalutari quo cum ſuſcitaſti,& ei nomen quod eſt ſuper omne nomen dediſti, ſed & ei magnum decorem impones, cum in cælo ad dexteram eum tuam collocabis, & ipſe in maieſtate apparebit, ſicut ante cum facies eius in monte refulſit.

Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculum ſæculi, lętificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

QVoniam ipſum vbiq; terrarum, & gentium illuſtrem, & decantatum eſſe dabis, cum tantum is à te auxilium ſit conſecutus, lætitia & iucunditate eum afficies cum vultu tuo, ideſt præſentia tua, aut beneuolentia. Hieronymus apud vultum tuum legit. Vel quoniam dabis Chriſtum in benedictionem, quia in eo benedices omnibus gentibus, & è contra illi benedicent cunctæ nationes, hęc erit benedictio, quòd lætum eum cum vultu tuo, ideſt aſpectu eius, vt hominem efficies, quia in cælis tecum erit.

Quoniam Rex ſperat in Domino, & in miſericordia altiſſimi non commouebitur.

CAuſam adducit, quia Rex in te ſolo Deo adiutore non in exercitu, nec in alijs humanis viribus ſincere ſperat, & ideo non fluctuabit; hoſtibus enim ſuperior eſt, qui gratiæ tuæ ſit compos, eam vero conſequitur, quis quis nemini fidens ſola in Deo ſpe nititur, qua

misericordiam Dei cum assecutus sit Rex, hac non decidet, nec ab hac firma statione dimouebitur. Vel quia Rex noster Christus vt homo, & humilis in Domino sperat, altissimi misericordia humilitatem eius atque obedientiam vsque ad mortem crucis non turbabit.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt.

HActenus de Rege, quem Deus in altum extulit, & gloria decorauit: Nunc de hostium deiectione agitur, & hæc à precantibus Deo dici videntur. Non frustra Rex tibi Domine confidit, cum manus tua idest efficax potentia tua ab inimicis inueniatur, idest cum illis à te supplicia inferantur diuinæ legi repugnãtibus; inimicos forte illos vocat, qui sublata prouidentia se totos impietati dedunt, ac Deum esse negant, à quibus hæc manus inuenitur, quæ illos agitat, & pœnis affligit, vt Deum ij cunctis rebus præesse cognoscant. Dextera tua puniat, qui te oderunt, peccantes scilicet, nam si quis præcepta Dei obseruat, in eo charitas perficitur; qui vero ea negligit, Deum odisse ostendit, vt cum ij pœnas dederint, in flagitijs amplius non perseuerent. Interest autem non nihil inter manum, & dexteram, quòd quatenus malos punit, manus dicitur; quatenus ad salutem iustorum respicit, dextera appellatur. Vel ò Christo

Rex manus, ideſt poteſtas tua ab omnibus inimicis tuis Iudæis cognoſcatur, cum ad iudicandum veneris, qui eam in humilitate tua minime nouerunt. Et dextera, ideſt claritas qua cum patre regnas, in Die iudicij omnes, quibus odio fuiſti, comprehendat.

Quoniam pones eos, vt clibanũ ignis in tempore vultus tui.

SEd quid ages Domine, cum eos comprehenderis? pones, ideſt igne illos conficies, ſicut enim clibanus ignem in ſe continet, & intus ardet, ſic mali inteſtinũ ardorem ob prauam eorum cupiditatem patiẽtur, quia conſcientia impietatis ſuæ, quòd bona non fecerint, intus eos vorabit, atque comburet, in tempore vultus tui ideſt iræ tuæ, videlicet quando ira tua eos viſitabit, vel quo tempore te in iudicio omnibus noſcendum præbebis.

Dominus in ira ſua conturbabit, & deuorabit eos ignis,

PRæterea eos, qui in nequitia, & malitia conquieuerunt, & dogmata peruerſa ſecuti ſunt, cupiditatibus illectos Deus in ira ſua ob expectationem vltionis, & ſuppliciorum confuſos turbabit, & hos ita affectos deuorabit ignis malus non quidem ſubſtantiam, ſeu naturam, hæc enim interire nequit, ſed qualitatem, & vitium conſumens; Vel ij vlciſcente Domino,

& accusante ipsos conscientia inferno igni æternoq; vorandi tradentur.

Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filijs hominum.

FRuctum & semen, eorum doctrinas, & dogmata ipsa, quæ in homines post eorũ mortem irrepserũt, siue malos mores, & opera iniqua intelligit; Hæc Domine Deus pro tua bonitate, ac misericordia tandem adimes, vt nihil superſit, & non eos solum, sed omnes eorum posteros delebis; vel fructum eorum, quia terrenus est, de terra viuentium auferes, & semen, idest quoscunque ab illis seductos inter filios hominum non numerabis, quos ad hæreditatem æternam vocasti.

Quoniam declinauerunt in te mala.

CAusam affert, quare ij passuri sint ista, quia & si videbantur hominés oppugnare, & illis qui te pie colunt, insidias facere, merito tamen dicet aliquis eas tibi illos comparasse, & machinationes omnes quas contra sanctos tuos exercuerunt, aduersum te quoque excogitasse; aut quia peruersa de te domine dogmata asseruerunt, malitiæ suæ causam tibi ascripserunt. Vel pena ipsi mulctabuntur Iudæi, quoniam mala quæ sibi imminere te regnante Domine Iesu arbitrabantur, dicentes, Demonium habes, & alia multa, ad te occidendum retorserunt.

Cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

QVando contra te linguam continere non potuerunt; & innuit conuitia illius Assyrij dicentis, ne te decipiat Deus tuus; ac sperantis quemadmodum Idolis, ita Deo vero se superiorem fore; qui manus tuas effugere non valuit. Vel cogitauerunt consilia Iudæi dicentes, quod expedit vnum pro omnibus mori, nescientes quid dicerent, verum arbitrantes Dominum gloriæ morte circumueniri fidemq; eius destrui posse, & non potuerunt stabilire, qui omnia amiserunt.

Quoniam pones eos dorsum, in reliquijs tuis præparabis vultum eorum.

GRæci nonnulli ita interpretantur, qui angeli cædem fugerint, eos & stupidos reddes, & terga dare coges, vt abeuntes, quæ gesta sunt, alijs narrent: Et hæc tanquam nondum gesta vatem more suo ponere: In reliquijs tuis, &c. Iidem per hyperbaton figuram dictum putant, in reliquijs eorum præparabis vultum tuum, idest captiuis, & fugientibus supplicium inferes, vt nec salui futuri sint, qui de strage Angeli superfuerint; immo eos ita insectaberis, vt euadere non possint. Vel verba non inuertentes ita exponere possumus,

possumus, quòd facile tibi erit, & pœnis, quæ tibi reliquæ sunt, eos afficere, & qui fugerunt terga dantes, nec non qui sibi mortem fugisse persuadent, illos mulctare. Si ad Iudæos referamus, inquit, qui primo populus Dei vocabantur, ijs qui ex gentibus crediderunt, dorsum positi sunt, iuxta illud, erunt primi nouissimi: In reliquijs tuis, hoc dixit, quia cum plenitudo gentium introducta fuerit, tunc omnis Israel saluus erit, illis enim se conuertendo tempus reliquisti, quos post gentium plenitudinem vocabis, & illos qui tibi relicti sunt, vt fideles ornabis. D. Augustinus ait, quoniam pones Iudæos dorsum, idest à te repelles, qui terrena non cœlestia contemplantur, In reliquijs, idest in ijs, quæ relinquis, idest in cupiditatibus regni terreni eorum impudentiam ad passionem, ac per passionem tibi præparabis; vel vultum eorum, idest malam voluntatem malumq; animum ad eam adhibebis, vt cum occidere arbitrentur, salus fiat. Hieronymus ex Hebr. legit, funes tuos firmabis contra facies eorum, intelligi potest de funibus, seu laqueis damnationis impiorum, qui sic contra facies eorum, seu vultus, vt nulla illos effugiendi spes eis existat, firmabuntur.

Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus, & psallemus virtutes tuas.

E*Xtolle te Domine, quem humilem non cognouerunt, & ostende te excelsum per inexpli-*

cabilem potentiam tuam, quam nos celebrantes cantabimus corde scilicet, & opere videlicet psallemus, admirabiliaq; opera tua enarrabimus, ac nota faciemus. Itaq; cum de Rege Psalmum intrepretati simus, de quo libet etiam viro insto, qui regnum, idest vires suas interiores atque actiones exteriores Deo adiutore regere calleat, exponi potest, qui lætatur, & præ gaudio exilit se diuinæ maiestati ita gratum esse, vt cum Deus præueniat illi benedicens, & ipsum beneficijs afficiens; præterea ei tribuens, quicquid desiderare in mentem illi venerit. Qui vir iustus sperat, cum omnes inimicos suos tam eos qui cernuntur, quàm qui non videntur, diuina ope adiutus atque munitus deuicerit, ad cæleste regnũ peruenturum esse, ibiq; à Domino coronatum iri. Quod nobis quoque eueniet, si iustitiam sectari voluerimus, & animo coniunctissimi cum Deo erimus, nec permiserimus quicquam ita nos hic delectare, vt à Dei gratia, & bonitate nos segreget; in quo non possum multos nõ coarguere, qui amore rerum terrenarũ adeo capti sunt, vt nec Deum esse nouerint, nedum vt rite pieq; eum colant; quos inueniet manus Domini, & eos igne affliget, nec memoriam eorum vllam extare sinet. Nos vero caueamus, ne tales simus qui benignitatem Domini nostri Iesu Christi erga nos respuamus, sed ad eum magnopere venerandum quotidie magis accendamur. Et ipse, dum in hoc mundo nos versabimur, decore nos ornabit, ac tuebitur. In cœlesti autem patria coronabit, qui æternis seculis viuit, & regnat Gloriosus, & bene dictus. Amen.

IN

IN PSALMVM XXI.

DEVS DEVS MEVS RESPICE.

Varie inscribitur Psalmus hic, Doctores communiter, In finem Ps. Dauid pro susceptione matutina; nonnulli pro auxilio matutino, alij pro cerua inquiunt; Hieronymus victori pro ceruo matutino legit. Susceptio matutina nostri Saluatoris aduentus est, qui auroræ similis his, qui in tenebris sedēt, illuxit, & tempus illud intelligitur, quo valde mane Dominus surrexit, viam humanæ naturæ pate faciēs. pro auxilio matutino aiunt aliqui, quia mane illud oriens, Christus scilicet morte propria victo Tyranno illo, qui antea dominabatur, maximum nobis auxiliū tulit. Nonnulli pro cerua, idest humana Christi natura, quæ lutum, & spinas transilijt, & mane surgendo gloriose, quasi in altum elata est. Vel ceruo, idest Christo, qui tanquam ceruus in aurora summa cum alacritate se à morte excitauit.

Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?

IEsus Christus hic propriam sibi humanitatem statuens, humanęq; naturæ personam sustinens cum patre, verboq; sibi coniuncto sermonem habet; & in crucem actus hanc vocem vsurpauit, Eli Eli lamazabactani,

bactani, ideſt Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti? non tamen reliquerat eum Deus, cum ipſe Deus eſſet, & Dei filius atque ipſius verbum. Sed cum D. Ioannes dicat verbum carnem factum eſſe, derelictum ſe dicit, vt qui homo exiſtens morti fuerit deſtinatus, cum nullum peccatum commiſerit. Sed vere nec à patre, nec à ſua ipſius diuinitate, vt quidam ſuſpicati ſunt, tanquam mortem formidans, & propterea à patiente ſeiuncta deſertus eſt, at permiſſionem illam, qua humanam naturam diuinitas pati permiſit, derelictionem appellauit; aderat enim in patiente forma ſerui diuinitas, & dum ſalutem humano generi compararet, eam perpeti ſinebat. Additum autem eſſe à ſeptuaginta interpretibus, reſpice in me, cum nec D. Hieronymus ex Hebr. nec cęteri interpretes legant, et Chriſtus in Euangelio omittat, maioris declarationis cauſa opinor. Dicit igitur, Deus Deus meus miſerere mei, ex affectu geminans, quare me paſſioni addixiſti; apparet enim quis deſeri, cum Deus ei non adeſt, ſicut ei preſto eſſe videtur, cum petitionem eius exequitur, atq; implet.

Longe à ſalute mea verba delictorum meorum.

D. *Hieronymus, verba rugitus mei, Theodotio, clamoris mei, legunt, quia voce magna clamauit, Eli; populum enim ſatuientem, & Iudam ruentem lamentabatur: Symmachus, verba luctuum meorum;*

rum; soli septuaginta verbi, delictorum, meminerunt; fortasse præuidentes Ioannem dicentem, ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi, & Paullum inquientem, eum qui peccatum non nouit, & existentem scilicet ipsammet iustitiam, pro nobis peccatum fecit, vt nos in illo Dei iustitia efficiamur, idest quasi peccatorem condemnari permisit, & quasi maledictum mori: nostra ergo in se delicta suscepit Christus, vt iustitiam suam faceret nostram, sic vt ait Augustinus. Ecce ideo verba delictorum meorum longe sunt à salute mei corporis scilicet, quia sunt in causa, vt patiar. Vel quare me dereliquisti longe à salute mea? idest non exaudiendo à salute huius vitæ præsenti longe abfuisti? & hæc verba, quæ dixi, sunt delictorum meorum, idest fidelium pro quorum delictis pœnas do; loquitur enim Christus, corporis sui, quod est ecclesia, & peccantium, qui quandoq; pro peccatis à Deo deseruntur, personam agens.

Deus meus clamabo per diem, & nõ exaudies; & nocte non ad insipientiam mihi.

DEus meus die, ac nocte continenter clamabo, & si fieri potest, nunquam silebo, vt transeat à me calix iste, & non exaudies; tu enim abnuis, & hoc non ad insipientiam; noui enim te propter humani generis salutẽ hoc permittere; humanæ tamen naturæ imbecillitatem affero. Vel per diem, idest in rebus prosperis vitæ huius, vt non mutentur; non exaudies, ac nocte

in

in aduersis, vt prospera euadant, & similiter me nō audies, neque facies hoc ad insipientiam mihi; sed potius vt sciam, quid desiderare, quid poscere, quid expectare debeam. Hæc autem infirmitatem in se nostram ostendens, & pro his, qui mortem adhuc timent, dicebat Iesus. Nec Paullus cum clamaret, vt ab eo auferretur carnis stimulus, exauditus fuit, vt intelligeret Deum existere medicum, & afflictionem medicamentum ad salutem, non ad damnationem pœnam esse: Cum enim pro bonis terrenis, aut adipiscendis, aut retinendis Deū precamur, nec nobis aures eius patent, relinquit nos ille, sed ad potiora quæ vult, vt concupiscamus, nos inuitat. Ecclesia autem in prosperitate non auditur, ne se extollat, nec in aduersitate, vt amplius expietur, quia non ad voluntatem, sed ad salutem respiciens aures præbet. Hieronymus & nocte, nec est silentium mihi, legit idest non cesso clamare, nec orare intermitto; infirma enim humanitas mea perpessionem horret.

Tu autem in sancto habitas laus Israel.

IN sancto, inquit, quia in Christo Deus erat, mundū sibi reconcilians. Cū igitur in sanctis tuis, vel quos sanctos efficies, domicilium habeas, semperq; cum illis permaneas, qui mentem in te fixerunt, multo magis in vnigenito tuo habitas, & eum magis exaudies, laus Israel, vt qui à fidelibus populis tuis cultoribus lauderis, & decanteris; vel quorum laus, & gloria factus

es,

es; quòd habeant ij Dominum Deum suum in seipsis habitantem, qui eos custodiat.

In te sperauerunt patres nostri, & liberasti eos, ad te clamauerunt, & salui facti sunt, in te sperauerunt, & non sunt confusi.

LVcrum spei ostendit, & ait, aperte noui, cum omnes patres iusti scilicet, & qui Patriarchæ, ac Prophetæ fuerunt, laudem suam non quærentes, sed tuam sibi multum de tuo auxilio polliciti essent, eos spe sua minime frustratos fuisse, & cum opem tuam implorassent, fructus prouidentiæ tuæ vberes percepisse; eos. n. ab Aegypto, à camino pueros, à lacu leonum Danielem, à falso crimine Susannam, & innumerabiles alios liberasti; ad te clamauerunt, non verbis delictorum, à quibus longe salus est, verum magno animi affectu, & saluati sunt, In te spem collocauerunt, (repetit enim, vt intensius mentem suam declaret) claritatem scilicet meam expectantes, & confusi non sunt, quia spes ipsa eos non fraudauit, cum per me à morte atque à Dæmone erepti fuerint, & quia promissa seruasti.

Ego autem sum vermis, & non homo opprobrium hominum, & abiectio plebis.

IDest tanquam vilis con culcor erinde, ac vere vermis essem, & non homo; vilissimum enim omnium animalium

animaliũ vermem eſſe nemo eſt, qui ignoret, cum ex corruptione corporum naſcatur is, & ex ligno; ac ligna, fænum, ſtipulasq; rodat; Vnde vilitatem, ac deſpectum ſuæ mortis oſtendit, cum alioqui aduerſarias poteſtates deleuerit. Vel ego ſum vermis, quia mortalis, ſine tamen concupiſcentia natus vt vermis, & non homo tantum ſcilicet, quia Deus: Eſt enim, & homo vermis, vt Adam, ſed ille vermis, & non homo, quia verbum in principio apud Deum. Secundum Auguſtinum, per hominem homo vetus, ſcilicet Adam, qui ſic homo fuit, vt non filius hominis; per vermem Chriſtus intelligitur, qui ſic homo fuit, vt filius hominis, id eſt virginis eſſet; ideo dicitur vermis, & non homo. ſ. terrenis rebus gaudens, ſed hominis filius cæleſtibus lætans; tanquam ſi diceret, ego ſum Chriſtus in quo omnes viui efficiuntur, non Adam in quo omnes morti addicti sũt: At notandum eſt, quòd Chriſtus peccatoribus nobis vermis efficitur, cum noſtrã conſcientiam arguit & rodit. Opprobrium hominum, *ꝙ eum conuitijs inſectarentur, Tu diſcipulus illius ſis, & huiuſmodi, atque eũ conſputarent, colaphoſque illi infringerent*, abiectio plebis, *quòd pro eo Homicidam Barabbam elegerint.*

Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & mouerunt caput.

H*Aec impleta ſunt Matthei c. 27. deriſerunt me ſicut abiectum, labris locuti ſunt me execrantes, ac mouẽtes capita ſua, et inquientes, vah qui deſtruis;*

principes

principes autem aiebant, alios saluos fecit, seipsum non potest, & alia multa irridentes.

Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum: quoniam vult eum.

QVoniam spem posuit in Domino, eripiat eum de manibus nostris, vel si non eruit, illum suscitet, quia, vt ipse ait, eum vult, idest ab eo diligitur, & charus habetur.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre.

OStendit se non iuxta ordinem naturæ, neque perinde, ac reliquos homines ortum fuisse, sed excellentius quid supra communem nascendi conditionem habuisse. Tu enim me de vtero matris meæ virgineis claustris nullo modo reuulsis eduxisti, vt progressio fœtus, ipsa scilicet diuina vi eum extrahente supra naturam extiterit; verbum illud autem, quod in principio, nullo modo extractum est de ventre, nisi, quia caro factum est.

Spes mea ab vberibus matris meæ.

ENos cæpit inuocare Dominum, sed non ab vberibus matris; cæteriq; cum adulti fuerint, sperare incipiũt; at incorruptæ virginis infans ab vberibus,

&

& incunabulis perfectionem assequi sperat; nam ab vberibus inquit spes mea es; addit D. Aug. non ex quo lactens esse cæpi ex matris mamma, nam et ante vtiq;, sed à Synagogæ mamma sicut de vẽtre dixi, me extraxisti, ne carnis consuetudinem sugerem.

In te proiectus sum ex vtero.

IDest procuratione tua proiectus sum ex vtero; veluti qui patrem in terra nullum habui, vt mihi solus spes esses, abiectus inquam iam tanquàm homo, & infirmus. Iste est vterus Synagogę, qui me non pertulit. ab eo autem iactatus sum, & non cecidi, quia me retinuisti.

De ventre matris meæ, Deus meus es tu, ne discesseris à me.

IDest statim te Deum cognoui ab ipsa diuinitate edoctus, ex quo enim tempore in vtero virginis carnẽ sumpsi, Deus meus es tu, ante enim pater, nunc Deus. Itaque cum à mamma spes mea, & Deus meus existas, ne à me recedas obsecro.

Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuet.

NAm est in corpore, nec est qui mihi opem ferat; discipulorum enim chorus me reliquit, & quis est, qui adiuuet, nisi tu decertantibus adsis, viresq; & animum addas? certe non angelus non homo nisi tu pater. Cum enim Deus nobis præsto est, dum affligimur, tolerandi nobis robur afferre potest, vt in perturbatione constanti,

constanti, ac forti simus animo: at eo deserente grauia nos omnia circunstant, vnde nos docet, ne in Deum talia flagitia admittamus, ob quæ ipse à nobis recedat; nam nullus nobis adiutor erit.

Circundederũt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.

S*Tiparunt me gladijs, & fustibus vituli, ideſt multitudo populi, ac plebis nullam regulam nullumq; ordinem seruans; Tauri, ideſt sacerdotes, scribæ, pharisei, quibus principatus erat commissus; ij enim, quòd præsidebant, pingues erant, quia multis Dei donis fruebantur, me oppugnarunt.*

Aperuerunt super me os suum tanquam leo rapiens, & rugiens.

A*Peruerunt, ideſt magna audacia clamauerunt, & execrati sunt, tolle tolle crucifige eum, & sanguis eius super nos, & filios nostros existat, sicut leo rapiens me stiparunt, ac circumierunt; vt rugiens, ac frendens, odium patefecerunt.*

Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt ossa mea.

I*Nquit, ego effusus sum quasi aqua, quæ fusa dissipatur, & bene aquam posuit, quia nihil nouit corpus Christi nisi peccata lauare; & ossa mea dispersa sunt, ideſt quicquid in me erat, dissolutum est (robur enim*

corporis

corporis oſſa ſunt;) atque defecit. Secundum Allegor. oſſa illius Apoſtoli ſunt, quòd reliqua eccleſiæ Chriſti membra contineant, & propter firmitatem aſperrima quæq; ſuperauerint, qui tamen omnes tanquàm aqua diſſipati ſunt, & relicto eo fugerunt, cum is cruce affi ceretur; & per effuſionem digreſſum illorum ac fugã ſignificat. Notandum autem, quòd ſicut aqua quando effunditur; aut irrigat, aut abluit, ſic quando Chriſtus effuſus eſt, abluti ſunt, qui in ſordibus iacebant, ac rigatæ ſunt mentes.

Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.

D*Oloris hoc eſt proprium, ſcriptum eſt enim cœpit pauere, miro namq; Chriſtus propter Iudæorum, & Iudæ proditionem dolore, ac miſeratione affectus eſt, & cor eius tanquam cera igni admota euanuit, et afflictionum igne defecit, ac debilitatum eſt; Et quamuis hoc ei congruere non videatur, qui ponendi poteſtatem habebat, infirmorum tamen ſuorum cauſam in ſe ſuſcepit, & tranſtulit, In medio ventris, totam corporis concauitatem ventrem appellans, ideſt infirmos in eccleſia. Myſtice, cor Chriſti ſcriptura eſt, quæ illo in crucem acto liquefacta eſt, quemadmodum cera, vt omnes infirmi intelligerent: Nam inde velum templi ſciſſum eſt, & apertum quod velatum, ac tectum erat; Et ſapientia Chriſti, ac voluntas, quæ prius non percipiebatur, ab eccleſia cognita eſt.*

In

Aruit tanquàm testa virtus mea, & lingua adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me.

V*Irtus idest fortitudo mea in huius vitæ fornacem immissa perinde ac testa exaruit; robur.n. meum vt ante, miracula non edit; Christus enim antequam pateretur, & miraculis, & eloquentia, nec non fama, gloriaq; florebat. Vel exaruit virtus mea non velut fœnum; sed vt testa, quæ igne durior fit, ac firmior; nomen enim meum ante contemnebatur, post per pessionem magis honorabitur, & laudibus, ac gloria afficietur.* Et lingua, &c. *cum interrogantibus præsertim Hærodi licet quæsitus, & falsis testibus accusantibus non respondit; atque etiam cum sitiuit.* Et in puluerem, &c. *idest ad sepulcrum propter salutem hominum, quòd qui in sepulcro iacent terra, & puluere cooperti sint. non dixit in mortem, sed in puluerem mortis Christum esse deductum, quia illius anima in inferno relicta non est, nec caro corruptionem gustauit. Vel in impios morti destinatos, quos tanquàm puluerē proijcit ventus, deduxisti me, idest in impiorum manus me tradidisti.*

Quoniam circundederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.

P*Ostquam de Iudæis mentionem fecit, militum quoque meminit, quibus Iudæi Iesum tradiderunt,*

vt seruatus sit rerum ordo; Cęterum tauros illos, Iudęos ante merito vocauit, quia sub legis iugo erant, licet palàm transgrederentur eam, & non seruarent, hos vero canes appellauit; nam gentes contra legem impurissimi, tum etiam moribus impudentes me circundederunt eorum more latrãtes, Concilium *idest cœtus mala cogitantium me oppugnauit.*

Foderũt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea.

D*Einde narrat, quæ ab ipsis militibus audacter patrata sunt. Quid dicent Iudæi, non enim talia vnquam Dauid rex perpessus est.* Foderunt, *idest clauis perforarunt manus & pedes, & facta sunt vulnera, quorum cicatrices postea dubitans discipulus attrectauit.* Dinumerauerunt, *non potuit melius extensum corpus in ligno describi; nam cum me nudum in crucem egerunt, ita me extenderunt, vt cuilibet ossa mea numerare facillimum esset.*

Ipsi vero considerauerunt, & inspexerunt me.

A*Ttrectantes præter honestum corpus meum, & vnum quodq; os dimetientes, vt viderent vbi clauos figere oporteret.* considerarunt, *idest curiose de me tunc cruci suffixo disquisiuerunt, nunquid filius Dei essem, ad spectaculum conuenientes, vt irriderent*

me,

me, & inspexerunt, quid de me eueniret. Vel considerauerunt, & non intellexerunt, inspexerunt, & non viderunt; nam vsque ad carnem tantum corporis oculi non ad verbum vsque cordis oculi peruenerunt.

Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem mea miserunt sortem.

E*T fecerunt quatuor partes, quæ quatuor militibus obtigerunt, qui Christum cruce affecerunt, vt ait D. Ioannes, Mystice, qui ad vnum non tendunt, scripturas diuidunt; & sacramenta quidem ab hæreticis diuidi potuerunt; vestis vero, vel tunica inconsutilis à nemine diuiditur, ad sortem reuocatur, quæ cui sorte obtingit, is securus est, & eum nemo à catholica ecclesia dimouet. Quæ autem illa est, nisi charitas, aut vnitas, quæ diuidi nequit?*

Tu autem ne elongaueris auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice.

N*Arratis his, quæ Iudæi & milites egerunt, ad orationem confugit inquiens, Domine ne differas mihi opem ferre, sed statim me suscita, & ita factum est, vt post triduum ipse surrexerit: aspice autem ne vlla in re aduersarij mihi noceant; ad hoc enim defensio tua mihi necessaria est, quare ad auxilium meum festina.*

Erue à framea Deus animam meam.

FRamea gladius est, qua mortem intelligi voluit, libera igitur à gladio animam meam, eamq; à terrore immunem custodi, aut à morte, & hostium lingua eripe. Vel à Dæmone, ac sæuis illius ministris, qui per allegor. framea vocari potest, quòd cuilibet animæ insidias struat, & ei vulnus infligat.

Et de manu canis vnicam meam.

ET de potestate populi Iudæorum ex consuetudine canino more latrantium vnicam scilicet animam meam, quæ à peccatis sola immunis fuit; vel vnicam meam sponsam ecclesiam erue.

Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meã.

E E ore dæmonis, qui vt leo quærit, quem deuoret, vel regni sæcularis, vt ad Pylatum referatur, eripe me, & à cornibus vnicornium, idest superborum se erigentium sacerdotum Iudæorum, ac scribarum, nec consortes ferentium, atque in vno tantum Deo se credere gloriantium. humilitatem meam libera, qua patri obediens ad mortem vsque me demisi; vnicorni autem Iudæi comparantur, qui adeo superbus est, vt se subijci minime patiatur. Itaque captus statim perit. Vel leo, canis & vnicornis Dæmon appellatur, quòd in mortem imperium teneat.

Narrabo nomen tuũ fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te.

NOmen tuum pater Apostolis, quos more humano fratres vocat, & humilibus, ac se inuicem diligẽtibus manifestum reddam, quod ab eo factum est, postquam surrexit, vt inquit Ioannes, & quotidie fit, cum euangelium recitatur. Sed plenissime tunc eum in iudicio diuinitatem suam patefaciet. In medio ecclesię propter quam passus sum, idest in medio credentium populorum te prædicabo, hymnosq; etiam per eos tibi decantabo.

Qui timetis Dominũ, laudate eum, vniuersum semen Iacob glorificate eum.

VElut iam exauditus cæteros fideles ad gratias Deo agendas hortatur, quos ob summam virtutem timentes Deum appellat; nolite, inquiens, laudem vestram quærere, nec vos ipsos, sed ipsum laudibus efferte; Nam vbicunq; timetur Deus, etiam laudatur; illic enim est ecclesia Christi. Vniuersum semen Iacob, *cui maior seruiet, idest ex omni gente fideles, populo iudæo posterius posito idest post eos, qui ex gentibus crediderunt, magna ipsum gloria afficite.*

Timeat eum omne ſemen Iſrael, quoniam non ſpreuit, neque deſpexit deprecationem pauperis.

VTtrunquegenus Deum metuat, gentes ſcilicet, et Iudæi fideles, omnes inquam ad viſionem Dei deſtinati, timore qui cum dilectione coniunctus eſt; omnis enim, qui Chriſtum cognoſcit, Iſrael vere appellatur, ideſt mens Deum videns, quia non ſpreuit licet altus humilem, neque neglexit preces, & humilitatem mei pauperis, qui inops factus ſum, vt vos diuites euaderetis; vel pauperis cuiuſq; ſe non erigentis, & populi fidelis moleſta ſibi non fuit deprecatio.

Nec auertit faciem ſuam à me.

VT ab illo qui ſupra dicebat, clamabo, nec exaudies: tria enim ſe perpeſſum fuiſſe aiebat, videlicet eſſe abiectum, derelictum, & non exauditum. Hic poſtquam ſurrexit, oppoſita refert, quòd non neglexit eum; nec ab illo faciem auertit, & eum exaudiuit; faciem, ideſt potentiam illam, qua nos aſpicit, cuſtodit, et beneficijs ornat, tunc auertit, quando nos protectione ſua indignos iudicat.

Et cũ clamarẽ ad eum, exaudiuit me.

IMmo facies illa multo illuſtrior, & clarior facta eſt, me orante, vnde & clamorẽ meum accepit, nec a precibus, quas pro meis fudi, abhorruit, quin eas exaudiuit, & me ſurgente fidelium ſalutem procurauit.

Apud

Apud te laus mea magna in ecclesia.

Scilicet est, idest te laudo, non enim meam laudem quæro, quia tu es mihi laus; nam quemadmodum apud omnes homines te illustrem, & clarum reddo, sic tu apud eosdem mihi honorem haberi doces, cum dicas, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. In Ecclesia magna, *idest vniuersali, quæ ad extremos orbis terræ terminos penetrans doctrinam suscepit.*

Vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Secũdum Græcos vota, idest promissiones exoluam coram metuentibus eum; precatio enim siue votũ est promissio alicuius eorum, quæ religioni consecrantur: Deprecatio vero est supplex à Deo bonorum petitio: Docet autem sermo ne prius quicquam à Deo petamus, quàm donum pro gratia impetranda offeramus; precari enim oportet ante quàm deprecari, sicut satio fructuum eorum collectioni ante cedit. Vel vota, idest sacrificium, quod obtulit Christus Deo, & norunt fideles, idest corporis & sanguinis Domini coram ijs faciam, qui eum formidant, vt illi verum esse corpus, & per illud se saluari intelligant.

Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.

Pauperes qui ex gentibus ad fidem accedũt, quique diuini amoris igne inflammati fuerint, idest hu-

ius ſæculi contemptores, & humiles comedent, & ſaturabuntur, non autem diuites, quia non eſuriunt; ſatiantur autem, qui patiendo imitantur, Et poſtquàm comederint, ac ſaturati fuerint Chriſtum quærentes, laudibus eum afficient. Sed quis ex comeſtione fructus?

viuent corda eorum in ſæculũ ſęculi.

ANimæ eorum in æternum viuent, & ſi corpora moriuntur, quia ad regnum cæleſte ſurgent. Nã panis ab illo tributus immortalitatem parit, & vitam æternam.

Reminiſcentur, & conuertentur ad dominum vniuerſi fines terræ.

POſt cognitionem ſequitur obliuio, & poſt obliuionem memoria: nam cum à Deo acceperint, quòd ſunt, ideſt cum lux ſalutaris illis illuxerit, opificis tunc recordabuntur, qui omnium rerum effector eſt, & recordantes, quòd Deus eis exciderat, ſe conuertent omnes fines terræ, ideſt ex toto orbe terrarum fidelium cætus, & eccleſia.

Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium.

IN conſpectu eius ideſt in conſcientijs ſuis non in cõſpectu hominum Dominum venerabuntur, ex omnibus

bus gentibus, & familijs plerique. Iudæi quidem cum iudæam incolerent terram, coràm Deo preces fundere arbitrabantur templum adeuntes; huiusmodi vero templum gentes, quæ in extremis orbis terræ finibus habitabant, visere non valentes, secundum Deum, & legem viuere incipientes, ex animo & vere illum summa veneratione prosequi didicerunt vniuersæ gentium cognationes, vt ait Hieronymus.

Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.

D*Ebet magnopere coli dominus, quoniam ipsius est regnum, non hominum superborum; nam dæmones, qui olim maxime infesti erant, omnesq; obsidebant, destructi sunt, & solum Dei regnum in omnibus potestatem habet. Sermo ergo rerum ordinem sequitur, primum reminiscentur, deinde se conuertent, demum venerabuntur, & hæc omnia euenient, quoniam ipse gentium, non solum iudæorum dominatum habebit, propterea quòd eas ab errore dæmonum ad fidem in eum traducet.*

Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ.

P*ingues terræ secundũ græcos intelliguntur, qui animas cælesti cibo nutrierunt, & facti sunt robustiores;*

res; nam passim cernere licet eos, qui Die Pascatis dominico corpus Domini sacrosanctum sumunt, postquã comederint, eum, qui cibi huius largiter est vitam afferentis, magnopere venerari, & effectum admirari, qui nudis, & apertis verbis reipsa perficitur. Aliter ait D. Augustinus etiam diuites terræ comederunt corpus humilitatis Christi, nec sicut pauperes vsque ad imitationem satiati sunt; attamen adorauerunt, vt inter pauperes supra, & pingues hic discrimen existat.

In conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.

D. *Augustinus exponit, solus Deus videt quomodo cadant, qui cælestia deserentes in terra eligũt hominibus beati apparere, qui ruinam eorum non intuentur. Sed Græcorum mihi magis arridet opinio, qui aiunt, quoniam necesse est, vt omne genu illi flectatur, merito addidisse, In conspectu eius cadent, præsertim cum hoc clarius explicauerit ex Hebr. D. Hieronymus legens, ante faciem eius genu curuabunt vniuersi, qui descendunt in puluerem, quibus verbis genua flectentes in ecclesia descripsit, in qua demissa in terram fronte Deum colere consueuerunt. Atque vbi Christus se à mortuis excitauit, alij sponte, & amoris ardore, non nulli metu Deum cultu hoc venerati sunt, vt genua flecterent; at multo magis adueniente ipso ad iudicium, alij libenti animo, alij inuiti, & cum timore magno munus hoc obibunt.*

Et anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi.

ET anima mea inquit Christus, quæ in conspectu mundi hominibus moriꝰ videbatur, Deo non sibi viuet, & semen meum, id est credentes, qui spiritus sancti dono rursus geniti, filij Dei facti sunt, patri meo seruient, ac sempiternam atque beatam vitam consequentur.

Annutiabitur Domino Generatio ventura.

QVodnam semen sit, declarat, cum populum oriturum nominauit, non enim de hoc sæculo intelligitur, sed de futuro, annuntiabitur Domino, id est in honorem Domini generatio ventura scilicet noui testamenti, id est populus gentium baptismate iterum generatus, ab angelis qui pro ministerio hominum preces Deo offerunt. Vel annuntiabitur, id est cognoscetur à Deo fidelium ex gentibus generatio.

Et annunciabunt cæli Iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit dominus.

ET cæli, id est apostoli, & euangelistæ, atque hi, qui per fidem generati sunt, Iustitiam eius, id est filiũ Dei, siue mandata eius, & Tyranni interitum popu-

lo prædicabunt, qui ex fide, & ex aqua, & spiritu denuo nascetur, & ille deinceps posteris omnia exponet, quem sibi populum creauit, siue constituit Dominus Deus, qui viuit sempiternis sæculis gloriosus. Amen.

APPENDIX.

EGo Psalmum hunc quoad potui, diligenter interpretatus sum, reliquum est, vt præcipuà quædam de passione D. N. Iesu Christi pro ingenij mei captu breuiter dicam, quæ ad maiorem illius declarationem maxime pertinebunt. Atque imprimis scire nos oportet, quòd cum Adam, quem Dominus Deus ad imaginem, & similitudinem suam creauerat, atque in paradiso collocarat, vt illum custodiret, mandatum præterijsset, præceptoq; non paruisset, quod dederat ei, ne ex ligno prohibito quicquam carperet siue pomum, siue ficum, & comederet, qua re effectum est, vt ille sanctitatem, & iustitiam amiserit, qua præditus erat, & ob hanc offensionem in iram Dei incurrerit, Animaduertens Dominus Deus ruinam illam maximam, peccatum videlicet per Adami præuaricationem mundum intrasse, ac mortem esse secutam; neminemq; à Dæmonis dominatu liberum fore, atque captiuum à seruitute redemptum non iri, nisi consilium suum executus fuisset, quod nemo scrutari poterat, filium suum mittere statuit, qui sibi æqualis, & coæuus carnem indueret, ac filius hominis esse vellet, &

veniens quæreret id quod perierat, atque saluaret; Duplex autem aduentus Christi causa extitit, altera quidem, quia Deus ab omnibus intelligi, ac sciri voluit, quanto hominem amore à se creatum prosequeretur; inquit enim D. Paullus, propter nimiam caritatem, qua nos dilexit, filium suum misit; altera vero, vt sententiam quam iuste tulerat, iustius abrogaret, atque deleret. Et quanuis verbum caro extremis temporibus factum sit (cur enim tarde, scrutari, atq; inuestigare humani non est ingenij) ideo tamen partum virginis huic tantum sæculo salutarem, non autem sæculis prioribus fuisse arbitrari debemus; omnis enim antiquitas Deum prorsus colens, omnisq; sanctorum numerus, qui fide vixerunt in Christum venturum, salutem gustarunt, nec Patriarcha, nec Propheta, neque ex sanctis quisquam nisi in redemptione Christi omnino saluus, & iustus effectus fuit, quod multis oraculis, ac prodigijs promissum cum ab eis expectaretur, munere diuino tandem exolutum fuit. Venit igitur Dei filius sic homo factus, vt idem filius maneret, qui nisi carnem sumpsisset humanam, hominem non liberasset; Talibus enim vinculis astringebamur, vt nisi eius aduentu ab eis solui non potuissemus. Diuinitatis namque humilitas nos in altum prouexit; nam ab impietate ad iustitiam, à miseria ad beatitudinem reditus nobis non fuisset, nisi Iustus ad nos impios, & beatus ad miseros inclinasset: ijs vero qui interrogant, an alius Deo modus defuit, quo hominem à miseria mortalitatis huius erueret, respondetur aliam Deo, qui omnia efficere potest,

test, viam ac rationem ad nos liberandos aptissimam fuisse, ac diuinæ dignitati congruam, sed sanandæ miseriæ nostræ modum magis conuenientem non fuisse, nec esse oportuisse; potuit quidem ipse sine sanguinis effusione, ac pietatis instinctu etiam tunc saluare, sed noluit, quia sanctionem decreti sui violare æquitas non sinebat. Itaque post diuinam illam doctrinam, qua nos instruxit Dominus Iesus, dum in terra versatus est huc atque illuc pergens; post tot ac tanta præcepta nobis tradita, quæ aditum ad cælestem patriam nobis aperiebant; post innumerabilia ab eo edita miracula, quæ tamen omnia ita improbabant perfidi Iudæi, vt summo illum odio prosequerentur, eiq; conuitia facerent. Ac postquam cænatus ipse illustre, & maximum illud humilitatis exemplum Apostolis demonstrauit, cum cinxit se, & eorum pedes lauit, à Iuda incipiens, vt proditorem suum honore afficeret, & ad Petrum obstupescentem veniens, qui omnino recusabat, eosq; admonuit, quoniam in honore alij maiore, alij minore futuri erant, ne inter se dissiderent, nec superbia efferrentur, sed eum imitarentur magistrum, & quæ didicerant, efficere non intermitterent; Cum patiendi tempus appropinquaret, ac mæstus Iesus esse incipiens, vt veritatem assumpti hominis indicaret, non patiendi timore, qui ad hoc peragendum venerat, at propter infelicem Iudam atque Apostolorum scandalum, Iudæorum eiectionẽ, & ipsius Hierusalem futuram euersionem angeretur, ter patrem rogasset, semel quidem inquiens, transeat à me calix iste, id est poculum mortis, videlicet vt me non moriente mors moriatur, Iterum & tertio si non potest

test transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua, vt humanæ nostræ voluntati diuinam anteponendam esse doceat, ad discipulos suos dormientes rursus venit, quibus ait, dormite iam, ecce præsto est, qui me prodet: Nã Dæmon in mentem Iudæ immiserat eum prodendi, qui cum Principibus sacerdotum pactus triginta argenteis, siue denarijs, vnà cum ijs, qui fustibus, & hastis armati erant, ad eum se vltro offerentem profectus est comprehendendum, qui tunc diuina prouidentia non casu in horto erat, vt sicut in paradiso, idest delitiarum horto à serpente Adamo decepto mundi ruina cæpit, sic in horto mundi salus prodito Christo initium faceret. Verum quid eis euenerit, audire nobis licet Ioannem inquientem, Iesum ad turbas venientes hæc verba fecisse. Quem quæritis? respondisse eos, Iesum Nazarenum; ipsi enim se hominem purum adoriri arbitrabantur, Illum dixisse, Ego sum; quod verbum ita eos perculit, vt abeuntes retro omnes, & Iudas, vt potè in terrenam labem ab illa cælesti gratia decedentes in terram corruerint. Quòd si humilitas iudicanda efficere valuit, quid iudicatura maiestas poterit? Vnde ex hoc conijcere debemus, quòd licet ob infirmitatem perpessus sit Dominus Iesus, & contumelijs innumerabilibus vexatus, aliqua tamen diuinæ suæ virtutis semina spargere non omisit. Verum ipse sciens mysterium, quid magis requireret, insectatores ad vomitum reuerti permisit, mandans eis, vt suos abire sinerent, qui omnes relicto eo fugerunt: Cui enim fuisset salus, si se comprehendi non permisisset, qui pro redemptione nostra mori decreuerat: nam dilato crucis triumpho,

&

& Dæmonis dominatio longe fuisset progressa, & captiuitas nostra diuturnior euasisset. Et Iudas quidem Iesum osculatus est, sicut eis signum dederat, ne Iacobum qui ei similis valde fuit, in tenebris Christi loco caperent; Qui dixit illi, osculo filium hominis prodis? (ex quo docemur inimicos omnes, eosq; quos sæuitiam in nos adhituros esse non ignoramus, diligere, Dominus enim osculum eius non respuit; non quòd simulare nos doceret, sed ne proditionem fugere videretur;) Et charitatis insigne indicium, ad proditionis atque infidelis animi signum conuertis? Illi vero eum ligatum tanquàm agnum innocentem ad victimam duxerunt, quia erat eorum hora, & potestas tenebrarum, idest dæmonis; simul enim illum afflictionibus cruciandi, & morti addicendi vim, & facultatem acceperant, vt perficeretur carnis sumptæ salutaris dispensatio; In quo strepitu Petrus in amore Christi errans seruo Principis Malcho aurem amputauit, quam tamen Christus sanauit Dei filius, mandans ei, vt gladium in vaginam reconderet. Ac primum Annæ ipsum offerunt, qui Iesum de discipulis suis, & de doctrina interrogauit, ipse autem respondit, quid me percunctaris? exquire ab eis qui me audierunt; ego enim palàm non in occulto, locutus sum, non quòd intelligentia occulta non esset, sed quòd coràm tot hominibus sermonem habuerat; contra hæreticos congregationes occultas facientes: Et vnus m n strorum quem ingratum Malchum fuisse multi opinantur colaphum ei infregit audacissimus inquiens, sic pontifici respondes? cui ipse dixit, vt mansuetus ac patiens, qui pœnam percutienti irrogare poterat, si male

locutus

locutus sum, perhibe de malo, idest mendacem me argue; non enim de sacerdotis honore detraxerat, sed innocentiam suam ostendebat, atque asserebat. Annas autem illum ad Cypham misit, aduersus quem falsos testes quærebant, vt à falso testimonio condemnatio Christi inceperit, ipse vero tacebat, primum vt mansuetudinis, & patientiæ exemplum præberet; deinde quia accusationes allatæ responso dignæ non erant: falsæ enim. Nam Christus dixit, soluite templum hoc de corpore suo intelligens, & in triduo suscitabo illud, illi autem verba commutantes de templo Dei exposuerunt, quòd id post triduum reædificaret, cum ædificare & suscitare diuersa sint. Demum quia cognouit, quicquid ab eo responsum foret, illos calumniaturos esse; Verum Cayphæ furenti quia Christus responsum non dat, & dicenti, adiuro te per Deum viuum, si tu es filius Dei, vt dicas; respondit Christus, tu dixisti; attamen filium hominis, quem nunc parui penditis, in Dextera Dei sedentem videbitis, & per totum orbem patri æqualem prædicari, sed & in fine sæculi eum vestri, ac cæterorum adesse iudicem. Tunc Cayphas, vt sermonis inuidiam magis exaggeraret, vestimenta sua scidit certe admodum stultus, qui seipsum sacrato amictu spoliauit, & pontificis honore se priuauit, ac finem veteris instituti fore diuinauit, sicut vnum pro populo mortem obiturum esse vaticinatus erat, postquam manibus suis vestes pontificias discerpsit. Et eum execratum esse dixit, nec amplius testibus opus esse; Quid de execratione hac sentitis vos? illi reum mortis esse inquiunt. Tunc Iesus illuditur, velatur, arundi-

ne ceditur, conspputatur, & innumerabilibus contumelijs afficitur. Dum hęc coràm Caypha geruntur. Petrus cum ad ignem accessisset, frigus enim non temporis solum, sed fidei etiam patiebatur, interrogatus à ministris illis, qui erant ibi, an ex illis esset, timore ac trepidatione perterritus ter negauit, non sum, & non noui hominem, non solum negans Christum, sed etiam se illum non sequi, sicut antequàm gallus caneret, facturum illum dixit ei Dominus: Vt hinc discamus nullo modo hominis voluntatem sufficere, nisi auxilio diuino ea roboretur. At Iesus eum respiciens diuino oculo suo in eius mentem influxit, interioriq; gratia eum visitauit, quem ante labi permisit, vt is ex infirmitate sua subiectorum fragilitatem metiretur: Recordatus vero Petrus verbi Domini exiuit foras, & fleuit àmarè, quæ illius lacrymæ bonæ fuerunt, quia peccatum abluerunt; quam negationem tres primi Euangelistæ in domo Cayphæ, Ioannes in domo Annæ contigisse aiunt; non nulli in domo Annæ cæptam, & Cayphæ perfectam fuisse; alij in Domo Annæ accidisse, sed Cayphæ tribui, quia pontifex esset; Verum Euthymius nullam esse discrepantiam inquit; vna enim erat domus, idemq; atrium, habitationes duas segregatas habens, in qua vterq; habitabat. Et Iudas audiens Christum condemnatum fuisse, peccaui, inquit, sanguinem iustum prodens; & proiectis denarijs abijt; principes vero pro sepultura peregrinorum agrum emerũt, quia Iudęis, qui filij erant foras expulsis ad vsum, & vtilitatem gentium, quæ à Deo longe aberant, pretium sanguinis Christi relatum est. Ex quo coniecturam nobis

facere

facere licet Iudam non credidiſſe Chriſtum vere Deum eſſe, cuius miſericordiam captaſſet, ſi eius diuinitatē atque potentiam non fuiſſet inficiatus; de quo Hieremias c.17.inquit quòd eius peccatum ſtylo ferreo ſcriptum erat, & non poterat deleri, licet de vniuerſa gente iudæa dictum illud intelligi queat; nec ſe laqueo fortaſſe ſuſpendiſſet. Tranſacta hac nocte vinctum Ieſum principes Pylato tradiderunt dicentes, nobis non licet interficere quenquam, vt ſermo Ieſu impleretur, cum à terra in altum ſublatus fuero, omnia ad me ipſum traham, genus mortis indicans, cum tamen lingua hoc exequerentur. Et vere traxit, cum maieſtatem ſuam confitendi ſenſum totus mundus accepit, & execrantia Iudæorum ſcelus elementa omnia ſententiam vnā tulerunt. Ac Pylatus quidem ſemel eum examinauit, & cum nullum crimen reperiſſet, ad Iudæos exiuit, vt ab eis de cauſa vinculorum ſciſcitaretur, & in quo eum accuſarent, cui reſponderunt ipſi; commouit populum docens, a Galilea exorſus, & ſe Regem dicens; ideo niſi maleficus eſſet, tibi ipſum non tradidiſſemus. Pylatus itaque audiens Galileam, ad Hærodem eum miſit, qui gaudio valde exultauit Ieſum videns, quem conſpicere optabat, ſperans aliquod ab eo ſignum factum iri; varie autem eum interrogabat, at ille reſponſum non dabat ea, opinor, cauſa, quòd ille Ioannem occiderat, & quia eius impietas, vt diuina cerneret, digna non erat, ac principibus eum ipſi accuſantibus nō reſpondit, ne crimina diluens crucis vtilitatem differret, ſed Pylato, qui ſententiam inuitus ferebat. Quare ex hoc diſci poteſt, vbi pro grege immolandus ipſe

nihil ait, patientiam Iesum ostendisse; vbi respondet, quasi pastorem contra lupos, & latrones pugnasse. Herodes autem illum veste alba indutum spreuit, & ad Pylatum remisit, & eo die reconciliatio gratiæ facta est, cum antea inter eos inimicitia intercederet; quod argumentum fuit vtriusque populi per Christi perpessionem concordiam fore, ita tamen vt populus gentiũ Dei regnum prius possideat. Iterum vocauit Iesum Pylatus, & ei dixit, Tu es rex Iudæorum? ac nihil aliud criminis exquirens, nisi an Rex sit, impietatis Iudæos arguit, quòd ne falsum quidem inuenire potuerint, quod Saluatori obijcerent, nisi duntaxat hoc vnum, quòd se Regem diceret; eosq; deridet, quod tam pauperem, tam vilem, tam necessario destitutum auxilio regnum ambire velint. Respondit Iesus, à temetipso hoc ais, an alij tibi dixerunt; Pylatus inquit, Pontifices tui tradiderunt te mihi, quid commisisti? ait Christus, regnum meum non est de hoc mundo, in eum scilicet credentes; ergo Rex es tu, inquit Pylatus, replicat Iesus, tu dicis quia Rex sum, ego in hoc natus sum, vt & rex sim quippe de Rege ortus, & vt veritati dem testimonium. Ait præses. Quid est veritas? nec respõso expectato. Iterum ille ad Iudæos accessit inquiens se nullam mortis causam in eo inuenire, consuetudinem vero esse, vt in Pascatis festo, in quo à seruitute Aegypti liberati fuerunt, illis liberet vnum ac dimittat, an velint Iesum, non opinans eos homicidam ipsi præpositu ros esse; Sciebat enim, quòd inuidia ducti eum insectarentur; at illi Barabbam flagitarunt, & Christum in crucem tolli. Verum ille manus lauit dicens se à sanguine

guine Iusti huius immunem esse; Beatus ille, si in hac sententia perseueraßet, & vxori etiam fidem habuisset; Et illi responderunt, sanguis eius super nos, & super filios nostros, qui pretiosissimus Iudæorum immanitatem arguit, atque ingratitudinem; mundum tamen à peccato redemit, cuius gratia effusus est. Tunc Pylatus Iesum apprehendit, & ad satietatem flagellis cecidit, vel vt quo quo modo sæuientium Iudæorum irã mitigaret, vel, vt quidam aiunt, quòd moris erat, vt damnati prius virgis cæderentur. Ecce quàm iniuriosa ipse, & milites Christo intulerunt, quæ tamen idem patienter tulit, vt à vulneribus quæ peccatis nostris debentur, nos liberaret; & Illuserunt ei, vt nos illusori Sathanæ illudere poßemus; omnia enim nostra causa suscepit Iesus, quibus omnia aduersa, omnesq; Dæmonis insidias à nobis repelleremus; Ac milites coronam spineam capiti eius imposuerunt, vt eum victorem indicarent licet deridentes; ac pro sceptro dederũt ei arundinem in dexteram eius, siue calamum, vt Iudæorum sacrilegium scriberet; & veste purpurea eũ induerunt illudentes ei, Aue Rex Iudæorum, sputo eum consputantes, & faciem eius percutientes; siue à Iudæis pecunia corrupti, siue præsidis mandato, vt odium Iudæorum mitigaretur, aut sedaretur; His gestis exiuit foras Iesus, Et Pylatus ait eis, ecce homo, eum miserans, & vt ipsi misericordia commouerentur, quia non erat ei speties neque decor, quem cum aspexissent, in crucem eum age, inquiunt, Et Pylatus respondit, accipite eum vos, irridens eos, quibus iudicandi facultas non esset, quia nihil causæ reperio; & ipsi dixerunt

runt cum debere mori, quia filium Dei se fecit. Hoc audiens Pylatus formidauit an verum esset; Iudæi autem cum id re, & verbis intelligerent, non sunt perterriti, sed interimunt, quem valde venerari debuissent. Pylatus denique cum eum sciscitatus esset, vnde es tu? cui Iesus responsum non dedit, nescis, inquit illi, quia te cruce afficiendi, atque absoluendi potestatem habeo. Et quare innocentem non absoluis? respondit quidam, at nisi à Deo tibi ea data fuisset, dixit Iesus, nullam haberes. Vnde voluisset eum liberare Pylatus illius sermonibus deterritus; illi vero hoc perspicientes dixerunt, si hunc dimittis, te Cæsaris amicum non fore, Tunc arbitratus ille se Cæsarem offensurum, foras duxit Iesum, inquiens, ecce Rex vester; sed illi cum clamassent: tolle tolle, atque ille dixisset, tali ignominia Regem vestrum afficiam? deludens Christum, vt Iudæorum feritatem curaret, ac respondissent se Regem nisi Cęsarem non habere; morti eum adiudicauit, quasi potestatem Cæsaris vsurpantem, et regnum affectantem, & permisit eis, vt illum in crucem tollerent. Illi autẽ veste purpurea exuentes eum, & vestimentis eius iterum induentes crucem humeris ipsius Iesu imposuerũt, quam is strenue gerebat, quoad Dei prouidentia, ac voluntate negligentibus iudæis Christum sequi, crucemq; terræ, dignus inuentus est Simon Cireneus, qui id efficeret, scilicet gentium populus. Quem Iudæi coegere illam sumere, veriti ne oneri succumberet Iesus, ac mortem obiret; Et venerunt ad Golgota Caluariæ locum propè Hierusalem, in quo caluities hominum, vel suspẽsorum, vel alio mortis genere occisorum passim, & cir-

ca patibula iacebant, & vbi quidam aiunt Adamum periisse atque iacere. Et in crucem eum ibi egerunt hora sexta, qua Adam in peccatum lapsus est, licet Marcus tertia dicat indicans illa hora eum Reum mortis iudicatum fuisse, ac pati cœpisse, & latrones duos alterum à dextris, à sinistris alterum, vt prædictio compleretur, & cum iniquis deputatus est. Qui in perpessione manus suas extendit, orbemq; dimensus est, vt iam tunc ostenderet ab ortu solis vsque ad occasum magnũ populum ex omnibus linguis, & tribubus congregatũ sub alas suas esse venturum, atque illud signum sublime, & maximum frontibus suis suscepturum. Milites autem vestimenta diuiserunt in quatuor partes, erant enim quatuor, quorum vnicuiq; pars obtigit, qui regni diuisionem futuram esse indicarunt. Pylatus vero diuinitus titulum scripsit, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, quem reprehenderunt Pontifices dicentes noli scribere, rex Iudæorum, sed quia dixit ipse, Rex sum; quibus ille. Quod scripsi, scripsi, quasi dicat, veritatem nõ corrumpo, sed vos falsitatem diligitis, ex quo titulo à Pylato conscripto Hebream linguam primam fuisse apparet. Cur autem in cruce pati elegit, ratio triplex affertur, prima vt Christus pro peccato mundi pretium, ac redemptio daretur, & antiquus hostis cruce velut homo caperetur, vt quos absorbuerat, euomeret, non potentia, sed iustitia victus; altera, vt imitatoribus vitæ exemplum præberet, ad hoc enim cruci affixus est, vt quid tolerare, & quam spem surgendi habere debeamus, doceret; postrema, vt superbia mundi, & sapientia inflata per crucis stultam, vt putabatur, præ-

dicationem corrugęt. Illa quoque causa præcipua fuit, cur Deus crucem maluerit, quòd illa eum in altũ efferri necesse fuit, & omnibus gentibus Dei perpessionem innotescere; nam quoniam is qui patibulo suspenditur, & clarus & cæteris altior eſt, crux potius electa eſt, quæ significaret illum tam illuſtrem atque sublimem fore, vt ad eum cognoscendum pariterq; colendũ cunctæ nationes ex toto orbe concurrerent. In die autem Paſcatis Iudæos furorem suum exercere permiſit Chriſtus, quia oportebat, vt perficerentur, quæ figurato myſterio diu promiſſa fuerunt, vt ouem significantem vera ouis abrogaret ac tolleret, & vno sacrificio variarum diſcrimen victimarum exprimeretur; Nam omnia illa de immolatione agni, quæ à Moyse inſtituta fuere, Chriſtum prædicebant, eiusq; occiſionem nunciabant. Et sic vmbram veritatis Iudæi sequebantur, et ab eiſdem vmbræ veritas implebatur, quia vt verum Paſqua celebraretur, Chriſtus velut ouis immolabatur. Noluit autem de monte præcipitari; ipſe enim tranſiens per medium illorum ibat, nec lapidibus appeti, ac percuti; se enim occultauit, nec gladio interfici noſtræ vtiq; salutis causa; Nam lapides, aut ferrum semper gerere non valemus, quibus defendamur; Crucem vero elegit, qua leui manus motu exprimitur, qua & contra inimici verſutias munimur; hoc enim signo omnia cum inuocatione nominis Chriſti conſecrantur. Cruci ergo suffixus eſt, vt à Damnatione ligni vetiti nos erueret, & à morte liberaret; Extenſio autem in ligno crucis manuum sacrarum Adami & Euæ manus ad prohibitum lignum porrectas condemnabat. Quare

re extra ciuitatem, & non in templo? vt impleretur, quod supra de latronibus dictum est; & quam ob causam in excelso ligno, & non in ipso tecto, vt ipsa etiam aeris natura à tetro odore munda redderetur; & terra ex sanguinis stilla de latere beneficium acciperet; Et ideo foris, ne pro illa tantum plebe se obtulisse putemus, sed vt sacrificium commune fuisse intelligamus; nec aberrauerit quis à vero, si Christi perpessionem etiam actionem vocauerit; nam opus illud ingens atq; admirandum confecit, quò mortem ac Dæmonem deuicit, ac reliqua omnia peregit. Cęterum in cruce pendens dicebat, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, non excusantur tamen cum scire nolunt, quod cognoscere debuerunt, orans tanquàm homo, vt misericordiæ formam demonstraret; at quidam aiunt non pro Iudæis, sed pro militibus Romanis, & pro idiotis ex gentibus legem ac prophetas ignorantibus eum precatum fuisse: à prætereuntibus autem Iudæis illudebatur, & conuitijs iactabatur Iesus; si filius Dei es, descende de cruce; verum descendere noluit, quia vsque ad mortem patiens esse voluit. Idipsum, & duo latrones exprobrabant ei, vt Matthęus & Marcus aiunt; vt vero Lucas inquit, unus tantum illum uexabat; alter enim socium increpabat dicens ab eo Deum non timeri, & nos quidem factis digna pati, hunc uero nihil mali gessisse: Et Christo Iesu aiebat ab eodem edoctus; Domine memento mei cum in regnum tuum ueneris, cui respondit ipse, Hodie mecum eris in paradiso: Vita enim est esse cum Christo, quia ubi Christus est, ibi regnum existit, ut non tanquam homo, sed tãquàm Deus

hoc

hoc dixisse intelligatur. Homo enim Christus secundum carnem in sepulcro, secundum animam in inferno futurus erat, vt subueniret quibus oportebat; Deus vero Christus vbiq; semper est. vbicunque ergo paradisus sit, quisquis beatorum ibi est, cum illo existit, qui vbiq; est. Dominus autem latroni cito ignouit, quia cito ille se conuertit, quæ admiranda fuit eius conuersio, & plus tribuit quàm rogatus fuit; non enim cuiquam ante latronem paradysum pollicitus fuerat. Quidam aiunt latrones duos vtrunque scilicet populum Iudæorum, & gentium indicare; & ambos primùm fuisse Dominum execratos, deinde alterum signorum magnitudine perterritum valde pœnituisse, & iudæos vsque hodie increpare. Vnde latro dubitantibus apostolis, mirum in modum laudatur, Christum confitens, & ipsius magnanimitas præcipue, qui populi multitudinem opprobria, contumeliasq; & conuitia in eum iactantem non attendit, sed fidei oculis Regem cæli cognouit, & confessus est. & quod caput est, paradysum hodie nobis ante quinque millia vel amplius annos ferè, clausum aperuit; in hac enim die & hora latronem introducens Iesus duplex in nos beneficium contulit. Itaque laudabilius fuit latroni imminente passione quam inter virtutum opera Christum fateri. Nam Petrus passionis tempore Christum negauit, quem nouerat, latro quem non cognorat, nec miracula edentem aspexerat non est inficiatus. A sexta autem hora vsque ad nonam magnis, & crassis tenebris toti orbi offusis, cum iudæis salutare lumen illuxisset, ipsiq; potius tenebras sibi offudissent, quàm lumen recepissent; De quibus

Diony-

Dionysius Areopagita dixit, aut Deum naturæ pati, aut mundi machinam dissolutam iri; miserata sunt enim conditorem suum elementa, & sol ipse se occultauit, ne dominum suum pendentem videret, & impij sua luce fruerentur; Exclamauit Eli Eli lamazabacthani, idest (verbum secundum latinos quartum) humana enim natura derelicta erat, at non Dei filius; vnde verborum humilitatem non miremur, neque derelicti querimonias, cum formam serui scientes crucis scandalum videamus. Hoc enim dixit confirmans, quòd sicut vere humanam sumpsit naturam, se vere quoque cruce affectum fuisse; vel pro genere humano morientem clamasse; figurauit enim, quod nostrum est in se, si quidem primum relicti, & spreti eramus, nũc illius afflictionibus assumpti, ac seruati sumus, qua de re nonnulla in Psalmo supra diximus. Verum quidam illic stantes, opinor, milites Romani sermonem non intelligentes dicebant, Heliam vocat, cæteri dicebant, videamus an Helias veniat; At Iesus iterum clamauit voce magna. Pater in manus tuas cõmendo spiritum meum (verbum, vt latini aiunt, septimum & vltimum) patrem vocans, vt se filium declaret, & spiritum commendans non defectum virtutis, sed fiducia eiusdem cum patre potestatis insinuandi gratia, tunc eum mori permisit; sed variant textus grœci, quidam, commendo, quidam commendabo, habent; ac futurum magis probatur, quòd paulo post spiritum emiserit; Nam sequitur post hanc vocem, quòd stabat iuxta crucem mater eius, vt ait Ioannes, qui & ipse aderat cui dixit Iesus, Mulier, ecce filius tuus (verbum, vt sentiunt

tiunt latini, tertium moriens enim matrem discipulo commendat, valde dilectam admodum dilecto, virginẽ virgini, nos instruens, vt ad extremum vsque spiritum parentum curam habeamus, & discipulo, ecce mater tua; quam loco matris semper duxit, sicut illa habuit ipsum loco filij, & quicquid ei necessarium fuit, diligenter curauit, Mulieris autem nomine quidam mouẽtur; at ad sexum retulit; non enim corruptelæ, sed sexus vocabulum est, cum vsus vulgi veritati non aduersetur, quo nomine primum Eua adhuc virgo appellata est. Cæterum sciens Iesus, quia omnia iam perfecta erant, vt compleretur scriptura, sitio dixit, fidem gentis minime credulæ concupiscens, illi vero acetum cum felle mixtum arundine hyssopi, quæ ad eorum manus peruenit, ei præbuere, vt ait Dauid, quo epoto dixit, cõsummatum est, idest omnia perfecta sunt, vt nihil eorũ desit, quæ ante mortem fieri opus est; non enim mors corpus eius ante inuasit, quàm ipse voluit, Et inclinato capite tradidit spiritum, vt potè qui deponendi animã suam potestatem habebat, & iterum eam sumendi, completis tringita tribus annis, & mensibus tribus, à natali, à carne vero ab eo sumpta triginta quatuor annis integris; non postquàm spiritum emisit, quod in nobis accidit, sed vbi inclinauit, tunc spiritum edidit, vt discamus eum mortuum fuiße, quando voluit. Obijt ergo secundum carnem filius Dei, & mori voluit, vt per mortem eum, qui mortis potestatem habebat, dæmonem destrueret, & eos qui timore mortis Rei erant, prorsus liberaret: Qua crucis morte nihil tunc magis ignominiosum fuit. Quare autem cum interimi procurauerint

curauerint Iudæi, causa hæc extitit, quia dicebant, si eum dimiserimus, Romani venient, & auferent locũ nostrum; Christum occiderunt, & tamen locum, & gentem perdiderunt; si enim vicerunt, quomodo regnum amiserunt; non igitur victores fuerunt, vt arbitrati sunt; immo Christus iudicatus est & vicit, vt ait Dauid, & vincas cum iudicaris, quia sine peccato iudicatus est; ideo iudicium sustinere patientiæ fuit, & vulnera pati ad humilitatem pertinuit. Signa autem in morte Iesu multa extiterunt, primum templi velum scissum est, scilicet velum inter sanctuarium, & sancta sanctorum, quod summa templi mysteria tegebat, vt veteris testamenti arcana omnia, & mysteria prius abstrusa Christi morte manifesta esse facta indicet, & ad populum gentium transiisse: Deinde terra terremotu contremuit, & petræ scissæ sunt, Demum ut addit D. Matthæus, monumenta aperta sunt significantia Dominum se excitaturum, & multa corpora surrexerũt eorum scilicet, qui credendi sunt cum Domino ascendẽte simul ascendisse, non tamen antequam Christus surgeret, vt ipse ex multis fratribus primogenitus esset; & exeuntes de monumentis, postquàm ipse se suscitauit, in sanctam ciuitatem uenerunt, & multis apparuerunt. Quæ omnia signa Centurio uidens filium Dei fuisse confessus est. Verum mos erat, ne remanerent corpora in cruce sabato, crura suffringere, ut ait D. Ioannes ostendens in huiusmodi officiis, quæ mortuis præstamus, morem cuiusq; gentis seruandum esse, & ita utriusque latronis crura fregerunt; Iesu uero iam mortui minime; sed unus militum, quem Longinũ

fuiße quidam existimant, hasta latus eius perforauit, ex quo exiuit sanguis ad pretium, & aqua ad ablutionem pertinens: aqua enim nos abluit, sanguis uero redemit, Et sic corpus integrum patibulo detractum est, & in sepulcro à Iosepho, qui à Pylato illud impetrauerat, quiq; quanuis in duodecim numero repositus non fuerit, discipulus tamen Domini nuncupabatur, diligenter inclusum. Et unguentis à Nicodeno, cum forte surrecturum non credente unctum. Iacuit autē corpus Christi in sepulcro uno die, & noctibus duabus; quia uidelicet unam suam carnis mortem obtulit, & mortem nostram duplicem carnis & spiritus, quibus detinebamur, soluit; ac sepultus est, ut ad consolationem eorum, qui iam in sepulcro conditi fuerunt, bene dictionem corporis eius terra acciperet, ibiq; ad sepulturam Maria Magdalenæ, & altera, idest Dei genitrix prẹcipue, & aliæ astiterunt. Adiungit solus Matthęus iudæos à Pylato petijße, ut iuberet muniri sepulcrum, ne discipuli corpus furarentur, & eum à mortuis surrexiße dicerent, sic enim ultimus error priore peior esset, ut ignorantes uerum dicant, quòd pœnitentiæ contemptus ignorantiæ errore multo peior est; & sic custodia adhibita fuit, ac diligentia, quæ nostræ fidei profuit, nam quanto diligentius seruatur, tanto magis Domini surgentis uirtus ostenditur; Ex quorum uerbis patet eum mortuum eße; aiunt enim illum seductorem adhuc uiuentem dixiße, post triduum surgam, ac sepultum eße, munientes supulcrum, quo obsignato cum locus furto non relinquatur, quin ipse surrexerit, contradici non poteſt: corruperunt tamen pecunia milites, ut

ipsis dormientibus discipulos corpus abstulisse in uulgus spargerent, & hanc famam suo tempore apud iudæos fuisse ait Augustinus. Quis ergo tam durus est, qui considerãs totum Saluatoris corpus uarijs iniurijs affectum, caput corona spinea, & arundinis percussione, sputis faciem, os felle & aceto, aures execrationibus, dorsum & pectus uerberibus manus, & pedes clauis, latus hasta perforatum, lacrymas continere queat? Et quicquid illusionis, & contumeliæ, quicquid uexationis, & pœnæ intulit impiorum furor, non necessario toleratum ab eo fuisse, sed ex uoluntate susceptum cognoscens, incredibilem mansuetudinem misericordiamq; non admiretur, benignitatem atque charitatem non suspiciat? Venit enim filius hominis, ut nos saluaret, & sic ad omnium redemptionem, infectantium malitia usus est; ut tamen si crediderint eum obijsse, & surrexisse salui esse possint ij, qui eum in crucem egerunt. Cum ergo nos contumelijs afficimur, mente ad Christum confugiamus, qui tot ac tanta pro salute nostra pertulit, hoc maxime perpendentes, quòd ipse Deus erat, nos serui, ipse sine peccato, nos autem peccatores, & quòd à seruis afflictiones patiebatur, nos autem à conseruis, & ipse propter nos, ac spectantibus iudæis grecis & latinis, nos propter nos ipsos, et coràm paucis mala, & calamitates sustinemus: ac sæpe hæc commemoremus, & omnem tumorem atq; superbiam abijciamus; humilitatemq; maxime diligamus, & amplectamur, cuius admirabilia exempla ipse nobis edidit, virtutemq; crucis noscamus, quæ paradysum aperuit, & illam in fronte geramus, ne erubescamus;

mus; ea enim in animis nostris figenda est; Et omnibus actionibus nostris anteeat, vt nisi per inuocationem, & crucem Christi saluari nos credamus : ideo vbiq;, & semper signo crucis armare nos decet; & cum dormitum accedimus, & de lecto surgimus: Hoc etiam memoria teneamus solis illis, qui mandata Christi seruant, eam prodesse, cuius proprietates quinquaginta recitat D. Chrisostomus. Quare in hac quotidie cogitatione, ac meditatione versemur, quemadmodum Christus incredibili patientia propter nostram salutem vsus fuerit, & quantum erga nos amorem demonstrauit; fortasse enim à flagitijs multis, ac sceleribus abstinebimus; tanta est autem conscientiæ vis, in vtranque partem, vt neque timeant, qui nihil commiserint; timor enim ex conscientia peccatorum exoritur, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccauerunt. Ex quorum numero nolimus esse, sed dominum Iesum Christum toto corde colentes, atque venerantes semper eius beneficia recolamus, conemurq; mundum, ac vitia omnia fugere, crucemq; nostram ferre, quo ei valde grati simus; ipse enim sicut latroni, ita & nobis paradysum patefaciet, & in patriam cælestem nos introducet, qui viuit & regnat æternis sæculis benedictus, & gloriosus, Amen.

IN

IN PSALMVM XXII.
DOMINVS REGIT.

Psalmus hic, vt non nulli aiunt, nomine redeuntium à seruitute Babylonis canitur, qui à Cyro dimißi magna cum lætitia, & rerum copia ad suos reuersi sunt, & hoc videtur prædicere Dauid, vel vt alij inquiunt, fidelium ex gentibus exultantium, propterea quòd Dominus ad Pascua eos ducat: Et decem in se Dei beneficia continet, quæ ordine numerabimus.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit.

Dominus Iesus Christus pastor, cum primo fideles ex gentibus quasi oues in præruptis locis errantes reperisset, illos ad stabulum ouium suarum duxit, pro quo beneficio eorum vnusquisq; à propheta introducitur pro gratiarum actione canens, Dominus regit me; *Vel ecclesia sic Christum per fidem alloquitur, quia ante aduentum eius Dæmon mundum regebat; sed modo Christus ecclesiam suam regit, idest pascit, vt legit Hieronymus. Et nihil mihi ex necessarijs, & opportunis deerit; qui enim Deo adhæret, nihil boni ei deest. Ouium autem status inter scelestissimos, & perfectos medius est; perfecti enim sunt, qui animam virtutibus insignitam habent; oues vero Dei nũcupantur, quæ à ferinis moribus se ad meliorem cultũ*

transferunt, & vbi ad perfectionis statum perueniũt, non amplius oues, sed homines appellantur, verum quandiu oues sunt, à Christo actę dicere docentur. Dominus regit me; *quemadmodum enim oues herba, & aqua nutriuntur, sic & homo actione, & cognitione alitur.*

In loco Pascuæ me collocauit.

PRimum beneficium, in abundantia, & Pascuis herbarum me collocauit nutriēdum scilicet non dixit, me habitare fecit; nam quandiu homo proficit, eum pabulo illo vti vult, sacris scilicet scripturæ diuinæ documentis; locus enim Pascuæ est sermo diuinus, quæ meditantes saginantur, & pingues fiunt.

Super aquam refectionis educauit me.

2 *IDest aqua baptismatis, quo reficiuntur, qui integritatem, viresq; amiserunt, educauit, idest enutriuit me; nam qui abluitur, veteribus peccati spolijs exutus, tunc requiescit; vel aqua sapientiæ, & sacrę doctrinæ, quia refrigerat: Morum etiam disciplina non animi solum medicina est, sed peccatis etiam curationem adhibet.*

Animam meam conuertit.

3 *COnuertit me ab idolorum errore atque cultu tanquàm à morte ad vitam reuocatus. Et quoniam non eram ouis, cùm longe à Pascuis aberrarem, pastor me reduxit; sed quibusdam videtur ordo præposterus; nam prius animam conuertit, quàm refecit.*

Dedu-

Deduxit me ſuper ſemitas Iuſtitiæ propter nomen ſuum.

4 *IVſtitia hic vniuerſalis virtus accipitur, ſemitæ, ſingulæ virtutes exiſtunt; ideſt in præceptis charitatis me perſeuerare fecit, vel ad hoc ſcientiæ me per duxit, vt eius præcepta doceam propter nomen ſuum, non meritum meum, ideſt propter gloriam nominis ſui, vel ne nomen ſuum ob mala noſtra opera infideles exe crarentur.*

Nam ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

5 *IDeſt ſi in medio vitæ huius præſentis, quæ mortis eſt vmbra, ambulauero, non formidabo mala, id eſt moleſtias, egeſtatem, & morbos, quia tu domine per fidem mecum babitas; nam nunc mecum exiſtis, vt poſt mortis vmbram tecum ſim. Ac ſi afflictionem, & laborem magnum, ac periculoſum, aut tentationem paſſus fuero, quæ omnia ob doloris acerbitatem vmbra mortis dici queunt, calamitates, atque ærumnas non metuam, quia cum mecum dominus erit, nulla me noxa lædere poterit. Diuerſum eſt autem in vmbra mor tis ſedere, & in ea ambulare, quia qui ſedet, in malo firmus pergit, & obſtinatus in peccato perſeuerat, ideo miſericordia eget. Qui vero tranſit, non incedit ſolus, ſed Dominus cum eo exiſtit.*

Virga tua,& baculus tuus ipsa me consolata sunt.

6 *Tam virga quàm baculus ad flagitia, & supplicia referuntur; si fueris ouis errans, virga vapulabis, si homo peccator, baculo verberaberis. Sed virga in viam rectam deduxit, & peccantem correxit, baculus imbecillitatem fulciuit, & labantem stabiliuit: ergo disciplina tua me erudiendo non afflixit, sed admonuit atque consolata est. Ecclesia quoque virgam habet, qua minetur delinquenti, baculum, quo peccatori subueniat. Quidam crucem intellexerunt, quæ ex duabus partibus componitur, quarum rectam baculum appellant, à quo erecti sumus, cum in errore uersaremur; transuersam vero uirgam, qua Dæmon confractus est; sed uirgam præponi, quia primo Tyrānum destruxit Christus, Et post modum nos redemit.*

Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.

7 *Diximus eum, qui adhuc proficit tanquam ouē in Pascuo loco manere, postquàm is profecerit, & ad finem percucurrerit, eum non amplius ouem, nec Pascuis indigentem, sed hominem rationalem mensam cibis rationalibus instructam habere. Hic gratias agens ait, parasti non morum instructionem sicut prius, sed arcanam ueritatis doctrinam coram me, nō in conspectu impiorum, ac scripturam diuinam, seu altaris*

taris mensam, & corporis Christi communionem; ac ut iam non lacte alar, sicut paruulus, sed solidiore cibo me firmasti contra eos, qui me affligunt, Dæmones, libidines, & sæculi honores; Vel spiritus oblectamentis me donasti.

Impinguasti in oleo caput meum.

8 I*Dest mentem meam vnguento sacrato perfudisti, cuius Aaron figura fuit, atque gratia spiritus me hilarem reddidisti. & hoc est lætitiæ oleum, quo à patre vnctus est Christus, vt inter omnes consortes suos emineret.*

Et calix meus vel tuus inebrians quàm præclarus est.

T*Vus idest poculum diuinæ cognitionis aduersus inimicos valde potens, siue poculum incruenti sacrificij, & sanguinis Christi, quod me sic ebrium facit, vt sobrium reddat, quàm præclarum est, varias delectationes in obliuionem adducens, & claritatem vitæ æternæ præbens.*

Et misericordia tua subsequitur me omnibus Diebus vitæ meæ.

10 E*T misericordia tua ac benignitas omnium bonorum conciliatrix subsequetur me, quoad hic viuo, idest sequetur, ac comitabitur; aliàs enim po tiui, vt preueniat, quòd vtraque necessaria sit, & præueniens, vt animum munere diuino afflet, & subsequens, vt ad efficiendum iuuet.*

Et vt in habitem in Domo Domini in longitudine Dierum.

NOn hoc tantum flagitaui, sed vt inhabitem, ideſt domicilium habeam in domo domini in æternum, & in gloria tua, vel vt in eccleſia toto vitæ tempore ſemper per gratiam habitem, & in cæleſti per gloriam ſempiternis ſæculis. Reſtat igitur, cum in hoc Pſalmo innumerabilia in nos beneficia commemorentur, Et Deus benigniſſimus nihil deeſſe nobis patiatur, quod ſaluti noſtræ vtile exiſtat, & nos in Paſcuis vberrimis conſtituat, & aqua ſapientiæ potet, quæ à ſpiritu ſancto fluit, nec in periculis deſerat, diſciplinam nobis virga, & baculo paternam tradat; Et quod caput eſt, ad ſemitas iuſtitiæ nos deducat, quæ licet anguſtæ ſint, ac non planæ nec amplæ exiſtant, vt pro inimicis orare, eos alere, nulli malum pro malo reddere; iniuriã pati, & huiuſmodi, ſemitæ tamen ſunt, quæ ad patriã cæleſtem nos ducant, vt eas diligentiſſime teneamus, atque in eis verſantes elaboremus. Ipſe enim Dominus Ieſus Chriſtus in hac præſenti vita adiuuabit nos ac proteget, ac miſericordiam ſemper impartiet, mentemq; noſtram ſui deſiderio afficiet. Tandem clementiſſimus nos in cæleſti regno ſecum domicilium habere volet, qui viuit in æternum, ac regnat, Amen.

IN PSALMVM XXIII.

DOMINI EST TERRA.

Inscribitur Psalmus hic. In finem Psal. ipsi Dauid prima Sabati.

PRima sabati, quo die Dominus surrexit, eo enim die quo mũdus conditus est, & facta lux, Christus se suscitauit, & hominem restituit. Dauid etiam Christi ascensum ad cælum prædicit. Ex Hebr. Hieronymus, Psalmus Dauid, tantùm legit.

Domini est terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo.

SCiendum quòd notus solum in Iudæa Deus erat; & considerans Dauid, quòd est totius orbis terræ dominus, & iure eius dominatum habet, quem de nihilo in rerum naturam deduxit, & spiritu afflatus fore perspiciens, q̃ in toto orbe coleretur, ait, Domini est terra, *elementum scilicet, & plenitudo eius, idest homines, qui eam incolunt.* Orbis ter. *Superioris dicti est declaratio.* Allegor. *Domini est terra, idest ecclesia, & plenitudo eius, idest omnes fideles, ac sancti; siue enim morimur, siue viuimus, Domini sumus, ait D. Paullus. Clarificato namq; Iesu omnium gentium fi-*

des vna fit ecclesia, quæ bona terra est multum fru-ctum afferens.

Ipse super Maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam.

H*Is verbis prouidentiam Dei ostendit; nam cum terra arida esset, temperatus in ea infusus est humor, siquidem illam mari circuncinxit Dominus Deus, & mediterraneas regiones pelago interiecto distinxit, & flumina plurima, nec non fontes, qui per medium continentem erumpebant, illa perpetuo delabi, hos scaturire fecit. Quidam dicunt pro terræ fundamento solum esse Domini imperium non aquam, neq; aliud quid; quomodo enim tanta moles terræ super naturã liquidam constitisset, nisi omni virtute præpotens Dei verbum orbem terræ cum ijs, quæ in eo sunt, continuisset? alij autem dictum hoc aiunt illud potissimum ostẽdere, quòd aquę toti terræ fundamenti instar subiaceant, sicut de fluminibus apertissimum est, Et nihil mirum; ipse enim Deus est, qui hanc à principio fundauit, & super flumina præparauit, idest vt legit Hieronymus, eam stabilinit.* Allegor. *Ecclesiam, idest fidelium cætum super Maria, idest afflictiones, & omnes fluctus sæculi fundauit, vt eos superet, & super flumina, idest cupiditates huius sęculi eam constitnit, vt esset superior, quibus deuictis se ad adipiscendam immortalitatem pararet.*

Quis.

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius.

OStendit modum & viam, qua ad Deum perducit inquiens, quis in montem Domini non terrenum sed celeste, vel ad montem, idest iustitiam Domini altam, siue diuinæ Iustitię altitudinem ascendet? aut in eo loco supra Maria fundato, & super flumina stabilito, loco videlicet glorię sancto permanebit? nam multi ascendunt, qui non permanent. Qui enim proficit, montem domini conscendit; qui vero perfectus est, non vlterius progredi valens in loco Dei sancto, & in fine ipso immotus, & in habitaculo, quod iustis pręparatum est, consistit.

Innocens manibus, & mũdo corde.

QVi est actione, & operibus purus, corde autem, & cogitatione mundus, & integer, atque ab omni rerum cupiditate terrenarum, atque appetitu interiore alienus, idest qui actione, & contemplatione pręstat.

Qui non accepit in vano animam suam.

ET qui montem Dei conscensurus est, oportet vt res fluxas omnes atque caducas negligat, neque vllo earum desiderio angatur; ergo qui vitam suam terrenis addictam non habuit; non enim viuit, qui in eis occupatus

occupatus est, In vanum animum non accepit; qui vero ratione, & discernendi munere cum valeat inter bonum, & malum discrimen ponere, in fugiendis malis, & sequendis bonis eo non vtitur; vel qui anima preditus ad omnem scientiam, & virtutem apta, ea non sequitur ad quę percipienda natus est; quin potius voluptatibus, & perturbationibus distrahitur, is ad res vanas animum applicauit. Hieronymus legit, non exaltauit frustra, idest qui sibi non arrogauit; aliqui enim se corde mundos esse sibi persuadent.

Nec iurauit in dolo proximo suo.

IDest qui se proximo suo simplicem prębuit, & dictum Christi est, est, non, non, obseruauit, nam qui peierat dolo agit, vel, vt liberetur, cum debeat, vel, vt accipiat, quod ei non debetur: Et quoniam fraus, & periurium auaritię coniuncta sunt, qui talia exercent, non obtinebunt, quod sequitur.

Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

SAnè recto iudicio misericordiam cum benedictione coniunxit; nam quę remunerationes, ac pręmia esse iudicantur, sola Dei benignitate impenduntur, nam quot quot hominum iustitiæ sunt, si cum donis nobis à Deo collatis comparentur, nullius sunt momenti; Quid si ad futuram beatitudinem referantur, quę supra humanę captum mentis eximium donum est? Qualiscunq; ergo homo fuerit, misericordia Dei indiget. Ait igitur

Hic

Hic gratiam,& bona à Domino Deo accipiet, qui ascẽdit, & misericordiam à Deo eius benignitate salutem donante non illius meritis captabit.

Hęc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.

I*Dest hic est populus fidelis Christum sequens, idest omnes prędictis moribus,& virtutibus exculti, qui quęrunt Dominum etiam in hac vita, quem intueri,& contemplari cupiunt, vt ex huiusmodi contemplatione splendidiores fiant, & qui quęrunt faciem Dei, qui quondam ipsum Iacob conspectu suo honorare voluit, & ipsi posterius nato principatum dedit.*

Attollite portas principes vestras, & eleuamini portę æternales, & introbit rex Gloriæ.

D*Iapsalma. Hic Dauid spiritu afflatus Saluatoris in cęlum prędicit ascensum,& angelos qui ei in terra ministrabant, cum eo ascendere introducit, præireq́; vt aditus cęlorum aperiatur, ac dicere, ò Principes tollitę portas, non, aperite, maiestatem illius incomprehensam significantes, qui est ingressurus: Iubent autem portas omnes aperiri, propter eos, qui cum ipso regni cęlorum hęreditatem adituri erant: In iubilo n. Deus ascendit.* Et eleuamini portæ æternales, *quo nunquam ab ęterno patefactę fuerunt, & per illas nemo transiuit;* Et introibit Rex Gloriæ, *ab omnibus gloriosus*

gloriosus prędicatus, & gloriam dignis impertiens. Verum quia non solus Deus verbum ascendit, sed & carnem quam sumpserat, animę rationali coniunctā secum tulit, Cęlestes potestates tanquam aduenam intuentes interrogauerunt. Quis est Rex Glorię, *mysteria carnis assumptę non ignorantes, vt ait Dyonisius, sed admirantes; angeli vero qui pręcurrerunt dicebant,* Dominus fortis, & potens, Dominus potens in pręlio, *qui hostiles vires superauit, & potēs in prelio contra mortem, ac Dæmonis Tyranidem duram, quam euertit. Hunc honorifice exceperunt non solum secundi cęli, idest firmamenti Principes summo gaudio affecti; verum etiam sublimioribus potestatibus primi cęli dixerunt. attollite, &c.*

Quis est iste rex Gloriæ, Dominus virtutum ipse est Rex Gloriæ.

R*Espondent, Christus, qui post passionis triumphū ad cęlos victor ascendit, ac Dominus virtutum, qui potestatibus, & uirtutibus imperat, ipse est Rex glorię, cuius gloria omni cogitationi anteit. D. autem Augustinus, ait Dauidem Angelos bonos ad partes infernales præeuntes introducere qui dicunt, ò Principes tenebrarum auferte potestatem vestram, portas mortis, quę à Dęmone occupatę sunt, auferte, & introibit Rex glorię, in quo sine superbia gloriamur,* Quis est iste Rex Gloriæ, *inquiunt maiores Dęmones, aut pauet natura mortalis admirans, et quęrit, respondent*

Angeli

Angeli boni, Dominus fortis & potens, *quem uos infirmum atque oppressum putastis*, potens in bello, *qui morte deuicta immortalitatem infirmitati humanæ restituit; Virtutes etiam, quæ Domino ministrabãt antecedentes Christum in ascensu ad cælestes alias fortitudines clamabant, Pandite ianuas, & aperite viã.* Et eleuamini portæ ęternales, *iustitiæ, charitatis, & castitatis. Quibus anima vnum verum Deum colit*, Et introibit Rex Gloriæ, *vt apud patrem aduocatus nobis sit; quæ nouo carne induti mysterio, sciscitantur*, Quis est iste Rex gloriæ, Dominus virtutum, *idest gratiarum qui omnia omnibus bona tribuit, vel qui cælestium virtutum, & angelorum dominus est. Hieronymus legit ex Hebr* Leuate portæ capita vestra, *nec Principum mentio fit, sed ad Ianuas sermo dirigitur, vnde Eleuamini, superioris dicti erit expositio. Dauid.n.cælestis Regni portas alloquitur, vt sese erigant, atque victori Domino aperiant. Cũ igitur Dauid nos doceat, quomodo ad montem sanctum Domini, & ad cęlestem patriam accedere valeamus, erimus ne tam ignaui atque socordes, & huius mundi amore adeo capti, & illecebris voluptatis sic deliniti, vt ad illam iter discere recusemus? certe cum Deus nobis adiutor sit, facilis erit introitus, si periuria, & vitia omnia fugere velimus, atque innocentiam amare; Inquiet aliquis, recte dixisti, si vnusquisq; velit, fore nihil difficile; at rari sunt, qui velint, ac Deo placere studeant; non immerito igitur isti pœnas luent, & maximas, qui Christi pręceptis parere, & Dauidem audire nolunt. Nos vero ab omnibus sceleribus, ac flagi*

tijs

tijs abstinere nitamur, & moribus sanctis præditi esse; Innocentia & castitate fulti simus; cum proximo sincere agamus, munera omnino repudiemus. Nam in loco sancto commorabimur, & patefactis portis in regnum cæleste intrabimus Domini N. Iesu Christi gratia, & misericordia adiuti, qui viuit & regnat sempiternis sæculis gloriosus amen.

IN PSALMVM XXIV.

AD TE LEVAVI.

Titulus secundum grecos duntaxat est, Psalmus ipsi Dauid, Et secundum Hieronymum, Ps. Dauid, Latini vero, in finem, addunt, ex quorum sententia pro peccatore iam flagellis emendato, atque correcto ecclesia Deum precatur; Quare dicemus eum etiã omnibus congruere, qui dum calamitatibus, & angustijs opprimuntur, & dæmonum tentationibus cruciantur, Deum inuocant. Ac nihil vetat, quin dicamus Dauidem pro seipso ipsum conscripsisse, cum is ab inimicis admodum oppugnaretur; Nam de veteribus & recentibus delictis mentionem facit, doctrinam vtilem, atque ad sanandam ægrotantem animam valde accõmodatam tradens. Dupliciter autem quis ad orandum se præparat, vel dum mentem ad Deum erigit; oratio enim est ipsius intellectus in eum ascensus, vel dum fidem ex corde Deo habet. ait igitur.

Ad te leuaui animam meam.

IDest ad te contemplandum erexi animam meam nimirum à terrenis rebus eam auocans, in quibus nulla salus est; vel ipsam tibi dicaui.

2 Deus meus in te confido, non erubescam.

DEus meus in te non in me fiduciam meam colloco, non erubescam, ne pudorem rubor consequatur, at oro te, ac supplex obsecro, ne inhonoratus continenter degam: Ac sanè, qui omnia terrena contemnit, atque ad Deum, qui est illius possessio, animum extollit, is eum inuocare audet, ac dicere, in te confido.

Neque irrideant me inimici mei, etenim vniuersi, qui te sustinent non confundentur.

NEque risui, atque ludibrio sim hostibus meis tam ijs, qui videntur, quàm qui non cernuntur, quiq; mihi struentes insidias, ad hæc mala me adegerunt; Tollere enim ad te animam, propositi & electionis est, liberari autem, tuæ virtutis existit; nam qui te adiutorem expectant, non perturbabuntur; sed in proposito manebunt, nec à fide recedent.

Confundantur omnes inique agentes superuacue.

IDest perturbentur, qui iniusta efficiunt, vt acquirāt ea, quæ cito euanescunt, superuacue, idest stulte at-

que inaniter; non enim omnes ęque peccant, quia sunt aliqui ob calamitatem, ac necessitatem, qui labuntur; Qui vero in criminibus, & maleficijs animum oblectantes, ijs qui non meruerunt, infecti sunt, & alia quoq; perpetrare audent, confusionem in eos conuerte, vt magna vitæ perturbatio sequatur, quia in innocentes iniquitatem exercent, & contra eos sine causa pugnant, qui nullam alicui iniuriam inferunt. Aliqui hoc non optando, sed prædicendo dictum esse sentiunt.

Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.

D*Auid personam etiam ecclesiæ agens ait, demonstra vias tuas, idest nota mihi fac euangelica dogmata, ac præcepta; Sed qui vias domini nosse cupit, mitis fiat oportet: Docebit enim mites vias suas. Et hi sunt qui pugnam aßiduam iracundiæ, libidinis & affectuum in anima sedant, ac placant; Et semitas quæ latæ non sunt, scilicet consilij præcepta, nec ad interitum multitudinem ducunt; Seo angustas, & paucis notas edoce, & instrue me, vt antecedentium vestigia persequens contra errorem iter conficiam.*

Dirige me in veritate tua; & doce me, quia tu es saluator meus.

D*Irige me errores fugientem ad veritatem, ne falsis opinionibus imbutus corruam, & quoniam non est satis via ad perfectam salutem consequendam, quæ ad actiones pertinet; in dogmata recta me ducito; vt contemplationem cum actione quoque coniunctam*

ctam sequar, ex vtrisque enim salus perficitur. Et doce me. *quia per me ipsum non noui nisi mendaciũ; & instrue me virtutũ perfectionem, quia tu es Deus salutem mihi dans, qui vulnera peccatorum meorum sanasti (sic enim edoctus sum) & ab inimicis me liberasti. Duæ autem res bonos nos reddunt, vt Deum Saluatorem vere credamus, & patienter eius remunerationem expectemus, interim opera bona nauantes.*

Et te sustinui tota die.

I*Dest te adiutorem tota die, idest semper, vel tota vita mea expectaui, & nõ sum deceptus: sustinemus enim quando non deficimus, sed proficimus. quando non perturbamur, sed confirmamur, quando tentationum impetus toleramus; & aduersas tempestates experimur, sed naufragium non facimus.*

Reminiscere miserationum tuarum, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt.

R*Eminiscere operum misericordiæ tuæ, quia tanquam oblitum te homines arbitrantur, dum tardas, & filiorum tuorum: nam licet ijs subiratus sis, quia deliquerunt, iram tamen compesce obsecro; & benignitatis tuæ recordare, & quod misericordiarum, quæ tibi insitæ sunt, pater sis, à seculo enim, & semper ac natura misericors es.*

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

NEminem delictorum, quæ adhuc perpetrantur, sed præteritorum, & quæ amplius non committuntur, pœnitet, ideo ait. Delicta, quæ in adolescentia mea, & ignorans feci, vel errata præcipitis audaciæ meæ ita tibi excidant, vt ea memoriæ nunquam mandes, nec vltionem reserues. Quæ enim in iuuentute admittuntur, facilius ignoscuntur, quam quæ in senectute, quod homo ratione tunc magis præditus sit, & ideo grauius peccet; ea enim feruida oratione delentur. hæc vero requirunt vt re, ac factis eum magnopere pœniteat, atque Deum tantopere offendisse pigeat. Nonnulli iuuentutis, idest populi flagitia, quæ in Aegypto commisit, Dauidem innuere putant, si quidem ibi idolis ipse seruiuit.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam Domine.

QVæ te digna est, non secundum iram, qua ego dignus sum, mei sis memor, qui natura fragilis sum. tibi enim misereri proprium existit: nam iuxta misericordiam recordatur Deus, cum scelerum non reminiscitur, propter bonitatem tuam innatam, qua cuncta creasti, non propter meritum meum.

Dulcis

Dulcis, & rectus Dominus.

DAuid ad homines se conuertens etiam Ecclesiæ nomine ait, hac fiducia peto, quia dulcis est. quādoquidem peccantes, & impios ita miseratus est, vt priora omnia delicta ignosceret: rectus qui post misericordiam, & veniam merito in iudicio exquirat. Vel dulcis, quia bonus, & misericors, & præmia pollicetur. rectus, quia corrigit, & pœnas flagitiorum exigit, & vnicuique reddit, vt opera eorum postulant.

Propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

LEgem charitatis per quam offensiones dimittentes Deo nos reconciliemus, qui in via, idest in hac vita delinquimus, aut tanquam benignus ægrotantium magis quam valentium curam habens vias præscribet, quæ ad salutem illis conducere videantur, aut peccatores legi subijciet, & errantes in via fidei puniet in hac vita, vt lege à peccatis si coerceantur, illi salutis semitas teneant. Hieronymus legit: propterea docebit peccatores in via, idest viam peccantibus ostēdet, aut à statu peccandi ad pietatem eos traducet.

Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.

MAnsuetos, & contendere nescientes diriget in discretione recti, ne ob simplicitatem decipiantur, nec eos perturbabit in iudicio, qui eius voluntati obsequuntur; nec resistentes suam anteponunt. Sed

caussa eorum iudicata præstantiori eos beatitudine dignos reddet. Mites, vt se toto corde inuicem diligãt, sicut Christus discipulos suos, cum ait: Discite à me, quia mitis sum, & corde humilis, qui à ceruicibus leue iugum sibi impositum non repellunt. At multi inter mansuetum, & mitem nullum discrimen ponunt; non nulli tamen arbitrantur eum dici mansuetum, qui à feritate ad pietatem, atque humilitatem traductus fuerit. mitem vero qui natura talis exstiterit.

Vniuersæ vię misericordia, & Veritas requirentibus, testamentum eius, & testimonia eius.

MVltæ sunt diuinæ prouidentiæ viæ. verum illis omnibus misericordia Dei anteit, cuius comes est veritas; misericordia videlicet, qua is peccata ignoscit, & veritas, qua incorruptus est, & merita dijudicat. Quæ viæ uon considerantur nisi à quærentibus testamentum eius, idest omnem in vniuersum scripturam sacram, & testimonia eius, quæ de ipso in diuinis litteris conscripta sunt, in quorum peruestigationem incumbentibus Dominus veritatem quæsitorum aperit. Vnde duo aduentus filij Dei, vnus miserantis, iudicantis alter innuuntur. Perueniunt autem ad eum seruantes vias eius, qui nullis meritis suis se liberatos perspicientes, at misericordiam experti, superbiam penitus deponunt, atque seueritatem iudicis cauent. Intelligunt vero dominum primo aduentu misericordem, & secundo iudicem, qui mites, & mansueti testamentum eius, cum nos sanguine suo redemit, in nouam vitam

tam

tam inducens, & in prophetis, & Euangelistis testimonia inquirunt, vel vt ait Hieronymus pactum eius, et testificationes eius custodiunt.

Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo: multum est enim.

EGo, vt peccato meo propitius sis obsecro, atque iniquitati, non quod mihi pœnitenti accurate prorsus satisfecerim. sed propter nomen tuum benignum, quòd est Iesus, namq; in eo spem collocaui. multum est enim non magnitudine tantum, sed illorum multitudine, & præ illa integritate, quæ mihi adesse deberet. Vel sacrificio compuncti cordis propter nomen tuum, idest gloriam tuam propitius eris, postquam peccata condonasti, quæ antequam crederem, admisi. Sed & peccato, quod multum est, post fidem scilicet, quia in via fidei non deest offensio, non irasceris.

Quis est homo, qui timet Dominũ, legem statuit, *alias* statuet ei in via, quam elegit.

HOrtatur hic & admonet, ac timenti Deum ex animo, quisquis ille est, omnis generis operam pollicetur: & quoniam plures, ac diuersæ sunt viuendi rationes, communes scilicet, priuatæ, vrbanæ, publicæ, militares, & huiusmodi, omnes ad Deum perducentes: Et vitæ rationi, inquit Dauid, quam quisque elegerit, vt tutam, ac liber apprehenderit, edoctus flagellis ab ea non esse declinandum, vtiles, ac congruentes leges imponentur à Deo, ne impune iam peccet. Sicut

Io. Baptista interrogantibus respondit militibus, stipẽ dijs vestris contenti estote, Hieronymus legit, quis est vir timens Deum, quem docebit in via, quam elegit, id est instruet.

Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hæreditabit terram.

VT ad virtutem Iudæos alliciat, quibus erat per grata liberorum procreatio, & reliquis optatissima est, qui vitam communem amplectuntur, cum nihil dulcius hominum generi à natura datum sit, quã sui cuiq; liberi. pollicetur ijs, qui Deũ formidauerint, in bonorum affluentia versaturos esse, & qui filios habuerint, illius terræ hęredes fore, quam ipsi possederint. vel potius, quod anima à corpore soluta perpetuis bonis in tabernaculis Dei pfruitur, quę nec oculus vidit, nec auris audiuit. Et semen idest legitimi filij, ac discipuli, qui eadem morum, & spiritus ratione pręditi fuerint, cęlestis chori hęreditatem adibunt.

Firmamentum est omnibus timentibus eum, & testamentum ipsius vt manifestetur illis.

DOminus est robur, & murus metuentibus eum, & nomen eius, quod toto orbe terrarum gloriosum effectum est, firmat eum timentes, & facit, vt testamentum illis reddatur manifestum, quia Christi hęreditas gentes sunt, & termini terræ; vel testamentum

tum

tum, idest lex Domini eis declaret, quid agendum sit, sine mysteria, quę in testamento eius, idest in scriptura diuina continentur, nota efficiat, Hieronymus legit: Secretum Domini timentibus eum. *Scilicet manifestum erit.* Et pactum suum ostendet eis, *idest pactum suum docebit eos, ac promissa, & pręcepta sua vt intelligant, curabit.*

Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.

OCulos mentis in Deum semper conijcio, vt potè, qui noui eum, quem intueor, me protegentem, à laqueo seu reti pedes meos educturum esse, & ab insidijs inimicorum me liberatum, & ad terrena eos non adijcio. Qui enim omnia dicit, & agit, vt Deum cognoscat, illum is ante oculos animæ sibi ponit.

Respice in me, & miserere mei: quia vnicus, & pauper sum ego.

INtuere quæso me ait te aspicientem non propter facta mea, & misericordiam mihi tribue, quæ cum sim miser, reliqua ad salutem assequendam mihi spes est, quoniam vnicus, idest solus sum, & omni ope destitutus, & pauper nullum ab homine auxilium expectās, & cognitionis diuitijs priuatus.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſsitatibus meis erue me.

IDeſt afflictiones, & perturbatę cogitationes iniquitate affluente, & refrigeſcente charitate, factę ſunt multæ, & me circunſteterunt, & quoniam hæc tolerare mihi neceſſe eſt, vt ad finem vſque perſeuerans ſaluus ſim, de neceſſitatibus ideſt anguſtijs meis eripe me, & vitæ huius calamitates, & ærumnas tranſiens dicere valeam, tranſiuimus per ignem, & nos in refrigerationem eduxiſti, vel à circunſtantibus erue me, qui mihi vim afferunt, vt ab inſtituto meo, atque propoſito me auertant.

Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea.

CVm quiſquam delictorum ſuorum grauitatem cognoſcit, ſeque propterea demittit, & amiſſa loquendi libertate propter comparandam ſibi ſalutem pœnitens laborat, dicere valet. Vide humilitatem, & condona mihi omnia peccata mea præterita, ſcilicet à quibus poſtea abſtinui, vt non ſolum cohibere ſe à vitijs, ac flagitijs, ſed multa etiam humilitate opus ſit, & labore ad hoc obtinendum, vt peccata remittantur, nec omnis labor à delictis eximit, niſi qui propter Deũ

in agendo impenditur. Hæc duo filios nequam à via vitæ, ac disciplinæ deterret, humilitas & labor, ficut filios Dei interim exercent. Non nulli hic humili tatem pro corporis, & virium imbecillitate, vel si ad animam referatur, pro cordis compunctione exponunt, & laborem pro corporis defatigatione, vel pro illo, quem ex abstinẽtia, & terreno accubitu, cęterisq; vir tutibus tolerabat Dauid, Vel vide humilitatem, qua me nunquàm ob iactantiam iustitiæ ab vnitate segrego, et laborẽ quo mala disciplina deprauatos suffero, & ignosce mihi omnia peccata his sacrificijs placatus, nõ ea tantum, quæ iuuenis antequam crederem, sed etiam ista, quæ iam ex fide viuens propter infirmitatem com mitto.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.

VBi quis à facinoribus destiterit, quæ prius committere solebat, ei erunt inimici peccatorum au ctores Dęmones. Tunc & perditi homines insidijs ap petentes eum iniquo odio insectabuntur, quod in eos exercetur, qui odio dignum nihil efficiunt; cum alioqui iuste odio mali habentur. Ait igitur, intuere iniustas hostium non solum foris, sed etiam intus, qui multi facti sunt, inimicitias, qui cum me arguere nequeant, non enim eos iniuria affeci, dolos mihi struunt, & iniustum bellum mouent. Nonnulli quatuor versus superiores ad Christũ per Alleg. referunt, & aiunt,

quod

quod vnicus fuit sine peccato, vt ait propheta, qui peccatum non fecit, & pauper cum diues esset, vt illius inopia quemadmodum ait D. Paullus, diuites essemus, & afflictiones ab passionem multiplices fuere. De necessitatibus, vt ego homo pro hominibus moriar. ideo eripe me, vt surgam. Vide humilitatem per quam carnem suscepi, & laborem quo morti addicor, & demitte delicta mea, idest populi mei, quæ in me suscepi, respice inimicos meos iudæos, qui me inique oderunt; si enim odio me prosecuti non fuissent, non vtique morte affecissent. Et hæc hactenus.

Custodi animam meam, & erue me, non erubescam, quoniam speraui in te.

IDest vitam meam ne incidam in eos, qui me in potestate sua habere perquirunt, nec ab illis capiar, aut eis subijciar, conserua illam obsecro, & ab ipsorum laqueis eripe. Non erubescam, idest non confundam me sciens, quod qui sperant in te, spe non frustantur, & si forte hostes in me insultant, non perturbabunt, quoniam non in me, sed in te spem posui.

Innocentes, & recti adhæserũt mihi, quoniam sustinui te.

INnocentes, probi, & integri, qui à malo declinant, vel qui vitam puram à natali seruarunt, & Recti, qui opera bona nauant, non corpore tantum, sed & animo consentientes se mihi adiunxerunt, & non alia

ratione

ratione me illorum consuetudine dignum iudicarunt, quam quod constanter, & forti animo recte sentiens omnia tuli. Hieronymus, simplicitas, & æquitas seruabunt me; quæ sententia veritatem continet: Nam saluantur propter innocentiam, & iustitiam iusti, impij vero propter iniquitates suas damnantur.

Libera Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis.

Digna Rege precatio: namq; cum imperio existentem rebus subiectorum prouidere decet, ideo Dauid non pro se tantum, sed pro commissi fidei suæ vniuersi populi vtilitate precatur, vt potè qui edoctus est non se solum custodire, neque sibi ipsi studere, & supplicat inquiens, quemadmodum me cælesti auxilio, vt ex omnibus afflictionibus eriperes, dignum censuisti, ita ipsum populum Israel, sic mystice appellatum (Israel enim dicitur, qui per fidem Deum videt) ex omnibus angustijs liberare, sicuti potes, ita tibi libeat; vel populum tuum, quem ad visionem tuam præparasti, ex omnibus calamitatibus redime, non quas tantum foris, sed quas etiam domi tolerat. Quam vtilis ad Deũ placandum, ac nobis prospitium reddendum sit hic Psalmus, in quo homo fidelis, & ob fiduciam, ac spem, quam in Deo collocat, ab inimicis, & hostibus, qui cum in multas angustias conijcere conantur, diuinitus liberari petit, atque vt id impetret, flagitat sibi vias, & semitas demonstrari, quas persequatur, atque ab eo se dirigi, vt nullam salutis iacturam faciat, ex eo patet, quod ecclesia non modo pro toto fidelium cœtu,

sed

sed pro ijs etiam, qui non hæsitantes in fide ex hac vita decesserunt, & ad illas quoque partes inferas accesserunt, vbi scelera, & flagitia ad tempus expiantur, cani illum iubet. Erigamus ergo nos ad Deum animos nostros, & supplicemus illi hymnum hunc cõcinentes, vt is iter nobis notum faciat, quod capere debeamus, quo flagitiorum nostrorum obliuescatur, nostriq́; memor sit, ac propter immensam bonitatem suam ab omnibus afflictionibus, & calamitatibus nos eripiat: nos enim in eum oculos semper coniiciemus, vt potè ex eorum numero esse exoptantes, quibus valde timentibus eum normam viuendi præscribat; ac nos respiciat, atque misericordiam nobis tribuat: Præterea humiles esse conabimur, & laborabimus in eo, vt à vitijs, atque delictis abstineamus, illaq́; fugiamus, ac mites, mansuetiq́; exemplo eius simus, qui terram viuentium possidere valeamus; quod si tales nos esse studuerimus, vt innocentes etiam se nobiscum coniungere velint, non solum ab afflictionibus, & angustijs, quæ & multæ, & graues sunt, eruet nos Deus clementissimus, ac benignissimus, sed & animas nostras ad bonorum cælestium hæreditatem adeundam in regnum cęleste introducet, vt nos impetraturos esse speramus in Domino nostro Iesu Christo, qui uiuit, & regnat sempiternis sæculis. Amen.

IN

IN PSALMVM XXV.

IVDICA ME DOMINE.

Psalmus ipsi Dauid.

PSalmum hunc ante superiorem editum fuisse arbitror hac ratione motus, quod hic Dauid virtutes percurrat, quibus decoratus erat, mansuetudine præsertim, quia Saulem crudeliter eum vexantem, et innumerabilia in se machinantem mansuete, ac patienter sustinuit, supra petat, vt Deus suo peccato graui propitius sit: Illum autem conscripsit Dauid, cum Saul ipsum insectaretur, et pulsus commoraretur apud Palæstinos, atque diuersaretur, quos cum impietati, et superstitioni addictos cerneret, cætus illorum, et epulas quas Dæmonibus consecrabant, execrabatur. Canere etiam illum potest quilibet fidelis, qui cum Dauide vere dicere queat, se omnia æquo animo tulisse, et cum is iniuria affectus fuisset, neminem ex illis, qui sibi infesti erant, vnquam læsisse.

Iudica me Domine.

HOc perfecto, et iusto uero tribuitur, qui se cum iniquis non communicare ait, et ab eis discerni petit. Et secundum aliquos vox ecclesiæ ad Christum esse potest. Iudica, idest discerne me à malis, qui simul mecum sunt Domine, et hoc optat Dauid, vt caussæ iudex

dex Dominus ſit, cum nihil is contra Saulem, ac ſuos molitus ſit.

Quoniam innocentia mea ingreſſus ſum.

QVia poſt miſericordiam, qua me fouiſti, innocentia præditus ſum, qualis eſt hominum, non Angelorum, cuius viam cuſtodiui ſicut et meorum; et in qua ambulaui: Manſuetudinem autem, et humilitatem, ac tolerantiam innocentię nomine appellauit. Verum notandum eſt neminem, qui peccat, iudicari de his, quæ geſſit deſiderare, præſertim ab eo, qui occulta videt; Qui vero in innocentiam ingreſſus eſt, id eſt in ea profecit, Deum iudicem optare: nouit enim ille mercedem ſe percepturum eſſe.

Et in Domino ſperans non infirmabor.

QVia de ſe ipſo, et innocentia ſua, ſiue egregia ſimplicitate, vt legit Hieronymus gloriari videbatur Dauid, addit et in Domino ſperans: aliter enim ſi opem in Domino non poneret, inter malos titubaret. Ideo ait, nec tamen mihi ipſi, aut alteri confidens, ſed Deo inter peccatores ſpe corroboratus non infirmabor, ideſt non deficiam, vt ait Hieronymus.

Proba me, & tenta me.

NOn arroganter, nec ſuperbe ſe effert hoc proferens, ſed hortatur, vt de illa virtute periculum fiat, in qua ipſe ſupra laudabiliter ſe vixiſſe oſtendit,

dum

dum non sibi consideret, sed Dei misericordia fretus esset. Ac patet Psalmum hunc superiore priorem esse: nam hic tamquam simplex, et innocens, ac peccati immunis periculosa certamina offerri sibi cupit. Proba, quoniam non qui se ipsum commendat, sed quem Dominus commendat, ille probatus est. Proba inquit idest mentis meæ interiora perquire, et me tibi soli confidere inuenies. Et tenta me, vt cum tolerantiæ specimen dedero, laudem ex eo reportem, ac mihi, et alijs probatus appaream.

Vre renes meos, & cor meum.

IDest examina intimas animi mei cogitationes, et perscrutare, num ita me habeo, vel Renes meos, igne verbi tui, ne quid me delectet, et cor meum spiritus tui calore, ne quid mali cogitem, vt renes pro delectationibus, cor pro cogitationibus acceperit. Tentatio autem, et probatio differunt: quia probatio est eius, quod scit virtutis declaratio; Tentatio vero est experimenti acceptio de eo, quod quis nescit.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est.

QVa confido: ea enim vltra uires me tentari non sinet; quod te semper tuamq; misericordiam ante oculos habens omnem vitam meam, & vniuersas actiones ita moderabar, vt tibi placere possem.

Et complacui in veritate tua.

DEus veritas est, in veritate autem Dauid placuit, ergo Deo; propterea dicit in veritate tua

placere ſtudui, ideſt tibi: nam per circunſcriptionem Deum appellauit Dei veritatem, ſi quidem miſericordia Dei ſecundum veritatem, & non ſecundum fucum vt Deo placeamus, efficit. Eſt etiam Eccleſiæ vox veritatem contemplantis, atque ſpeculantis. Et complacui, *ideſt propter ſermones tuos, qui fallere nequeunt, quæ tibi placuerunt, feci: in lege enim tua pollicitus es eorum te miſerturum eſſe, qui tibi grati eſſent; vel ſi tibi intus placui, vbi tu vides, non timeo, ſi vbi homines cernunt, diſpliceam. Hieronymus legit: Ambulabo in veritate; alij ambulaui.*

Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.

NVnc virtutes ſuas commemorat. Conuenticula eorum, & noxias conſuetudines fugi, & in idolorum celebritatibus nunquam. Cum impijs communicaui, nec conſenſi, ſi forte intraui; apud iniquos.n. diuerſari Dauid cogebatur. Sed in illa conſuetudine, quæ cum ipſis interceſſit inuito mihi, pietas, & humilitas affuit. Per concilium vanitatis iniqua agentes, & peccatores intellexit, quorum iniquitatis particeps non ero, inquit, nec commercium cum eis habebo, ne illorum vanitate implicer Hieronymus legit, & cum ſuperbis non ingrediar, alij cum occultis, qui habent aliud in ore, aliud in corde, vel qui ſe occultant, vt alij noceant.

Odiui

Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs sedebo.

QVi proximo malum inferunt, atque arrident sibi in doctrinis falsis, atque peruersis, eos odio habui, atque cum impijs, qui Deum non cognoscentes in idolorum cultu, & errore continenter assidueq; versantur, ne simul quidem sedere, vel modicum commorari mihi placebit, ne aliquam impietatis partem attingam.

Lauabo inter innocentes manus meas.

DAuid tanquam innocens, & nihil commune cũ illis habens, sed confidens ait, lauabo, manus enim animæ facultates, quas ille lauat, qui non perperam, sed quod iustum est, & æquum agit. Vel lauat, id est manus abstergit, qui turpibus, ac nefarijs actionibus illas fœdauerit. Vel munda inter innocentes faciam opera mea; & manus quibus sublimia amplexabor.

Et circundabo altare tuum Domine.

EGo qui sum innocens, & prædictorum scelerum immunis altare tuum circũstabo, et hymnos pro sacrificio fundam, & vota offeram. Est & altare cæleste, quo ingressus est sacerdos, qui primus se obtulit, quod non circundatur nisi ab ijs, qui inter innocentes

manus lauant. Vt audiam vocem laudis,& enarrem vniuerſa mirabilia tua, *ideſt diſcam quomodo te laudem, vel ſpiritus ſancti vocem audiam, qui me laudare te doceat, & de ipſo bono meo mihi non arrogem; & exponam non mea, ſed tua, quæ admirabilia facis.*

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

D*Ecorem vocat ordinem illum tabernaculi à Moyſe conſtructi admirabilem, nondum enim ſacrū templum ædificatum fuerat, habitaculum legit Hieronymus, vt intelligat in quo, vt in domo habitas, ergo decorem domus tuę dilexi, neque mundum, neque quicquam in Mundo, ſed te ſolum amaui, vel Allegorice animam meam affectibus haud contaminatam ſeruaui, vt eſſet tibi commoratio digna, in qua domicilium collocans gloria me glorioſum reddas: Domus enim Domini eccleſia eſt, ſacerdotes in cultu Dei perſeuerantes, & in Domino gloriantes ſunt habitatio gloriæ tuæ Domine Deus.*

Ne perdas cū impijs animam meā, & cum viris ſanguinum vitam meam.

T*Anquam iuſtus cum impijs etiam perdi queat, ait, ne des mihi cum impijs alienigenis partem, cum quibus verſatus ſum, vt cum eis perdar. ſi hic affligor,*

fligor, & terrena mala cum sceleratis patior, ne cum eis animam meam deperdas, quæ decorem adamauit, neque sicarijs, qui proximum quocunq; modo offendũt & carni penitus dediti sunt, vitam prodas.

In quorũ manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.

QVibus in promptu, & in manibus est iniquitas, quòd illi ad nocendum prompti, ac parati sint, quorumq; opera iniqua sunt; ac munerum corruptione, atque dulcedine deprauati, quod iustum est peruertunt, & iustitiam donis produnt.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me, & miserere mei.

NOn ego sic ago; nam oblitus iniuriarum, & clemens in eos, qui contra me insidias struxerunt, innocentiæ, & simplicitatis diuitias appetiui; & licet egregiorum facinorum mihi sim conscius, non tamen iustus effectus sum, sed cum in occulto delicta sæpe lateant, redime me, idest eripe ab iniusto exilio, & misericordia tua in vitæ huius periculis me deserere noli.

Pes meus stetit in directo.

IDest dilectio mea non recessit à Iustitia tua; vel affectio mea contra omnia scandala immobilis stetit in directo, aut in recto, vt legit Hieronymus, idest in re-

cta via, & nulla vitæ meæ instituta prorsus obliqua fuerunt.

In Ecclesijs benedicam te Domine.

Pollicetur in omnibus ecclesijs totius orbis Psalmorum cantu se dominum laudaturum, vt potè qui conuersionem totius orbis prouideret, & sic illius vacicinium finem consecutum est, si quidem terra mariq; magnus Dauid Deum beneficij auctorem decantat. Nos autem qui tantis sceleribus, ac flagitijs, peccatorumq; sordibus inquinati sumus, audebimus ne dicere: iudica, & ure? quis enim nostrum adeo amens est, vt se huic periculo committere velit? hoc enim viri perfecti, & iusti, qualis tunc erat Dauid, existit, qui nullius sibi criminis conscius est, & cum iniquis non communicauit, se inter innocentes manus lauit, & muneribus corruptus non est; at nostrum vnumquemq; delictorũ suorum valde pænitere primum oportet; Deinde ad misericordiam Dei confugere, eumq; & oratione, & ieiunitate placare, promissa facientes, quod posthæc ipso adiutore à vitijs abstinebimus, & enitemur ea præstare, quæ ad ignoscendum nobis eum alliciunt, et quòd in posterum odio malitiosos habebimus, impiorum consortium fugiemus, & talia conuersi in eum animi nostri indicia ostendemus, vt ei placere nos valde cupere, perspiciat Dominus Deus; Nam si à via praua declinauerimus, & innocentiæ semitam persequamur, nemo nostrum ambigat, quin misericordiam à Deo consecuturus sit, qui benignus est & clemens;

mens; atque totam spem suam in eo ponens, qua non decidet sibi bonorum cælestium prĕmia tributum iri cō fidat à Domino nostro Iesu Christo, qui viuit, & regnat ĕternis sæculis. Amen.

IN PSALMVM XXXI.

Beati quorum, &c.

INscriptio Psalmi huius est secundum aliquorum opinionem: Intellectus Dauid, vel ipsi Dauid intelligentia, secundum alios Dauid eruditio, aut quia is intelligentia multum abundabat, quando Psalmum composuit, aut quia ob grauissimas illius sententias, lectori magna est opus scientia, quem pœnitentem se peccatorem intelligere, & nosse decet: vel quòd is eruditur, ne meritis suis, sed diuina gratia confitens peccata sua se liberari putet: Qui enim de iustitia sua sibi arrogauerit, & infirmitatem suam perpendens, & misericordiæ Dei confidens, crimina diluere neglexerit, è Dei ipsius gratia, atque iustitia excidere certò sciat. Hunc autem Psalmum post adulterium ac cædem scripsit, quem D. Paullus ad Roma. iustitiam, quæ ex fide est, aduersus eos, qui de operibus gloriantur, commendare volens, & ostendere nos fide, quæ salutis humanæ initium est, ac fundamentum, & radix, non legis operibus iustos fieri, testem producit; nec D. Iacobo aduersatur; is enim contra eos, qui sibi de sola fide arrogantes opera bona nauare nolebant, egregia Abraæ facta

laudauit, cuius fidem Paullus. At opera nulla præponere fidei debemus, nec arbitrari quēquam ante fidē boni quid effecisse, quòd opera illa, quamuis laudabilia videantur, inania tamen sunt. Ergo si Abraam fide iustus factus est cum opera non præierint, secuta tamen statim sunt, quòd eius fides sine dilectione non existeret, vt ex obedientia, & promptissima ipsius ad immolandum filium voluntate apparuit. Atque in priori Psalmo Dauidem de corde compuncto egisse, hic verò de confessione tractare sciendum est, vbi non suam tantùm, sed cuiuscunq; peccatoris personā agens, inquit.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

BEatos illos esse ait, nunc quidem certa spe, postea re ipsa, quibus absque labore contigit propria peccata abluere, nimirum illos significans, qui sacro baptismate hoc fuerint remissionis donum consecuti: per illud enim iniquitates remittuntur, cùm per amaram peccata pœnitentiam occultentur. Verùm nonnulli quidem iniquitates, gracè, ἀνομίας ad gentes referūt, quæ lege carebant; ad Iudæos autem peccata, quia peccatum est legis contemptio. Alij verò iniquitates, peccati fomitem intelligunt, quòd ante baptisma, & ablutionem culpa, & pœna est, originalis scilicet, post ablutionem pœna non culpa existit. Tecta dixit, quia per plenam remissionem ita operta sunt, vt ea amplius non aspiciat Deus; vel sic per confessionem, & pœnitētiam velata, vt in iudicio appàritura non sint. peccata enim tegimus, si caritate, ac præclaris factis prauas

actiones nostras obruimus. Animaduertere autem licet in peccato tria inesse, Dei offensam, maculam, & pœnam; & contra hæc etiam tria ordinari, quòd benignus Deus offensionem condonat, maculam operit, & pœnæ obligationem tollit, quia hoc ei non attribuitur peccatum; Et ideò sequitur.

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.

CVi ea ratione peccatum non ascripsit, quòd iam illud per ablutionem penitus deletum sit; pro culpa enim secundum nonnullos peccatum sumpsit, sed de pœnæ obligatione propriè intelligitur, quia pro peccato pœna ei non reseruatur.

Nec est in spiritu eius dolus.

NEc est in animo eius mendacium, pro quo dolus hoc loco exponitur, quòd ille post sacram ablutionem mentitus non sit, & pactionem, quam cum Deo fecit mandatis eius parendi, seruauerit, vel [vt legunt Græci, & D. Augustinus] non est in ore eius dolus; licèt idem sensus sit, iustitiæ videlicet ostentatio, & meritorum iactatio, sicut nec in Nathanaelis ore, qui se peccatorem ita confitebatur, vt audire meruerit Christum dicentem, ecce verè Israelita, in quo dolus non est, nec in Publicani spiritu, qui longè stabat, qui se accusabat, nec oculos in cælum tollebat. Qui verò peccata sua confiteri nolunt, & in eorum defensione laborant, iactantes aliqua ipsorum opera bona, hi Pharisæo similes existunt, qui se extollebat, ac de bonis ipsis

glorians, ceteros ſpernebat. Nos autem Nathanaelem, & Publicanum imitari ſtudeamus, & Domino noſtro Ieſu Chriſto animum noſtrum prorſus aperiamus, & ipſe omnia nobis deli͏cta, ac ſcelera condonabit.

Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.

C*Vm graue illud ſcelus feciſſet Dauid, non ſtatim ad pœnitentiæ remedium confugit, ideò ſecum de hoc expoſtulat, quòd accepto vulnere continuò Med. eũ non accerſierit, & ait, cum facinus ab initio manifeſtũ non reddiderim, & confeſſionem tacuerim, præ clamore, & luctu debilitata eſt virtus mea. Verùm is contraria dicere videtur; At ſiluit id, quod ſibi prodeſſe putabat, culpam ſcilicet, clamauit de pœna, & ſe iuſtũ eſſe, quod non oportuit, Et ideò illi contigit, vt oſſa eius inueterauerint, id eſt, interior fortitudo defecerit eius, qui fatendo, nouitatem amare noluit, dum tota die clamaret, aſſiduè videlicet in peccatorum ſuorum defenſione perſeuerans, ſed reſipiſcere cœpit, poſtquam à Nathan admonitus, atque reprehenſus fuit, tunc namq; peccati veniam, & impunitatem petijt, & in accuſando illud conſenuit.*

Quoniam die, ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, cõuerſus ſum in ærũna mea, dũ cõfigitur ſpina.

Q*Via ſcelus meum tacueram Domine, quid feciſti? manum tuam, id eſt, potentiam in me die, ac nocte*

nocte exercuisti, assiduè videlicet, meq; castigans acriter puniuisti, qui me ita erigebam, vt humilitatis essem oblitus. Itaque in miseriam, & ærumnam couuersus sum, incidiq; ; & qui gloriabar, tanquam omnium ditissimus, ad me rediens infelicem me agnoui, dum spina, id est, peccatum, quod quasi morsu quodam consciẽtiam meam pungit, vt stimulus quidam, in corde meo extra penetrando figitur; Et nempe magnum est misericordiæ, quam nobis impertit Deus, argumentum, dũ nos in hoc sæculo peccatores affligit; ostendit enim si nosmetipsos ipsi nouerimus, se nolle vt æterno tempore pereamus.

Delictum meum cognitum tibi feci.

AC ne murmurare videatur, mutat sermonem, & quomodo misericordiam Dei assecutus sit, deinceps declarat, inquiens, cum Nathan crimen meum aliam personam agens confinxisset, ac me illum esse addidisset, de quo ei sermo erat, patefeci continuò scelus meum, nec inficiatus sum: Quando enim homo peccatum recognoscit, vult certè illud à Deo cognosci, vt libenter is ignoscat.

Et iniustitiam meam non abscondi.

OPerire nolui, qui enim peccata tegunt, nudare posteà coguntur; At è contra Dauid ea nudauit, vt ipse operiretur: Et quamuis hæc particulatim ad Dauidem pertineant; ad cunctos tamen nos generatim spectat Deo cognita facere delicta nostra, quo ad ignoscendum nobis eum prouocemus.

Dixi,

Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.

IN animo proposui confiteri, promittit ergo se hoc facturum, & iam Deus ei peccatum condonauit; ostendit autem animo pronunciasse, non verbo, & aduersum se, non contra Deum, cùm alij eum redarguāt, alij fato, aut stellis ascribant.

Et tu remisisti impietatem peccati mei.

NOn me iuxta criminis grauitatem supplicio affecisti: sed moderatè me corripuisti: Alij legunt, impietatem cordis, quia nullas de adulterio, & homicidio leges formidauerat. Nonnulli dubitant, si condonatum est ei peccatum, cur Dominus illum afflixit? & respondetur, postquàm Dauid à Nathan rem resciuit, se ipsum iudicasse reum; ideò ob humilem mentis confessionem morte, seu damnatione à Deo liberatum fuisse; pœnas tamen acceptis calamitatibus sustinuisse, ne tanti beneficij immemor esset. At si est tanta confessionis efficacitas coram Deo, vt si re ipsa statim non confiteatur, inducat tamen in animum id facere, veniam ante consequatur, quid prodest postea confessio? An remissionem peccati non meretur in conspectu Dei confessio, nisi nota ei existat confitendi sacerdoti firma illius voluntas? In qua peccatorum confessione, & virtute clauium absolutione, quia de pœna detrahitur, & gratia confer-

confertur, idcirco in proposito perseuerare necesse est, vt tandem effectus hic confitendi consequatur, cùm adest facultas.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.

P*Ro hac impietate, vel remissione, vel potius pro hac remissa impietate, vbi cunctis constabit, statim vt confessus sum, Deum mihi pepercisse, pij omnes in tempore opportuno, pœnitentiæ scilicet, orabunt, meq́; imitabuntur, vt & ipsi veniam assequantur. Hæc enim vita præsens opportunum est tempus, in quo omnis sanctus oret; quòd nemo, dum in hoc mundo vitam degit, à peccato immunis existat, quamuis excellat sanctitate. Nam quandoque in leuibus, & quotidianis peccatis labitur, non desinit tamen esse iustus: Vel in tempore opportuno, cùm Euangelium Christi publicabitur; vnde quia delictorum veniam dedisti, te orabit sanctus, cum Dauidis Psalmos cecinerit, tibiq́; maximas aget gratias, habebitq́;.*

Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

A*Ttamen dum aquæ multæ, idest, tentationes, & calamitates mundum affligent, & obruent, ad illum sanctum, cui hac ratione, quòd se peccatorem pronunciauerit, peccata ignouit benigniss. Deus, non appropinquabunt, nec ipsum lædent, aut omnino attingent, sicut nec ipsum Noe læserunt. Vel in baptismate,*

cuius aquas habita potentiæ spiritus sancti ratione potius quàm vndarum quantitate multas appellat, delicta ad illum bonum virum illic nimirum obruta, atque expiata non appropinquabunt: Nonnulli personam mutant; interpretantur enim, qui in aquis multis, id est, in varijs doctrinis natant, se aduersus Deum extollentes, cum vna tantum sit Dei, siue sacræ ablutionis, siue doctrinę salutaris aqua, quæ Domino confiteri docet, & aduersum se iniustitiam pronunciare, atque humilitatem amare imprimis, nec sibi arrogare, tales non appropinquabunt ad Deum. In libris enim alienigenarum, siue Platonis, siue Aristotelis, & similium, licet optima morum, ac disciplinarum præcepta inueniantur; humilitas tamen non reperitur, quæ aliunde, quàm à Domino Iesu Christo non manat, qui cum altissimus esset, humilis tamen ad nos venire voluit. In hac verò qui versantur, facilè ad Dominum Iesum Christum non accedunt solum, sed cum eo etiam coniunguntur.

Tu es refugium meum à tribulatione, quę circundedit me: exultio mea erue me à circundantibus me.

AB hac afflictione, qua circundor, & opprimor, vt me tuearis, quod non pateat, ab aliqua parte auxilium, ad te confugio Deus meus [vt Ecclesiæ etiã vox sit) tanquam ad summum bonum meum, Exultatio, & perfugium meum eripe me ab insidijs inimicorum,

rum, qui me circundant, siue ij videantur, siue non: Ego enim gaudeo spe me sustentans, reipsa adhuc gemo.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris.

D*Auidi respondet Dominus: Ego te adeò prudentem reddam dono intellectus ornans, vt ab inimicis tuis victoriam reportes, ac simul in itinere tecum gradiar, quo ad bellum proficisci cogitas; vnde pollicetur se illi ducem in via recta futurum esse; Et sermo Christi etiam est ad sponsam suam Ecclesiam inquientis: Intellectum tibi tribuam, vt te semper agnoscas, & post confessionem tuam in via mandatorum te erudiam, vt ab ea non recedas, nec aberres; immo gaudeas in spe existens fore, vt tandem ad illam patriam peruenias, vbi non spei, sed rei locus erit, ac diuinæ contemplationi.*

Firmabo super te oculos meos.

N*Ec simpliciter te aspiciam, sed assiduè obseruabo, eorum instar, qui alicuius in bello curam gerunt, suscipiuntq;, & eum oculis continenter intuentur, vt in periculo versanti ipsi præsto sint, atque subueniãt; nec vnquam oculos à te deijciam, quòd in me tuos conijcias.*

Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.

D*Einde ad defendentes scelera sua se conuertit, & eos admonet exemplo suo inquiens: Nolite mulierum*

lierum amore ardere, furereq́; ſicut equi ſine fræno, & muli minime fructuoſi, ignorantes quid bonum, ac malum, quid honeſtum, ac turpe ſit, quoniam ratione, vt vos, donati non ſunt; Vel non ſitis ſicut equi, qui inter ſeſſores non diſcernunt, an Chriſtus, an Dæmon exiſtat; nec ſicut mulus, qui quodlibet onus, peccatum ſcilicet, ſine diſcrimine portat. Equus quidem ſuperbum animal eſt, cui ſimiles ſunt ij, qui ſe extollunt. Mulus autem pigrum, cuius perſonam gerunt illi, qui ad cognoſcendam veritatem tardi accedunt, nec bouem illũ imitantur, qui poſſeſſorem ſuum; nec aſinum, qui prę ſepe domini ſui agnouit. Peccantes igitur ne ſe efferant, hortatur, & ne belluarum mores factis exprimant.

In chamo, & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.

IN translatione pergit etiam Dauid, & ait, quæſo, vt angas, præmasq́; eorum maxillas, qui ad te per virtutum ſemitam non veniunt, quiq́; merita ſua iactant, ac peccata ſilent, & loquacitatem eorum deprimendo, & cibos eis ſubtrahendo; vtrique enim locutioni ſcilicet, ac guſtui, maxilla ſeruit; nam ſi parcum eis victum prębueris, neceſſitate coacti ad te redibunt. Chamus autem, & frænum idem ſignificant, & ſecundum Græcorum notationem alterum dicitur, quòd ceruicem flectat, alterum, quòd in os mittatur. Talibus igitur Dauid malè ominatur, quòd eos minimè dignos*

excu

excuſatione cenſeat, qui exemplum illius ante oculos ſibi proponere potuerunt.

Multa flagella peccatoris, ſperantem autem in domino miſericordia circundabit.

NOn mirum ſi adhibito fræno flagella ſequantur; multa enim caſtigationum genera peccatoribus meo exemplo imminent; quòd ſi quis poſt flagella totã ſuam ſpem in Deo collocauerit, ac ſe ad eum tota mente conuerterit, an ille ambigere poterit, ne miſericordiam impetret, atque cuſtodiatur diuina gratia, & protegatur?

Lętamini in Domino, & exultate iuſti.

SVpra infirmiores, nunc fortiores admonet, quos iuſtos vocat, quia iuſtè viuant, lætamini, ait, non in vobis; non enim meritis veſtris, nec rectè factis, & virtutibus veſtris, ſed gratia Dei iuſti, quia vos iuſtos effecit ipſe; verùm in domino, & exultate, quod amplius eſt, ex eoq; magnam voluptatem capite: Nam ego virtuti, conſtantięq; meæ confidens lapſus ſum.

Et gloriamini omnes recti corde.

REcti corde, qui Deo non reſiſtitis, quiq; omnia Dei iudicia maximè probatis, nec cur hunc flagellis verberet, illi parcat Deus, quæritis, ſicut praui, & impij faciunt, qui Deum negant; aut vocant iniuſtum; atque vos peccatorum veſtrorum ipſos accuſatis, &

gaudetis,

gaudetis, iure in Domino gloriamini, vt hic etiam Psalmus in lætitia compleatur. Restat, vt eundem Dominum nostrum Iesum Christum supplices precemur, vt quoniam delicta nostra confiteri statuimus, aut iam confessi sumus, ijs tectis ob veniam ab eo nobis datam, & nos ille diuina sua benignitate adiutos ad cœlestem patriam peruenire, & exultationis sanctorum participes esse velit; Quod, qui me audient, & consilio meo parebunt, ex animo, & ardenti studio præstare conabuntur.

IN PSALMVM XXXVII.

Domine ne in furore, &c. 2.

Titulus Psalmi huius secūdum Græcos, & Hebr. nec non secundum Hieronymum huiusmodi est: Psalmus ipsi Dauid in commemoratione. In quo ipse Dauid cum de peccatis, & facinoribus suis, tum de vulneribus ad expiandum peccatum sibi inflictis mentionem facit; nam multas ille calamitates accepit, à quibus se liberari petit: Eo autem tempore Psalmum hunc composuit, quo persequebatur eum Absalon, cum scelera à se commissa, & afflictationes memoria repeteret. Secundum Latinos hæc est inscriptio: Psalmus ipsi Dauid in commemoratione Sabbati: orat enim ille in eo pro requiete, & illius cum gemitu recordatur, in quo versans, & inde lugens [vt felix sit, qui sic miser est, infelix verè futurus, si non lugeret] Sabbati

bati æterni memoriam tenet, quo priuari formidat delictorum conscius, frui autem desiderat grauiter afflictus. In quemlibet propriâ ictum conscientia Psalmus hic quadrat, qui lacrymas profundat, & misericordiam petat. Porrò mihi videtur Dauid, cũ vario modo, ac multis in locis de flagitijs admissis confessus fuerit; quæ frequens criminum confessio accuratam ipsius pœnitentiam prædicat, præcipuè tamen hunc sibi Psalmum ad habendam eorum recordationẽ secreuisse, quem semper in ore habeat, quoq; tanquã cantu animæ suæ medicinam faciente assiduè vtatur: In eo enim se, & quemlibet pœnitentem multifariam cruciatum, ac misericordiam flagitantem introducit, inquiens.

Domine ne in furore tuo argus me, neque in ira tua corripias me.

D*Omine ne me cum animi excandescentia coarguas; in furore .n. Deus arguit, quando non cõdonat, quòd furiosus minimè parcat, nec in eorum numerum ascribar, quibus dices: Ite maledicti; neque in ira tua me graui pœna emendes, aut in eorum numero esse velis, qui per ignem emendati salui erunt; at hic emendator existe.*

Quoniã sagittę tuę infixę sunt mihi.

S*Agittas, supplicia dicit, & dolores, quia a calamitatibus proficiscuntur, & sagittarum instar animũ pungunt, & in eum penetrant; quique meritò sagittæ Dei: atque vindictæ, quòd illius permissu*

Y nobis

nobis infiguntur, appellari queunt; aut sagittas amatorios affectus significat, qui eum in apetitum Betsabeæ inflammarunt; vel iuxta tralationem, sagittas intelligit verba Dei, de quibus eum admonuit Nathan: ea enim ita in animo eius inhæserunt, vt ipse sabbati, & requietis in memoriam gemens rediret; aut leges aduersus adulteros, & homicidas innuit, quæ in illius mente ita insederunt, vt eum assiduè stimularent, ac molestia afficerent.

Et confirmasti super me manum tuam.

GRauem scilicet fecisti in me manus tuæ ictum, dũ assiduis me flagellis cædis, quæ ferre nequeã: manus enim potestatem castigandi hoc loco significat, quæ domum Dauidis à fundamentis, concussit.

Non est sanitas in carne mea à faciẽ iræ tuæ.

NOn est liberatio ab illo malo, quod mihi intuli, propter iram tuam, ac minas, quas mihi nomine tuo nunciauit Nathan; vel propter irã, quã mihi legibus tuis minaris; vel à facie iræ .i. indignationis tuæ cõsideratione, quia p verba tua animaduertitur iudicij ira futuri; idcirco caro mea putida fit: Ego tamẽ anteuertens nõ expectaui, ut plagã vehementiorẽ, insanabilemq; corpori meo imponas sed de carne mea suppliciũ sumpsi omni cruciatus genere illam affligẽs.

Non

Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

QVoniam agitor intus, non est, inquit, in ossibus constantia, quòd ob delicta mea contremiscāt illa, adeò concussa sunt; vnde interiorem miseriam, id est, peccatum declarat, propter quod afflictionem patitur: Per faciem enim peccatorum in mentem venire, & recognosci ea solent, quæ commissa sunt; cum autem ante oculos posuerimus illa, & agnoscentes erubescimus, factiq; nos pœnitet, tunc conturbati, & exterriti à facie peccatorum meritò in ossibus nos pacem non habere dicimus, quia patefactis illis restat adhuc timor, ne adsint, & eorum facies in futurum etiam appareat. Vel non est pax ossibus, id est, spiritui meo, quia præ multitudine scelerum, & grauitate mentis compos esse non possum, sicut nec rationi pax est, quam caro inpugnat.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.

ET quoniam pax non est, auctæ sunt nimirum, & adeo in altum sublatæ sunt iniquitates, vt super caput ascenderint præcipuam, & ductricem animę facultatem. Magnitudinem quippe illarum his verbis significat, quæ proferūt ij, qui propria peccata sentiunt; nam quos delicta sua non premunt, nec propterea piget, huiusmodi ex eorū ore verba non exeūt; vnde mala nō occultāda esse, & peccata supprimēda,

nec conſcientiæ nigrorem, ac maculam inurendã eſſe docet hic ſermo. Per iniquitates multitudo etiam peccatorum declaratur, quia ſicut aqua hominem obruit, nec aliter tamen, quàm illa tantum creſcat, vt caput ſuperet, ita ſcelera, et flagitia eundẽ mergũt, ſi lõgius ſerpant, & excedãt extra. Verùm nos oẽs peccatores notare debemus hominẽ tripliciter in peccato ſe habere, quandoq; in appetitu tantum eſſe, et mentem ita conſiſtere, vt peccatum non attingat caput, quandoq; ex affectione conſentire, ac licet illud ad caput perueniat, non tamen ſupra aſcẽdat; quandoq; eum lætari cùm malefecerit, atque in rebus peſſimis ſic exultare, vt iniquitates caput ſuperent, tunc hominem ita deprimi, vt is à Deo longiſſimè abſit.

Et ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.

MOerentis, & dolentis eſt dicere, graues, & moleſtæ mihi erant, nec illarum memoriam tolerare queo, quòd inſtar oneris me inflectant; ſolẽt enim mœſti in terram proni aſpicere, quemadmodũ qui pondus ferunt; pręmebant enim eius conſcientiam illa, quæ patrare auſus fuerat, vt ab eo ob animi candorẽ ſuſtineri non poſſent. Qui autem in peccatis proprijs gloriantur, quòd libenter ea ferant, grauia illis non videntur.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.

Cicatrices, inquit, meæ, quæ ex vulneribus reliquæ erant, non in superficie tantùm, sed intus putruerunt; quibus verbis magnam animi offensionem indicat: Hoc autem ob insipientiam contigit: nō enim hoc ascribo Deo, quia si sapientiam non amisissem, hoc pacto vulneratus non fuissem: insipientia namq; omne peccatum committitur; prudentia enim cùm virtus sit, quæcunque ex ea proficscuntur, laude digna sunt. Cicatrix verò vulnus ante fuisse ostendit: Quando ergò quis peccauit, & ei peccatum cōdonatum est, pronus tamen existit, cicatrix tantùm est; at cùm dilectum à pœnitentia non curatur, ipsa refricatur, & interius putrida fit, peccati enim sequitur delectatio; subsequitur postea corruptio, cum iam re ipsa scelus editur, vel ita exhalat, vt ad alios infamia perueniat. Nos igitur peccatores, qui quotidie labimur, attentè consideremus, quomodo Rex tantus augeat scelera sua, & magno cum ardore animi illa fateatur. Ac profectò pœnitentiæ argumentum vel maximum est, cùm quis peccatum putrescere sentit; quia tunc ab eo vehementer abhorret, & illud perinde ac immanem, ac perniciosam bestiam, pestemq; fugit. Itaq; nos quoq; in fætore nostro iacere nolimus, atq; imitationem exempli Regis maximi nostram omnibus prodamus.

Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem.

Miser ex hoc, quòd auersus est à me propter peccata Dominus Deus; Et secundum Diuum Hieronymum afflictus sum, & incuruatus ob ea, quæ commemoraui; vel, dum corpus meum grauiter affectum sanare cupio, vsq; in finem, id est, prorsus, vel nimis, aut vsq; in mortẽ debilitatus sum. Vnde incuruatus? ab elatione; elatus.n.eram: qui autẽ fuerit humilis, erigetur. At ille verè incuruatus est, qui erigere se non potest; ac tales sunt, qui animum suũ penitus in terra figunt, terrenaq; tantũ meditantur.

Tota die contristatus ingrediebar.

Atque tota die, id est, sine intermissione ac semper, quamuis Rex essem, in tristitia versans ambulabam, velut qui à conscientia teste pungebar, & nulla perfundi lætitia poteram.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus.

Tristitiæ caussa hæc est, quòd Dæmon carnis delectatione, vt instrumento vtens me admodũ illusit, iniquos, turpesq; libidinis appetitus mihi excitans, irritásq;: non enim appetitus est voluptas, sed voluptatis vmbra. Quò fit, vt lumbi mei, vel latera mea aut illa sic repleta sint ignominia, vt ignominiosi recordatio facti sequatur: nec non illusionibus,

que

quę importuno tempore ita se intrudūt in orationibus, vix vt aliquando orare permittar.

Et non est sanitas in carne mea.

T*Vnc me illuso nulla carni meæ requies est, nulla sanatio; eam enim castigo, vt dictum est, & de illa ob illicitam voluptatem supplicium sumo: vel non est sanitas, quia nulla pars corporis non tentata vacat, quam peccati desiderium non titillet.*

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis.

M*Agnitudinem tristitiæ ostendit inquiens. Afflictus fame, siti, ac vigilijs, & humi iacendo humilis factus sum, ac demissus; vel affligens conscientiam meam hoc effeci, vt cor gemitus ederet propter magni boni amissionem, & optimi status mutationem; quod quantis peccatis meis, vitijsq; venerit, sine molestia cogitare non possum, præsertim cùm magnum infelicitatis genus sit, felicem fuisse.*

Rugiebam à gemitu cordis mei.

S*Icut Leo frendebam, tanta erat cordis acerbitas, qua cruciabar; & fletus vehementia; amarè .n. admodum flebam; dicit autem (*cordis*) quia si quādo homines gemitū auscultant, carnis plerunque, non cordis audiunt; occultus enim gemitus à Deo nō ab homine auditur. His profectò verbis rectam erga Deū voluntatē, animumq; præse fert: Nam peccator in profundo existens contemnere solet; iustus autē minima quæq; peccata metuit.*

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Domine nihil desidero, nisi esse ante te, non ante homines, qui cor intueri nequeunt; nosti enim, quòd salutem, atque à præsentibus angustijs atq; doloribus liberationem impetrare concupisco, & gemitum meum velut vocem de profundo editam auribus percipis, qui satis esse potest; ac lacrymas meas vides.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea.

Cur conturbatum? quoniam propter peccatum in illud horror, & perturbatio inuasit; Et quoniã à virtute prudentiæ excidi, insipientiæ opera effeci: Itaque qui olim fortis eram, modo corrui, & virtus infirmum me reliquit, fortitudoq; omni cruciatus genere afflictum deseruit: non enim queo nunc dicere, omnia possum in eo, qui me corroborat, vtpote ab affectu victus, & viribus destitutus; verum & aliud quiddam mihi graue accidit.

Et lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.

Nam lumen oculorum, id est mens, & ratio mecum non est, quòd propter duram, & acerbam viam meam, & assiduas lacrymas in quandam quasi cecita-

cæcitatem veni: vel spiritus prophetiæ, & prædictionis, animæ meæ visum illuminans aufugit.

Amici mei, & proximi mei aduersū me appropinquauerunt, & steterunt.

DEinceps recenset, quæ postquam eum pœnitere cœpit, sibi euenerunt, quos inquit, amicos, & commilitones turpiter viuens habebam; Achitophelem autem & alios multos indicat, quorum mentes vni sibi infensæ, atq; aduersæ fuerunt, Deo scilicet ob peccata permittente illa, ij mihi aduersarij fuerunt, neq; eos qui mihi proximi erant, vt primum à malis faciendis abstinui, quò rectè viuerem, amplius amicos, experiri licuit.

Et qui iuxta me erant, de longe steterunt.

DE eisdem loquitur inimicis, qui odio ei appropiquauerunt, vt persecutores, & à veteri amicitia, ac beneuolentia discedentes, ab eo se abalienarūt, longeq; steterunt; vel de bonis angelis intelligendum est, vt Græci nonnulli exponunt. Qui mihi, inquit Dauid, prius amici erant, & omni tempore familiares, ij me relicto longè steterunt, & cùm peccaui, recesserunt; addunt tamen, atque afferunt de suo prædicti; quod non penitus eum relinquebant Angeli; verùm eminus stantes lugebant, qui cùm procul abeßēt,

alij quidam, qui in peccatis quotidiè versantur, propius accedentes, & vim mihi faciebant.

Et vim faciebant, qui quærebant animam meam.

ET torquebant me, inquit, qui animam meam, id est meipsum quærebant, & molestiam mihi exhibebant, occasionem nacti, quòd oculorum lumen me defecisset; vel eam quærebant, vt auferrent. Hæc ad caput nostrum Iesum Christum aptè referri possunt, vt ipsius voces sint inquientis: Amici mei, & proximi Iudæi, quia cognati erant, appropinquauerunt, quando me cruce affecerunt, proximi, & Apostoli lõgè steterunt, ne mecum paterentur, & me relicto fugerunt: vel qui se amicos simularunt, cùm dicerent, scimus, quia verè Dei viam doces, appropinquauerunt corpore, quia in crucem me sustulerunt, sed corde longè steterunt ij, qui maledicta in me cõgerebant, quiq; me occidere quærebant. Possunt hæc quoque ad pœnitentem quemlibet applicari, cui in hoc sæculo, quandiu in sceleribus ipse versatus est, amici extiterunt peccatores, deserenti autem mundum, & fugienti peccatum aduersati sunt.

Et qui inquirebant mihi mala, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.

ET qui de pernicie mea cogitabant, proferebant petulantia verba, mihiq; conuitia grandia faciebant:

bant :vanitates, *dixit, velut mendacia quadam, ac falsa* : & dolos, *idest insidias mihi tendebant, vt me deciperent, ac laqueis me irretire conabantur. Sic de Iesu Christo, quia non reperiebant, quę dicerent, Iudæi mendacia excogitabant: Perspicuum est enim quanta in eum dicta fuerint testimonia falsa, vanaq; ; sic pœnitenti quoque accidit, vt si publicè illum pœnituerit, ab alijs, qui perseuerant in peccatis, is maximè derideatur, contumeliosasq; in ipsum voces emissas audiat.*

Ego autem, tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

H*Ic ostendit patientiam suam David: homines.n. nisi patienter ferant, quando affliguntur, primo bili mouentur, deinde aspera, & odiosa verba ex eorum ore excidunt. At ne sibi hoc eueniret, quando Semei contumelijs, atque conuitijs eum insectatus est, David inquit, reuera audiebam, sed auscultare simulabam, & non aperiens os scilicet eram, idest, tacebam. Hoc autem maximè Dominus noster Iesus Christus executus est, qui sicut mutus os suum non aperuit, ita vt miraretur præses.*

Et factus sum sicut homo non audiens.

S*Vperiorum declaratio est, & effectus patientiæ apparet, contra malorum opinionem, qui hoc ignauiæ,*

niæ, non virtuti aſcribunt: vnde Chriſto ait præſes ā mihi non loqueris.

Et non habens in ore ſuo redargutiones.

IDeſt, contradictiones, quibus eos coarguere poſſem, qui male loquebantur, quaſi ad reſpondendum promptus non eſſem, quemadmodum Chriſto illuſit Herodes, eumq; ſpreuit, quòd ſibi interroganti de nō nullis rebus minime reſponderet; verùm oportebat, vt Chriſtus ipſe ſileret, dum patiebatur, in iudicio poſtea non taciturus; qui iudicium ſubiturus ad nos venerat cum magna humilitate, maxima deinde cum poteſtate iudicaturus.

Quoniam in te ſperaui domine tu exaudies me Domine Deus meus.

CAuſſam patientiæ affert, inquiens, ideo me mutum præbui, & ſilui; quia te mihi iudicem, & vltorem eſſe ſperaui, mihi enim vindictam, ais; nam niſi collocaſſem ego ſpem in te, vltus me fuiſſem, verū illud tātum quæſiui, ne in manus hoſtium inciderem; Et quoniam eos, Semei præſertim, perſpicis me probris, ac maledictis vexare, tu domine preces meas exaudies. Tantum præclara fidelem quemlibet conſcientia ſe ſuſtentare oportet, & integra mente præditum eſſe, quæ nullius ſibi criminis conſcia ſit, & recte,

ctè, ac tutò ille dicere poterit: quoniam ſpem mihi in te poſui Domine.

Quia dixi, ne quando ſupergaudeāt mihi inimici mei, & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.

DIxi enim hoc mihi in optatis eſſe, vt oratio mea in conſpectum tuum veniat, ne aliquando ſuper gaudeant, vel (vt ait D. Hieronymus) in me inſultent inimici mei; Quod planè perficient, niſi miſericordiā tuam ero conſecutus, Et dum cōmouentur pedes mei, humana infirmitate, aut Abſalonis cauſſa de ciuitate regia fugiendo; vel (vt idem ait Hieronymus) cum vacillauerint pedes mei, ideſt, cum auerſum fuerit parumper à via diuinorum mandatorum iter meum, liberè illi ſe mihi mortem offerre velle gloriati ſunt. Per translationem Chriſtus ait: dum commouentur pedes mei. *Apoſtoli, qui nimirum vacillarunt, cū illum, quem pati ipſis videre licuit, an Dei filius eſſet, dubitauerunt. Itaque de ipſo Chriſto magna, & impia locuti ſunt inimici, quia illis conturbatis, & fugientibus reum mortis eum iudicauerunt.*

Quoniā ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

EGo ad correctionem, & emendationem tuam paratus ſum, quam ego ob peccata mea libens, ac

promptus

promptus accipiam; & dolor, quem ex commissis à me sceleribus capio, semper mihi ante oculos versatur, vrgens me, ac stimulans, ne illorum memoriam deponam. Ac certè Rex ille tantus, ac generosus flagella viriliter pertulit, ac secutas calamitates magno animo perpessus est; nota enim fuit ei sententia illa; Deum virgis filium omnem, quem amat, & amplexatur, cædere, atque corripere, quòd talibus post verbera paretur vita sempiterna: Peccatores verò in hoc mundo non verberari ab eo, aut minus, quòd illorum salus iam desperata sit; vt quem Deus nullis verberibus excruciat, eum à se reprobari, non modicum sit argumentum: Dolore igitur non flagellorum, sed peccatorum Dauid ardebat, quē vinam imitari vellemus, fortasse ad mala tàm facilè procliues non essemus.

Quoniam iniquitatem meam annũciabo, & cógitabo pro peccato meo.

H*Ic tres pœnitentiæ partes patent, dolor ad compunctum cor, iniquitatum pronunciatio ad confessionem, anxia de peccato cura ad satisfaciendum pertinet: dicit ergò,* annunciabo, *vel vt ait Hieronymus,* annuncio, *idest, confiteor iniquitatem,* & cogitabo, *idest, sollicitus ero, vt idem ait, de peccato, idest, medicina peccati, curabo enim, vt illud sanem.*

Inimici

Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me.

INimici permissione tua ad probandum me infelicē, & de me periculum faciendum missi, viuunt, & fortes sunt, atque potentes, ij scilicet, qui cum Absalone militant, & in me persequendo roborati sunt.

Et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

ET multiplicati non pauci, quod est grauissimum, viribusq; aucti, mala pro bonis reddentes me iniustè oderunt, quia nihil habent, in quo me accusare possint, aut odio dicere dignum: Et bonam erga se voluntatem respuerunt, & pro nihilo putarunt. Itaque sæculi fœlicitate gaudent illi, dum ego angor: Tales aduersus Iesum Christum Iudæi fuerunt.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

DEtrahebant mihi, qui malum pro bonis rependebant, quoniam viam bonam, & salutarem persequebar, ac bonitatem, innocentiamq; seruabam, atq; iniurias obliuione delebam. Hoc propter Absalonem dicit, qui benignitati, atque amori paterno inuidia, atque insidijs obsistebat, eumq; tanquam iniustum Regem calumniabatur, hoc pacto ad conspirationem eos alliciens,

alliciens, qui ad iudicium accedebant, cum eum commendare debuisset, quòd iustitia præditus esset. Verũ in hoc mundo dum versamur, nullo modo odio carere possumus; cum & Dominus Iesus Christus Iudæis odiosus fuerit, qui erga eum ingrati, ac tantorum beneficiorum immemores fuerunt. Sed beatus est ille, qui se iniustè odio haberi conscius existit; cum enim detrectatio triplex sit, mala quidem, cum homo hominem verè peccati arguit; peior quando falsò, certe pessima est illa, cùm non de homine, sed de virtute derogatur, quod ipsi Dauidi euenit.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Confugit nunc ad Deum, & petit se ab eo liberari, quod formidat, & præstari sibi, quod amat, inquiens, auxilio priuatus sum, & te solum adiutorem habeo, ne me deseras, nec à me abeas, nam solus nullo pacto tot inimicis resistere potero, neque me tueri prætermittas, in cuius potestate vita mea sita est.

Intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ.

Sed esto mihi adiutor, dum contra hostem pugnò, hostesuè, & adiuua me, vt proficiam, qui salutis meæ custos es, & salutem regibus das. Quo versiculo in ordiendis precibus Ecclesia libẽter vtitur, quòd contra Dæmonum insidias, atque calumnias plurimũ ille polleat. Ecce quàm præclarè Psalmus hic eum instruit, quem peccatorum suorum verè, & sincerè pœniteat,

pœniteat, videlicet, vt is acriter cor suum compungat, delictaq; sua mirificè exaggeret, humiliterq́ ea fateatur, atque ipsorum pœnas sufferre paratus sit. Omnes ergò fideles, qui propter facinora in ærumnas inciderunt, sibiq́; à Deo condonari peccata, & opem ferri petunt, imitatione ipsum Dauidem sequi studeant, nec alicui dent aures, aut eum colloquio dignum iudicent, qui se ipsos assiduis molestijs affligere, ob suamq́; ipsorum pœnitentiam calumniari, ac tanquam peccatores infamare conetur. Sed aduocantes sibi Deum adiutorem, illi hæreant, à quo in discessu ab hac vita salutem sempiternam se accepturos esse sperant, ac requie illa tantopere èxoptata non carituros, vbi & gloriam Dei contemplari, & eius faciem sine fine intueri licebit.

IN PSALMVM XXXXII.

IVDICA ME DEVS.

PSalmus hic apud Hebr. & interpretes sine titulo est, superioris autem pars esse videtur, vt potè qui eandem cum eo sententiam, & similia verba habeat. Dauid siue aliquis inter populum Iudæorum, qui fidelis, & iustus inuentus fuerit, sicuti Hieremias, aut ei similis, hæc pro populo verba profert, qui eius causam, & afflictiones suscepit; nam cū ille populus nefarijs gētibus Babylonijs ipsis, qui multa immanitate vsi sunt contra eos, traditus fuisset, rogat atque Deum obsecrat, vt iudex sit, & gentes pæ-

Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem.

MIser ex hoc, quòd auersus est à me propter peccata Dominus Deus; Et secundum Diuum Hieronymum afflictus sum, & incuruatus ob ea, quæ commemoraui; vel, dum corpus meum grauiter affectum sanare cupio, vsq; in finem, id est, prorsus, vel nimis, aut vsq; in mortẽ debilitatus sum. Vnde incuruatus? ab elatione; elatus.n.eram: qui autẽ fuerit humilis, erigetur. At ille verè incuruatus est, qui erigere se non potest; ac tales sunt, qui animum suũ penitus in terra figunt, terrenaq; tantũ meditantur.

Tota die contristatus ingrediebar.

ATque tota die, id est, sine intermissione ac semper, quamuis Rex essem, in tristitia versans ambulabam, velut qui à conscientia teste pungebar, & nulla perfundi lætitia poteram.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus.

TRistitiæ caussa hæc est, quòd Dæmon carnis delectatione, vt instrumento vtens me admodũ illusit, iniquos, turpesq; libidinis appetitus mihi excitans, irritãsq;: non enim appetitus est voluptas, sed voluptatis vmbra. Quò fit, vt lumbi mei, vel latera mea aut illa sic repleta sint ignominia, vt ignominiosi recordatio facti sequatur: nec non illusionibus,

quę importuno tempore ita se intrudũt in orationibus, vix vt aliquando orare permittar.

Et non est sanitas in carne mea.

TVnc me illuso nulla carni meæ requies est, nulla sanatio; eam enim castigo, vt dictum est, & de illa ob illicitam voluptatem supplicium sumo: vel non est sanitas, quia nulla pars corporis non tentata vacat, quam peccati desiderium non titillet.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis.

MAgnitudinem tristitiæ ostendit inquiens. Afflictus fame, siti, ac vigilijs, & humi iacendo humilis factus sum, ac demissus; vel affligens conscientiam meam hoc effeci, vt cor gemitus ederet propter magni boni amissionem, & optimi status mutationem; quod quantis peccatis meis, vitijsq; venerit, sine molestia cogitare non possum, præsertim cùm magnum infelicitatis genus sit, felicem fuisse.

Rugiebam à gemitu cordis mei.

SIcut Leo frendebam, tanta erat cordis acerbitas, qua cruciabar, & fletus vehementia; amarè .n. admodum flebam; dicit autem (cordis) quia si quãdo homines gemitũ auscultant, carnis plerunque, non cordis audiunt; occultus enim gemitus à Deo nõ ab homine auditur. His profectò verbis rectam erga Deũ voluntatem, animumq; præse fert: Nam peccator in profundò existens contemnere solet; iustus autẽ minima quæq; peccata metuit.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Domine nihil desidero, nisi esse ante te, non ante homines, qui cor intueri nequeunt; nosti enim, quòd salutem, atque à præsentibus angustijs atq; doloribus liberationem impetrare concupisco, & gemitum meum velut vocem de profundo editam auribus percipis, qui satis esse potest; ac lacrymas meas vides.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea.

Cur conturbatum? quoniam propter peccatum in illud horror, & perturbatio inuasit; Et quoniā à virtute prudentiæ excidi, insipientiæ opera effeci: Itaque qui olim fortis eram, modo corrui, & virtus infirmum me reliquit, fortitudoq; omni cruciatus genere afflictum deseruit: non enim queo nunc dicere, omnia possum in eo, qui me corroborat, vtpote ab affectu victus, & viribus destitutus; verum & aliud quiddam mihi graue accidit.

Et lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.

Nam lumen oculorum, id est mens, & ratio mecum non est, quòd propter duram, & acerbam viam meam, & assiduas lacrymas in quandam quasi

cæcitatem veni: vel spiritus prophetiæ, & prædictionis, animæ meæ visum illuminans aufugit.

Amici mei, & proximi mei aduersũ me appropinquauerunt, & steterunt.

D*Einceps recenset, quæ postquam eum pœnitere cœpit, sibi euenerunt, quos inquit, amicos, & commilitones turpiter viuens habebam; Achitophelem autem & alios multos indicat, quorum mentes vni sibi infensæ, atq; aduersæ fuerunt, Deo scilicet ob peccata permittente illa, ij mihi aduersarij fuerunt, neq; eos qui mihi proximi erant, vt primum à malis faciendis abstinui, quò rectè viuerem, amplius amicos, experiri licuit.*

Et qui iuxta me erant, de longe steterunt.

D*E eisdem loquitur inimicis, qui odio ei appropinquauerunt, vt persecutores, & à veteri amicitia, ac beneuolentia discedentes, ab eo se abalienarũt, longeq; steterunt; vel de bonis angelis intelligendum est, vt Græci nonnulli exponunt. Qui mihi, inquit David, prius amici erant, & omni tempore familiares, ij me relicto longè steterunt, & cùm peccaui, recesserunt; addunt tamen, atque afferunt de suo prædicti, quod non penitus eum relinquebant Angeli; verùm eminus stantes lugebant, qui cùm procul abessēt, alij*

alij quidam, qui in peccatis quotidiè versantur, propius accedentes, & vim mihi faciebant.

Et vim faciebant, qui quærebant animam meam.

E*T torquebant me, inquit, qui animam meam, id est meipsum quærebant, & molestiam mihi exhibebant, occasionem nacti, quòd oculorum lumen me defecisset; vel eam quærebant, vt auferrent. Hæc ad caput nostrum Iesum Christum aptè referri possunt, vt ipsius voces sint inquientis: Amici mei, & proximi Iudæi, quia cognati erant, appropinquauerunt, quando me cruce affecerunt, proximi, & Apostoli lõgè steterunt, ne mecum paterentur, & me relicto fugerunt: vel qui se amicos simularunt, cùm dicerent, scimus, quia verè Dei viam doces, appropinquauerunt corpore, quia in crucem me sustulerunt, sed corde longè steterunt ij, qui maledicta in me cõgerebant, quiq; me occidere quærebant. Possunt hæc quoque ad pœnitentem quemlibet applicari, cui in hoc sæculo, quandiu in sceleribus ipse versatus est, amici extiterunt peccatores, deserenti autem mundum, & fugienti peccatum aduersati sunt.*

Et qui inquirebant mihi mala, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.

E*T qui de pernicie mea cogitabant, proferebant petulantia verba, mihiq; conuitia grandia faciebant:*

bant :vanitates, *dixit*, *velut mendacia quadam*, *ac falsa* : & dolos, *idest insidias mihi tendebant*, *vt me deciperent, ac laqueis me irretire conabantur. Sic de Iesu Christo, quia non reperiebant, quę dicerent, Iudæi mendacia excogitabant: Perspicuum est enim quãta in eum dicta fuerint testimonia falsa, vanaq́; ; sic pœnitenti quoque accidit, vt si publicè illum pœnituerit, ab alijs, qui perseuerant in peccatis, is maximè derideatur, contumeliosasq́; in ipsum voces emissas audiat.*

Ego autem, tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

HIc ostendit patientiam suam David: homines.n. nisi patienter ferant, quando affliguntur, primo bili mouentur, deinde aspera, & odiosa verba ex eorum ore excidunt. At ne sibi hoc eueniret, quando Semei contumelijs, atque conuitijs eum insectatus est, Dauid inquit, reuera audiebam, sed auscultare simulabam, & non aperiens os scilicet eram, idest, tacebam. Hoc autem maximè Dominus noster Iesus Christus executus est, qui sicut mutus os suum non aperuit, ita vt miraretur præses.

Et factus sum sicut homo non audiens.

SVperiorum declaratio est, & effectus patientiæ apparet, contra malorum opinionem, qui hoc ignauiæ,

niæ, non virtuti aſcribunt: vnde Chriſto ait præſes è mihi non loqueris.

Et non habens in ore ſuo redargutiones.

IDeſt, contradictiones, quibus eos coarguere poſſem, qui male loquebantur, quaſi ad reſpondendum promptus non eſſem, quemadmodum Chriſto illuſit Herodes, eumq; ſpreuit, quòd ſibi interroganti de nō nullis rebus minime reſponderet; verùm oportebat, vt Chriſtus ipſe ſileret, dum patiebatur, in iudicio poſtea non taciturus; qui iudicium ſubiturus ad nos venerat cum magna humilitate, maxima deinde cum poteſtate iudicaturus.

Quoniam in te ſperaui domine tu exaudies me Domine Deus meus.

CAuſſam patientiæ affert, inquiens, ideo me mutum præbui, & ſilui; quia te mihi iudicem, & vltorem eſſe ſperaui, mihi enim vindictam, ais; nam niſi collocaſſem ego ſpem in te, vltus me fuiſſem, verū illud tātum quæſiui, ne in manus hoſtium inciderem; Et quoniam eos, Semei præſertim, perſpicis me probris, ac maledictis vexare, tu domine preces meas exaudies. Tantum præclara fidelem quemlibet conſcientia ſe ſuſtentare oportet, & integra mente præditum eſſe, quæ nullius ſibi criminis conſcia ſit, & re

Ctè, ac tutò ille dicere poterit: quoniam ſpem mihi in te poſui Domine.

Quia dixi, ne quando ſupergaudeãt mihi inimici mei, & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.

DIxi enim hoc mihi in optatis eſſe, vt oratio mea in conſpectum tuum veniat, ne aliquando ſuper gaudeant, vel (vt ait D. Hieronymus) in me inſultent inimici mei; Quod planè perficient, niſi miſericordiã tuam ero conſecutus, Et dum cõmouentur pedes mei, humana infirmitate, aut Abſalonis cauſſa de ciuitate regia fugiendo; vel (vt idem ait Hieronymus) cum vacillauerint pedes mei, ideſt, cum auerſum fuerit parumper à via diuinorum mandatorum iter meum, liberè illi ſe mihi mortem offerre velle gloriati ſunt. Per translationem Chriſtus ait: dum commouentur pedes mei. *Apoſtoli, qui nimirum vacillarunt, cũ illum, quem pati ipſis videre licuit, an Dei filius eſſet, dubitauerunt. Itaque de ipſo Chriſto magna, & impia locuti ſunt inimici, quia illis conturbatis, & fugientibus reum mortis eum iudicauerunt.*

Quoniã ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

EGo ad correctionem, & emendationem tuam paratus ſum, quam ego ob peccata mea libens, ac promptus

promptus accipiam; & dolor, quem ex commissis à me sceleribus capio, semper mihi ante oculos versatur, vrgens me, ac stimulans, ne illorum memoriam deponam. Ac certè Rex ille tantus, ac generosus flagella viriliter pertulit, ac secutas calamitates magno animo perpessus est; nota enim fuit ei sententia illa; Deum virgis filium omnem, quem amat, & amplexatur, cædere, atque corripere, quòd talibus post verbera paretur vita sempiterna: Peccatores verò in hoc mundo non verberari ab eo, aut minus, quòd illorum salus iam desperata sit; vt quem Deus nullis verberibus excruciat, eum à se reprobari, non modicum sit argumentum: Dolore igitur non flagellorum, sed peccatorum Dauid ardebat, quē vinam imitari vellemus, fortasse ad mala tàm facilè procliues non essemus.

Quoniam iniquitatem meam annũciabo, & cógitabo pro peccato meo.

H*Ic tres pœnitentiæ partes patent, dolor ad compunctum cor, iniquitatum pronunciatio ad confessionem, anxia de peccato cura ad satisfaciendum pertinet: dicit ergò,* annunciabo, *vel vt ait Hieronymus,* annuncio, *idest, confiteor iniquitatem,* & cogitabo, *idest, sollicitus ero, vt idem ait, de peccato, idest, medicina peccati, curabo enim, vt illud sanem.*

Inimici

Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me.

INimici permissione tua ad probandum me infelicē, & de me periculum faciendum missi, viuunt, & fortes sunt, atque potentes, ij scilicet, qui cum Absalone militant, & in me persequendo roborati sunt.

Et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

ET multiplicati non pauci, quod est grauissimum, viribusq; aucti, mala pro bonis reddentes me iniustè oderunt, quia nihil habent, in quo me accusare possint, aut odio dicere dignum: Et bonam erga se voluntatem respuerunt, & pro nihilo putarunt. Itaque sæculi fœlicitate gaudent illi, dum ego angor: Tales aduersus Iesum Christum Iudæi fuerunt.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

DEtrahebant mihi, qui malum pro bonis rependebant, quoniam viam bonam, & salutarem persequebar, ac bonitatem, innocentiamq; seruabam, atq; iniurias obliuione delebam. Hoc propter Absalonem dicit, qui benignitati, atque amori paterno inuidia, atque insidijs obsistebat, eumq; tanquam iniustum Regem calumniabatur, hoc pacto ad conspirationem eos allíciens,

alliciens, qui ad iudicium accedebant, cum eum commendare debuisset, quòd iustitia præditus esset. Verũ in hoc mundo dum versamur, nullo modo odio carere possumus; cum & Dominus Iesus Christus Iudæis odiosus fuerit, qui erga eum ingrati, ac tantorum beneficiorum immemores fuerunt. Sed beatus est ille, qui se iniustè odio haberi conscius existit; cum enim detrectatio triplex sit, mala quidem, cum homo hominem verè peccati arguit; peior quando falsò, certe pessima est illa, cùm non de homine, sed de virtute derogatur, quod ipsi Dauidi euenit.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Confugit nunc ad Deum, & petit se ab eo liberari, quod formidat, & præstari sibi, quod amat, inquiens, auxilio priuatus sum, & te solum adiutorem habeo, ne me deseras, nec à me abeas, nam solus nullo pacto tot inimicis resistere potero, neque me tueri prætermittas, in cuius potestate vita mea sita est.

Intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ.

Sed esto mihi adiutor, dum contra hostem pugnò, hostesuè, & adiuua me, vt proficiam, qui salutis meæ custos es, & salutem regibus das. Quo versiculo in ordiendis precibus Ecclesia libẽter vtitur, quòd contra Dæmonum insidias, atque calumnias plurimũ ille polleat. Ecce quàm præclarè Psalmus hic eum instruit, quem peccatorum suorum verè, & sincerè pœniteat,

pœniteat, videlicet, vt is acriter cor suum compungat, delictaq; sua mirificè exaggeret, humiliterq ea fateatur, atque ipsorum pœnas sufferre paratus sit. Omnes ergò fideles, qui propter facinora in ærumnas inciderunt, sibiq; à Deo condonari peccata, & opem ferri petunt, imitatione ipsum Dauidem sequi studeant, nec alicui dent aures, aut eum colloquio dignum iudicent, qui se ipsos assiduis molestijs affligere, ob suamq; ipsorum pœnitentiam calumniari, ac tanquam peccatores infamare conetur. Sed aduocantes sibi Deum adiutorem, illi hæreant, à quo in discessu ab hac vita salutem sempiternam se accepturos esse sperant, ac requie illa tantopere èxoptata non carituros, vbi & gloriam Dei contemplari, & eius faciem sine fine intueri licebit.

IN PSALMVM XXXXII.

IVDICA ME DEVS.

Psalmus hic apud Hebr. & interpretes sine titulo est, superioris autem pars esse videtur, vt potè qui eandem cum eo sententiam, & similia verba habeat. Dauid siue aliquis inter populum Iudæorum, qui fidelis, & iustus inuentus fuerit, sicuti Hieremias, aut ei similis, hæc pro populo verba profert, qui eius causam, & afflictiones suscepit; nam cũ ille populus nefarijs gẽtibus Babylonijs ipsis, qui multa immanitate vsi sunt contra eos, traditus fuisset, rogat atque Deum obsecrat, vt iudex sit, & gentes pœ-

nis, & supplicio mulctet, & populus ab hostium manibus liberetur. Vel propheta nomine suo hoc dicere potest, confidens & sibi persuadens nunquàm fore, vt sibi in iudicio imponatur iniuria, cum nemini is iniuriam fecerit, & locum iræ non dederit. Allegor. Christus hoc fari videtur, vt se à Deo iudicari postulet ad quem illud pertinet, & vincas cum iudicaris, ac populum Iudæorum gentem non sanctam vocat, hominem vero dolosum Iudam.

Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me.

IDest, Iudex esto; iudicium autem duplex est, alterum in quo merita discutiuntur, & hoc non petit, vt intret iudicium cum seruo suo; periculosum enim est; alterum discretionis siue separationis à malis, ac prauis, & hoc flagitat; scilicet se ab eis segregari, vt ipse cum electis existat; & ideo addit, discerne, id est dijudica, & inspice causam, quantum ad præsentẽ statum attinet, si non locum; & quid inter eum distet qui in te credit, & illum qui minime, de gente non sancta, cum qua est mihi par infirmitas, sed conscientia, & desiderium dispar. Et iudica quæso; nòn enim iudicium tuum formido, quia misericordiam tuam noui; Gentem autem non sanctam, Babylonios, & Regẽ eorum dolosum, & impium vocat. Vel cœtum sacrilegorum, & impiorum, ac multo magis dæmonum appellat;

pellat; ab iniquo ergo vel Dæmone, vel homine scelesto, & iniquo, qui aperte iniustitiam patefacit, & doloso, idest occulte fraudolento erue me, ac libera, ne ab illis corrumpar.

Quia tu es fortitudo mea.

VT potè qui aliunde non habeat, quo se firmum, & fortem sentiat, Deum fortitudinem suam vocat, inquiens, tu es firmitas mea, & stabilitas, qua inter hæc scadala opus est: non enim mihi arrogo eam, sed abs te implorare Debeo, qui iussisti, vt fortes consistamus; nam nisi tu fortes reddideris, non erimus.

Quare me repulisti, & quare tristis incedo dum affligit me inimicus.

MIratur cum Deus fortitudo eius existat, quare modo repelli videatur; in desiderio enim existens is, quia non statim obtinet, quod optat, se repulsum esse arbitratur. Quare me repulisti, in medio populi me relinquens? propter peccatum scilicèt. Et quare tristis per viam vitæ huius incedo, qui si non vincor, periculum tamen adeo, dum idest quia inimicus, qui dictus est iniquus, varijs me tentationibus torquet? propter peccata tua, respondet, quibus locum dedisti; Et quia tristitiæ tuæ causa peccatum est, Iustitia lætitiæ tuæ causa existat. Vel cum inimici vrgerent, & fortiores essent, iustus animo suspensus propter sceleratorum felicitatem cruciabatur, quare suppliciter petit inquiens, cur cum te tuos tueri deceat,

& hostibus lætitiam non afferre, hoc non perficis, & eos de manibus inimicorum non liberas?

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.

ET quia peccata me conturbant, & angunt, ideo ad te, qui lux es, ſupplex confugio; mitte igitur lucem, & protectionem tuam, atque custodiam; quæ ſummum quoddam lætitiæ lumen ſecum afferunt, cuius ſplendore omnes afflictionum tenebræ repellãtur; & veritatem, ideſt verum auxilium. Iuxta Anagog. Lucem, & veritatem Chriſtum intelligit Dauid, is.n. inquit, Ego ſum lux mundi, & rurſum, ego ſum veritas; hanc lucem mitti precatur, Deum verbum ſcilicet, & hanc veritatem, vt ſpiritus eius adueniat. Lucem etiam, & veritatem, iuſtum & ſalutarem aductum dicit, nam ſicut tenebrarum nomine calamitates, ita lucem ab ijs liberationem appellauit. Cęterum lux, & veritas re idem ſunt, vtraq; enim eſt Dei filius, ſed ratione differunt; quatenus enim ab vmbris, & mendacio liberat, veritas eſt, quatenus ab errore & ignorantia lux exiſtit.

Ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.

ILla me deduxerunt per viam, & duces fuerunt, vel à malis abſtraxerunt, & adduxerunt, ideſt introduxerunt in montem ſanctum tuum Syon, & in tabernacula

bernacula tua, ideſt in templum tuum. Septuaginta interpretes tempus mutarunt, & tanquàm facta futura pronunciarunt. Sed D. Hieronymus, & alij legunt ducent & introducent in montem Syon, ad quem accedere poſtulat, vt lætitiam conſequi valeat. Myſtic. montem eccleſiam dicit quaſi in ſublime ſitam, in qua poſiti hoc ſperamus, & Tabernacula, quæ ſunt peregrinantium, & militantium; vel eccleſiam ſcilicet cæleſtem, & tabernacula, quæ illic ſunt, ſcilicet mãſiones intelligit. Chriſtus ergo qui lux eſt, & veritas ducet in cælum, & fideles omnes in cæleſtia tabernacula introducet.

Et introibo ad altare Dei.

CVm vero in templo ero, ad altare Dei, ideſt in cõſpectum diuinæ maieſtatis intrabo, vbi non vitulos, ſed me ipſum hoſtiam viuam illi placentem exhibebo illum vere colens, & ei ſacra faciens; vel ad altare illud ſublime atque cæleſte, quo non accedit iniuſtus.

Ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.

IDeſt ad Deum ingrediar, qui iuuentutem meam lætitia afficit, quam vigens animi propoſitum vocauit. Hieronymus legit, ad Deum lætitiæ, & exultationis meæ, ideſt ad Deum, qui eſt in cauſa, vt læter & gaudio exultem. Iux. Anagog. Iuuentus renouatio illa intelligitur, cum veteri homine exuto nouum induimus.

Confitebor tibi in Cythara Deus Deus meus.

CVm primum in patriam rediero, vbi tuum maxime desideratum altare videre cupio, ibiq; te Deum meum intueri, qui mihi omnis lætitiæ, ac gaudij author es, confitebor tibi, idest gratias agam in instrumentis musicis, quæ ab eo tempore, quo in Babylone captiui fuimus, in salicibus suspendimus, quia nullus nos vsus Musices tunc decebat. Cytharæ additamento hilaritatem, acclamatione geminata Deus Deus, dilectionem significauit; Discrimen autem ponit D. Augustinus inter Cytharam, & psalterium, quia illud à superiori parte resonat, illa vero ab inferiori. Qui erga præcepta Dei seruat, & non perpetitur, is in psalterio; qui vero custodit ea, & patitur, in Cythara confitetur.

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

VVlt eam ad meliora aspirare, quæ forsitan metuit, quia peccata omnia vitare nō potest, quid mœrore conficeris? cur luges? & quare conturbas me, idest rationem? adest enim tranquillitas, & gaudiū.

Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi.

SPem in Deo, non in te colloca, inquit, & eum expecta, à quo tibi salutem dandam esse sine vlla dubitatione

bitatione credas, quoniam confitebor ei, ideſt gratias agam, cum domum reuerſus fuero; Vel eſt conſolationis admonitio; nam & ſi ob res præſentes mœrore afficimur, in poſterum tamen gratias agemus, nobis interim per tolerantiam præſtolantibus, ut Deus qui eſt hominum ſalus, ab ijs, qui ad Deum confugiunt, mœrorem expellat. Nam vbi confeſſio eſt, magna familiaritatis cum Deo ineundæ ſpes eſt.

Salutare vultus mei, & Deus meus.

IDeſt, ò ſalus mea, & ò Deus meus, vel vultus mei, ideſt pulcritudinis meæ; nam in credẽtibus in Chriſtum diuinus decor elucet. Hieronymus legit, ſalutibus vultus mei, Symmach. vertit, expecta Deum; perpetuo namq; confitebor illi ſaluti conſpectus mei, & Deo meo; ſimul atque Dei tabernaculum ingreſſus fuero, & à ſanctis angelis in ſublimem, & cæleſtem altitudinem abſtractus fuero, vt coràm Deo aſtem, & eum intuear, atque contempler, tunc confitebor illi, vt ſaluti meæ, & Deo meo, ideſt gratiarum actionem illi debitam continenter perſoluam. Nitamur ergo tales nos præſtare, quo flagitare tuto poſſimus, vt nos Deus clementiſſimus iudicio ſuo à prauis ſecernat, & impertiat libenter nobis lucem ſuam, quæ nos illuminet, vt ea perficiamus, quibus ipſe motus, non ſolum miſericordia ſua nos foueat, & lætitia iuuentutem noſtram cumulet, ſed in tabernacula etiam ſua introducat; Nam ſi ad altare Dei accedere cupimus, ſicut in more poſitum eſt, vt ad impetrandam huiuſmodi gratiam Pſalmum hunc nos ſacerdotes præmittamus;

vbi sacrum celebraturi diuinum auxilium imploramus, & aduersus affligentes nos iudicium fieri petimus, quo digne sacrificij fructum percipere valeamus, decet nos profecto non modo culpa vacare, & crimine, Verum etiam omnibus virtutibus ornatos incedere, & interim assidue Deo gratias agere, qui tali nos desiderio affecit, vt cælum anhelemus, & ad eum contemplandum aspiremus. Tristes igitur ac mœsti animo non erimus, sed magnam in Domino nostro Iesu Christo spẽ habentes expectabimus, quoniam suo tempore is salutem nobis dabit, & in regnum suum cœleste transferet, qui viuit, & regnat semper gloriosus. Amen.

IN PSALMVM XXXXIV.

ERVCTAVIT.

INscribitur in finem, pro ijs, qui commutabuntur filijs Chore ad intellectum, canticum pro dilecto. In finem Christum, quoniam hæc post lunga tempora futura erant, vel victori, vt Hieronimus, post victorias de hostibus animi reportatas; pro ijs vero qui cõmutabuntur, cum de dilecto Propheta sit annunciaturus, qui curam impertiendæ nobis salutis in carne accepit, non sit autem cuiuslibet dilectum cognoscere, sed eius qui veterẽ hominem exuerit, immutatio enim est, cum interior homo singulis diebus renouatur, pro ijs qui hoc beneficio digni sunt, & pro ijs qui per diuinum baptisma, seu ablutionem mutãtur, vel pro ijs qui mutationem hanc de infidelitatis statu ad Christum

se-

fecerũt, quiq; , cũ idolis dediti essent, sinceri Christi cultores facti sunt, & ex prauis boni, hoc se Chore filijs cantoribus, qui vniuersum Iudęorum populum innuebant; ad intellectum videlicet tanti mysterij tantique decoris. s. coniunctionis Christi & ecclesiæ; vel quia ad reconditos sensus cantici huius percipiendos multa lectori intelligentia opus sit, se tradidisse canticum ait, quia humana tantum voce canebatur, pro. i. de dilecto Christo, quia nimirum de eo tractatur, de quo pater, hic est filius meus dilectus, & à nobis pariter amatus ac veneratus, quia nostrum pater est studiosissimus; Hieronymus legit pro lilijs filiorum Chore eruditionis canticum amantissimi, pro floribus Symmachus, pro lilijs & floribus, quòd hic psalmus de delitijs sponsi & sponsæ agit, vel qui mutati sunt, suauem odorem proferentes, ecclesiæq; verni flores facti hoc pacto nominentur. Psalmus ergo sponsalia Christi & ecclesiæ continet, quæ quidem ab eo tempore initium duxerunt, quo filius Dei in ventre virginis naturam sibi humanam sociauit, huius autem coniunctionis nuptialis carnis & verbi vterus virginis Thalamus fuit.

Eructauit cor meum verbũ bonum.

D*Auid spiritus sancti vim sentiens, & illius suauissimo Epulo refertus, magnaq; sibi de Christo prædicenda esse cernens hoc exordio vtitur.* Eructauit, *idest edidit cor meum verbum bonum; Cum enim vir bonus de cordis boni thesauro bonum proferat, necesse est, quoniam alimentum bonum erat, vt bonum verbum eructauerit; nam quemadmodũ quis*

cum pomum comederit, ructum emittit, qui pomum redolet, sic qui bona comedit, & animam suam bonis alit, sermonem bonum proferat, & consolabilem, opus est; Et quia ructamus non quando volumus, ostendēs ea, quæ dicuntur, non esse humani studij; at diuini spiritus, qui eum incitabat, ructum vaticinium vocauit Christi autem, & ecclesiæ mysteria siue arcana loquitur. Nonnulli patrem sic locutum esse sentiunt, quoniam solus bonus sum, consequitur necessario, vt verbum meum ex mea substantia genitum bonum sit, quod ex plenitudine mea genui, nec ex coniugio, sed de corde, sicut homo consilium generat de corde, antequã quicquàm facturus sit. Sed nec Basilio, nec multis alijs expositio hæc placet, quia quæ sequuntur, patri non conueniunt.

Dico ego opera mea regi.

IDest veritatem sermonis qui futura prædicit, regi profero, non dixit, cui nam Regi significans se Christo vniuersorum Deo dicere; & spiritu afflatus de eo pronuncio, vel opera mea idest iustitias meas, vt Aquila, & Symmachus interpretantur, annuncio. Vel Regi, quem inscriptio Dilectum vocauit, quemq; laudaturus sum, opera mea confiteor, vt si bona sint suscipiat, si praua, ea munda reddat.

Lingua mea calamus scribæ velociciter scribentis.

DAuid linguam suam ostendit calamum, & instrumentum alterius fuisse, idest spiritus sancti ca

ea vtentis, qui scriba est, & sapiens, omniumq; doctor, atque velociter scribens, cuius stylus, & calamus prophetarum lingua erat, qui & verba vitæ æternæ credentibus imprimit. Notandum autẽ Dauidem dicere velociter scribentis, quia qui ex se loquitur differt, & cunctatur meditans, & multa velocitatem sermonis sui turbant, & quando spiritus mentẽ mouet, nihil est quod impediat, sed tanquàm torrens, gratia sancti spiritus magna celeritate progreditur. Vnde ait ipse Dauid, ex me nihil loquor, neque mentis meæ partus vllos affero, sed alterius virtutis lingua mea ministra est.

Speciosus forma præ filijs hominũ.

N*Vnc prædictinnem aggreditur, & ad Christum sermonẽ dirigit, cuius humanas res demõstrat, inquiens speciosus scilicet es forma, idest, vt Hieronymus ait, filijs hominum decore pulcrior es, quod ad pulchritudinem animæ referendum est, quoniam solus à peccato immunis fuit, quòd non solum quatenus Deus, sed etiam quatenus homo ab omni macula carnem mundam habuit; Dicens autem Isaias, non erit speties, neque decor, de corpore intellexit, quòd præuiderat talem futurum esse Christum eo tempore, quo ipse pateretur; nec est discrepantia, quia ibi ignobilitas corporis propter flagella atque contemptus, hic in sacro, ac venerando corpore virtutum pulcritudo commemoratur, sed absque perpessionibus crucis, de virgine virgo vniuersis pulchrior est; nisi enim in vultu oculisq; eius quiddam diuinum sydere splendidius ap-*

paruisset,

paruisset, nunquam apostoli eum secuti fuissent, nec qui ad comprehendendum illum venerant, corruissent. Præ filijs hominum, cum ipse homo sit, non est tamen vt quilibet homo, ideo vt eum commendaret in genere suo, hic, præ angelis, non ait.

Diffusa est gratia in labijs tuis.

Omnis gratiæ multitudo, quæ breui tempore totũ orbem repleuit, abunde in labris tuis, idest in sermonibus tuis consedit: Ait enim Euangelista, quòd turbæ mirabantur super verbis gratiæ, quæ de ore eius exibant: Qui enim sermones Iesu audiebant, ij gratia repleti huiusmodi verba dicebant, Postea Christi labra fuerunt apostoli, in quos affluens gratia spiritus effusa est; illi etiam appellari labra queunt; qui cælesti verbo inseruiunt.

Propterea benedixit te Deus in æternum.

IDest propter has virtutes tuas Deus pater te vt hominem benedixit, idest laudari perpetuò fecit, vt vis maledicti, quæ illi primæ radici humanitatis Adamo irrogata fuerat, tolleretur. Et quoniam Iesus, inquit Lucas, & ætate & gratia, sapientiaq́; apud Deum, & homines proficiebat, idcircò illi virilium factorum gratiam scilicet, ac laudem, & honorem præmium tributum esse intelligimus.

Accin-

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.

CVm speciosum forma Christum dixerit, nunc militem strenuum demonstrat; Dauid enim ad certamen eum aduocat, vt nos peccato iandiu captiuos liberet, atque vt eum magis formidolosum reddat, armis eum munit, inquiens, Accingere more prælantium, gladio super fæmur, idest verbo illo efficaci, & penetrante magis omni gladio acuto, ac secante illam animæ partem, quæ affectibus subiecta est, scilicet prædicationis, quo inimicos prostrauisti, & filium à patre, & à matre filiam segregasti, fortior enim est gladius spiritus separans, quàm natura humana copulās. Vel verbum carni coniunge, idest indue carnem, ac vindicem sume in virtute tua potentiā, ac diabolū eiusq; Tyrannidem deijce, vt per gladium verbū, per fæmur carnis sumptio intelligatur; nam quòd femur sit eorum, quæ ad generandum pertinent, & opera nuptiarum significet, patet Abraham seruo suo dicere, pone manum super femur meum: potentissime ait, nam maximæ potentiæ est Deum in humana esse natura posse; vel potentissime, quia coniunctam diuinitatem habebat. Notandum autem est, vt virginitatem pudicitiæ gladium habere omnibus pateret, gentes idolis seruientes Deas virgines armatas finxisse.

Spetio

Spetie tua, & pulchritudine tua, intende prospere procede, & regna.

ACcingere videlicet spetie, & pulcritudine tua. i. diuinitate tua, & super omnes excellentia, vel Iustitia, qua pulcher & formosus es, vt pro eodem accipiantur: non nulli tamen spetiem, & pulcritudinẽ, vt diuersa exponunt, quòd species ad caloris vigorem & membrorum proportionem, pulchritudo ad perfectionem quantitatis debitam pertineat: Et secundum alios species ad humanitatem, pulchritudo ad diuinitatem referatur; quæ sola mente percipi potest: Intende scilicet arcum & impetum tuum, vt Dæmonem longe propulses, & hominum procurationem intentã habe, prospere procede, idest ad omne opus bonum fideles directe currere Iube, & in ijs regna qui prospere incedunt; vel virtute perfice quodcunq; cupis, & regna, idest dominare ijs, qui tibi obstiterunt; vel intende idest pereuntem hominem miseratus respice, prospere procede liberans homines, & per fidem in gentibus regna, quod iam factum est. Hieronymus legit, & decore tuo prospere ascende, idest feliciter progredere ad opus, ad quod te pater tuus mittet. Nec moueatur quisquam, quòd imperando dicat Dauid, intende; Scripturæ enim mos est optãdi modos sic formare, vt sãctificetur, idest vtinam, & adueniat, idest utinam ad ueniat.

Propter

Propter veritatem, & manſuetudinem, & Iuſtitiam.

IDeſt propterea, quòd verax es promiſſiones exequẽdo, mitis & Iuſtus; nam propter veritatem Iudæorum ſimulationem arguebat, propter manſuetudinem omnia probra tolerabat, propter iuſtitiam, cum peccatores ſeruabat, & Dæmonem damnabat; regna inquam, vt exemplo tuo omnes ad veritatem manſuetudinemq;, & æquitatem perducantur, easq; diſcãt, qui ſub tuo dominatu degunt.

Et deducet te mirabiliter dextera tua.

IDeſt ad recti facta deducet te dextera, ideſt virtus tua nullius externæ opis indigens, ipſa enim ſibi ipſi natura ſufficit, neque conſultoris ad procurandam ſalutem orbis; nam ſatis eſt ad hoc præſtandum potentia tua, & ad videndum ea, quæ agenda ſunt, ſinemq; his imponendum; admirabile uero eſt, quòd morte mortem deſtruxiſti, paradyſum aperuiſti, ſpem ſurgendi dediſti nobis, et immortales nos reddendi. Qui etiam ex præſcripto Dei agit, à potentia eius mire ducitur, eaq; tanquam itineris duce ad Saluatorem vtitur.

Sagittę

Sagittæ tuæ acutæ populi ſub te cadent, in corda inimicorum Regis.

PRepotentes ſermones tui tanquam tela per acuta in corda inimicorum Regis, ideſt tuorũ, o Chriſte, qui ſunt peccatores omnes, vulnera inflixerunt, vt per hyperbaton, ideſt tranſgreſſionem legatur, quibus vulnerati omnia quæ ſibi impedimento erant abijcientes, te ſequi decens eſſe iudicarunt, & ſic ab inimicitia diſceſſerunt: Ac populi qui ſe erigebant his telis tranſuerberati ceciderunt, & ſe tibi ſubieeerunt, ſicut Saulus Chriſtum execrabatur, & erectus erat, in terram corruit, & occiſus eſt inimicus Chriſti, ut ex hoſte factus amicus, eius diſcipulus viuat. Vel ſagittæ, id eſt apoſtoli per totum orbem ad euangelium peruulgãdum miſſi, iuſtitiæ operibus corruſcãtes hoſtes proſternere, & populos pedibus Chriſti ſubigere potuerunt, in eorum animos penetrantes, quibus ſagittis animæ illæ quæ fidem ſuſceperunt, confixæ ſummo in Deum amore exarſerunt. Sagittæ quoque virtutes Chriſti ſunt. Et iuſtitia quidem Chriſtus iniuſtum ferit, prudentia imprudentem, patientia iracundum; ante omnes autem fidei ſagitta emitti debet; primum enim eſſe Deum credere oportet. Aliqui ſic legunt, Populi ſub te cadent, propterea quòd ſagittæ tuæ in eorum corda penetrarunt.

Sedes

Sedes tua in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga regni tui.

QVoniam Chriſtus Deus, & homo eſt, ideo cum de humana eius natura diſſeruerit, nunc de diuina, ac de ſublimi eius poteſtate ſermonem habet. Sedes tua, ò Deus Chriſte; filium enim alloquitur, ideſt regnum tuum vltra omnia ſæcula, & omni intelligentia antiquius eſt; probe vero poſt populorum ſubiectionem Dei magnificentiam commendat, Virga regni tui eſt virga directionis, quia homines dirigit; curui enim erant; & diſtortos ad rectam virtutum ſemitam huiuſmodi exemplis perducit, iudiciariaq; poteſtas; correctrix enim, & Iudex in caſtigando recta, & non obliqua eſt, nec prauitatis quid habet; Inquit namq; Dauid, ſi filij mei legem meam dereliquerint, in virga eos viſitabo; Virga autem, & ſceptrum regnantis inſigne eſt; nam in iuſtitia Chriſtus regnat:

Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.

ITerum ad humanitatem reſpiciens ait, Dilexiſti iuſtitiam, ideſt mandata patris impleſti; in te enim non iuſtus ſolum, ſed & in alijs iuſtitiam diligis, & odio habuiſti iniquitatem, ideſt iniuſtitiam non homines, quos creaſti, quaſi dicat, cęteri homines exercitatione, labore, ac ſtudio ad bonum ſæpe afficiuntur, & à malo ſe auertunt; at tibi natura, hęc ad bonum proprietas inſita eſt, & à malo ſegregatio. Sed nec nobis hoc erit difficile, ſi velimus, ac nobis Deus propi-

tius sit, & amorem iustitiæ, & iniquitatis odium cõcipere. Nam omnem facultatem animæ rationali ad perfectionem Dedit Deus sicut dilectionis ita, & odij, vt à verbo, & ratione directi virtutem amplectamur, & vitium fugiamus.

Propterea vnxit te Deus oleo lætitiȩ præ consortibus tuis.

I*Deo ò Deus fili, Deus pater te vt hominem pro puritate conscientiæ, & gratiæ plenitudine vnxit regem, ac sacerdotem oleo lætitiæ, idest spiritus sancti, qui nos ad lætitiam atque exultationem adducit; Nã Christus natura vnctus, nos per gratiam, quia in illo plenissime fuit diuinitas, sanctis vero ex parte gratia tribuitur. præ consortibus, idest præ participibus tuis, vt legit Hieronymus, apostolis scilicet, & alijs in quos gratiȩ vnctio influxit; vel super homines vniuersos qui Christi participes sunt; cum Christo autẽ in nomine cuncti reges communicant, qui omnes Christi, idest vncti appellantur.*

Myrrha, & gutta, & casia à domibus eburneis ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.

M*Yrrha pars crassior appellatur, & sepulturæ symbolum est siue nota, qua cum Ioseph Iesum sepeliuit; gutta siue stacte illius tenuissima pars est, quæ quatenus fluida est, in guttam se vertit, quarũ*

altera

altera pars crucem, altera ad inferas partes descensum ostendit; omnis enim gutta deorsum fertur; casia vero odoratissimus quidam cortex est: Hi igitur odores à vestimentis tuis fluxerunt, idest ab assumpta carne, qua velut vestitu se induit diuinitas; siue à corpore, & anima eius, vt corporis mortem absq; corruptione, & animæ ad inferos profectionem significet. His etiam odorationibus boni virtutum odores innuuntur; myrrha enim carnis cruciatus, gutta humilitas, casia fides intelliguntur, qui odores à vestimentis, idest à sanctis tuis electis afflantur, necnon ab ecclesia tota, quam sicut vestem tibi copulas sine macula & ruga; Et à domibus eburneis; *idest pretiosis ornatisq;, ac templis magnifice extructis, ex quibus, idest propter quos odores fideles illi, qui egregia in te fide ducti magna ædificarunt templa, te delectauerunt in honore tuo, idest honorare cæperunt; & filiæ regum terrenorum, sicut Catherina, lætitia affecerunt, diuinitatem tuam fide, & charitate perfecta gloriosam reddentes, quia patrum honorem non æstimarunt, sed tuum domine; Vel iuxta Anagog. à domibus eburneis, idest sanctorum cordibus, quia inde filiæ Regum, idest apostolorum animæ videlicet sanctæ credentes te delectatione perfuderunt, quæ sacra ablutione rursus genitæ non ficto animo te colunt, Ciuitates etiam intelligi queunt à Regibus conditæ, quæ in Christum crediderunt.*

Astitit Regina à Dextris tuis in vesti tu deaurato, circundata varietate.

H*Ic à sponsa sponsum laudat inquiens, Regina, idest ecclesia, quia cum sponso suo regnat, quæ iam supra firmam petram fundata est, astitit semper Deo inhærens à dextris, vt honorem significet, quem consequetur tanquàm illius sponsa existens, nam quæ à sinistris ancilla dicitur, cuius filias in communi credentium animas, aut proprie virginum choros intelli gere possumus*; In vestitu deaurato, *idest doctrina sapientiæ, fulgentis quæ vna est*. Circundata varietate *omnium scilicet linguarum, quæ ad vnam fidem spectant, aut vario sapientiæ Dei ornatu, & cul tu, aut vestitu splendido idest sacri baptismatis, quo Christum induimus, & veste spiritus sancti varijs or nata virtutibus. Hieronymus tantùm legit, stetit coniunx in dextera tua in diademate aureo.*

Audi filia, & inclina aurem tuam.

H*Actenus propheta, nunc persona patris introducitur ad filij sui sponsam sermonem habentis, ac monet ipsam, vt in contemplatione mentem exerceat; vel eam alloquitur propheta tãquàm è patribus vnus, & ait, audi filia, vt potè ex aqua, & spi ritu sancto rursus genita, scilicet euangelium, & vide, idest considera Deum ipsum, & quæcunq; pro te tu lit*

lit ſponſus tuus, & mirabilia quæ fecit; & quia audi re parum eſt, erectam arrogantiæ ceruicem inflectẽs aurem tuam inclina, ne ad fabulas externas decurras, ſed humiliter ſermonem euangelij auſculta, & ad hanc doctrinam aures admoue.

Et obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.

ET *quia eccleſia gentium parentes, & maiores idolorum cultores habuit, ei conſilium dat, ne prauæ conſuetudinis paternæ veſtigium vllum perſequatur, inquiens, obliuiſcere, ideſt prauos illos mores, & dogmata patria obliuione dele, & Domum, ideſt templum Dęmonis patris tui; omnis enim, qui peccatum committit, ex dæmone natus eſt; Hoc ad cuiuſq; animam credentis etiam referri poteſt, quòd prioribus vitijs relictis in filiam adoptetur, Et aurem inclinet, veterisq́; conſuetudinis amplius non recordetur: Quid ad hoc Iudæi reſpondebunt? Non dubium eſt quin filiam iſtam Synagogam dicant, & quomodo ei dicitur, dimitte populum, & domum patris tui? nunquid derelinquent hebręam gentem, & Abraam antiquum patrem? minime, ergo de ea non loquitur, cum lege cautum eſſet, ne à patrijs moribus recederent.*

Et concupiſcet Rex decorem tuum, quia ipſe eſt Dñs Deus tuus.

Q*Vem in te fecit, ideſt animæ pulchritudinem, nõ qualiſcunq; Rex, ne vnum de turba exiſtimes, non prior pater Dǽmon, non angelus, ſed Dominus*

Deus Rex tuus, non modo sponsus, à quo decorata, redempta, & sanata es. Et Adorabunt eum. *Hieronymus legit, Et adora eum, idest eum debes adorare, ac venerari, quæ sponso tuo placere cupis. Septuaginta dixerunt, & adorabunt, vt sensus sit, iste qui te amaturus est, qui pulchritudinem tuam dilecturus, Deus est ab omnibus populis de quibus facta es, adorandus & venerandus.*

Et filiæ Tyri in muneribus.

I*Dest filię gentium venient aliquando cum muneribus, offerentq; dona, & se subijcient, eleemosinasq; largientur, quia vult Dominus, vt in cælo Thesauros condamus. Tyrus enim Chananitidis regionis metropolis est, in qua idolorum cultus maxime vigebat. Hieronymus legit, filia fortis, vt idipsum ad Deum referat, idest vt fortissimi filia nuncupetur, vel ipsa fortis, quia fortem patrem imitatur. Græci quoque filia Tyri, quæ antea superstitionibus imbuta, nunc filia Dei vocata est, & Christi sponsa.*

Vultum tuum deprecabuntur oẽs diuites plebis.

I*Dest caput tuum Christum omnes diuites plebis, quæ filiæ Tyri sunt, deprecabuntur, idest venerabuntur, atque ei supplicabunt; Deinceps vultum, id est faciem ecclesiæ sacerdotes videlicet, quos ipsi Reges honorabunt, vt potè illorum salutis deprecatores; Et qui diuites existimantur in hoc sæculo, sapientes mundi huius, & philosophorum disciplinis eruditi.*

Vel

Vel qui antea diuites erant de populo Israel testamenta, & prophetas habentes conspectui tuo preces fundent, quòd consors regis facta es; vt enim ante Saluatoris aduentum ij, qui de Tyro erant, idest ex populo gentium Israel populum diuitem precabantur, vt ab eo introducerentur in templum, sic post eius aduentum quicunque ex Israel quondam familiaritate Dei diuites fuerunt, ad filiam Tyri nunc gentium ecclesiã confugient, & offerentes dona varia obsecrabunt eã, vt salutem quam in Iudæa amiserunt; inter gentes recuperent.

Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbris aureis circumamicta varietatibus.

D*Ecor eius scilicet filiæ Regis idest sponsæ Christi, quæ in posterum per adoptionem filia Regis facta est, ab intus est, idest ornatus eius in anima est, & in conscientia, in menteq́; conspicitur.* In fimbris, *quę à vestitu pendent, & finem hominis, vel mundi significant, non deauratis, sed aureis, quia in fine tota perfectio est, vbi charitas plena inuenitur, idest in doctrina sapientiæ, in multiplicibus virtutibus circum amicta, quæ est regina extrinsecus varietatibus linguarum, siue gentium, ac diuinorum donorum. Hieronymus legit, fascijs aureis vestita est, & idem significat, quod supra, omnis gloria ab intus, fascijs enim diuinorum sensuum interiora ecclesiæ membra obuoluũtur, nec harum fasciarum sponsa obliuisci potest; pro*

Circumamicta varietatibus, *in scutulatis inquit, Hieronymus cum sequenti versu copulans quod his or nata sponso suo Regina coniungitur. Scutulatas au tem vestes eas vocat, quæ aranearum retibus similes esse perhibentur.*

Adducẽtur Regi Virgines post eã, proximę eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione, adducentur in tẽplum Regis.

V*irginitatem introducendam prædicit, post eccle siam constitutam, stabilitamq́;; apostolorum enim doctrinæ amore captæ multæ postea virgines Christo se dicarunt, inquit igitur, adducentur Dei gra tia virgines post eam non omnes; sed quę in vasis suis oleum habuerunt, & quot quot cum castitate elemosi nam, & alias virtutes coniunxerunt; Et sponsam adolescentulæ tanquàm ancillæ sequentur, & eius ope ra in familiaritatem Regis venient; Et proximę eius idest ab illa non alienę, sed ad eam pertinentes, si ue quę in moribus, & fide vna conueniunt cum ipsa ecclesia, sicut pudicę mentes, quę proximum virgini bus locum obtinent, & continentes tibi ò Rex ministe rio angelorum afferentur, afferentur autem in lętitia interiori scilicet, & exultatione exteriori ob recte fa ctum, & honestum institutum, & duplici gaudio affi cientur, cum duplicem quoque corporis nimirum, &*

animæ

animę sanctitatem pręstiterint. Adducentur in templum Regis siue in ecclesiam præsentem, siue in domũ regiam ducentur, regno cęlorum dignę factę, quoniã proprium earum templum purum, & integrum Regi conseruarunt.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram.

QVoniam supra ecclesię pręceptum est, vt patris, ac populi sui obliuiscatur, quò vbedientia compensetur, tunc ipsa pro patribus filios accipit tot, ac tantis dignitatibus excellentes, vt eos super omnem terram, non enim vno loco continetur ecclesia, principes constituat. Ex persona igitur patris ad filiam sermo intelligi potest, idest filij qui à te orti sunt, pro patribus tibi existant; eos namq; patres habebis, quos ipsa genuisti, quia eos principes creabis; aut ò ecclesia filij tui à te geniti in patres tuos vertentur, cum ex discipulis eos magistros effeceris. Sed qui sunt ecclesię filij qui vniuerso orbi imperarunt, nisi apostoli, & consequenter, qui eos postea imitati sunt episcopi, & doctores? Dicant nunc Iudęi, quos filios habuerint, qui totius orbis terrę principes constituti fuerint, cum ipsi vniuerso seruiant. Vel ad Christum, & Saluatorem patris siue prophetarum sermo est: inquiunt enim pro ijs, quos secundum carnẽ patres habuisti, & pro stirpe Iudæorum, qui te reliquerunt, nati tibi sunt filij, apostoli scilicet euangelij

sermonem

sermonem audientes, & ex nationibus credentes, quos principes elegisti dicens illis, Euntes docete, quia primi donis sancti spiritus affecti sunt, vel quia primi ecclesias rexerunt, & doctores nostri fuerunt.

Memores erunt nominis tui domine in omni generatione, & generatione, propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in sæculum sæculi.

QVi nominis tui recordabuntur, illudq; vniuerso mundo annunciabunt, quiq; postea vsque ad extremos terræ fines tuorum mirabilium gestorum testes facti sunt, & successores eorum concionatores singulis ætatibus perseuerant; sed aliter à Græcis omnibus, & latinis multis legitur (memor ero) vt ecclesia Dominum suum alloquatur, inquiens, in omni ætate nominis tui memoriam tenebo; prædicta enim filia Regis ecclesia hæc militans promissis fidem habens, gaudio, & exultatione plena hymnum magno Domino, qui hoc eam munere affecit, pro agendis gratijs canit, & pollicetur se nominis sponsi recordationem habituram, quod ipsum quoq; præstat, & promissum exoluit, cùm Christiana nuncupetur, & hac Christi appellatione glorietur ornata. Et quoniam ego filia tua nominis tui memoriam nunquam intermitto, ideo non ab re populi, quos dicto audientes habeo. singuli congregati in æternum, idest in præsenti sæculo, & in sæculum

culum sæculi, id est in futuro confitebuntur tibi, id est gratias agent; & dum carminibus à me editis vtētur, salutem ipsis concessam, & multo ante illis promissam discentes te authorem beneficij, ac largitorem celebrabunt. Psalmus hic suauissimus est, cum in eo Dauid nuptiarum Christi cum ecclesia, copulam illam scilicet felicissimam filij Dei cum humana natura concinat. Ex quo multa in precibus natalis Domini, & beatæ Mariæ Virginis, & sanctarum Virginum, ac beatorū apostolorum ab ecclesia vsurpantur, quæ quanquam aliter in interpretando psalmo à nobis exposita fuerūt, pia tamen intelligentia supradictis diebus festis accōmodari queunt. Ac nempe notandum est, quæ hic de ecclesia sancta dicuntur, ad Diuam Virginem Mariā optime referri; Quid enim ea excellentius cogitari potest, quæ & virgo, & mater fuit, & sine macula vixit? Virginibus vero congruunt ea verba, adducentur, & apostolis illa, pro patribus nati sunt tibi filij. Quare canticum hoc in ore nostro assidue versari debet, cum sponsi, & sponsæ laudes recitemus. Sed cauendum est, ne nobis obijciatur, quod ait Dauid, quare assumis testamentum meū, per os tuum, tu vero odisti disciplinam. Nitamur ergo, & ore, & mente sinceri, ac puri esse, vt digne Dominum Iesum Christum, ac beatissimam eius matrem debitis, ac miris laudibus celebrare valeamus. Nosq; non pigeat laborare, vt tales euadamus, qui ecclesiæ filij boni nominemur; quod impetrabimus, si omnia fugere vitia, & humilitatem maxime amplecti statuerimus, totamq; nostram cogitationem in contemplanda Iesu Christi boni-

tate.

tate, ac mansuetudine, nec non eius misericordia fixerimus, atque in perpendendis tot illius erga nos beneficijs, ac præsertim in consideranda ipsius incredibili humilitate, cum pro nobis serui formam suscepit, meditatione assidue versabimur; quod vt nobis pro sua immensa benignitate præstare velit Dominus Iesus Christus, eum orare; & obsecrare non intermittemus; qui viuit, & regnat æternis sæculis gloriosus amen.

IN PSALMVM L.

MISERERE MEI. ETC.

ANtequam ad titulum Psalmi huius veniam, historia breuiter mihi attingenda est. Dauid cum ex pastore ouium creatus, atque vnctus fuisset Rex, ac postea in periculum capitis, ac vitæ discrimen à Saule sæpè vocatus, & tandem eo mortuo, & Ionatha filio eius à Deo liberatus, regnum Iudæ obtinuisset, quadam die ociosus inambulans in penetralibus domus superioribus, mulierem honesta facie, ac liberali, Bersabeam nominatam, e regione vidit, cuius amore captus eam accersitam prægnantem effecit; cumq; ipse dubitaret, ne sibi ignominia in promptu esset, Vriam eius virum hostibus prodendum, atque interficiendum curauit, ipsamq; in vxorem duxit. Itaque non ferens hanc iniquitatem Deus misit Nathan, qui Dauidi denuntiaret, se stupri cædisq; vltorem fore. At ille sub exemplo diuitis, ac pauperis, & sub similitudine ouis perditæ officio functus est.

Tunc

Tunc ad se rediјt Dauid; non enim magnitudinem, ac delicti sui grauitatem perpenderat; & statim confessus est, & peccatum ei condonatum fuit. Quæ illius confessio ad omnes peccatores accommodatur; est enim cuiuslibet etiam infimi, nedum Regis hæc oratio verè pœnitentis, ac deuotè veniam petentis; & ideo ea plus etiam in Ecclesia frequentatur, quoniam magna ostenditur humilitas. Ac Psalmi huius materia hæc est, peccati remissio; tres quidem superiores ad illas pœnitentiæ partes spectant; quartus verò hic ad illius effectum pertinet, in quo ostenditur, quomodo pœnitentia ipsa in perfectionem pristinam hominem restituit. Verum sciendum est diuina permissum esse prouidentia, vt sanctis viris oblata fuerit occasio peccati, vt quemadmodum illi virtutis, ita pœnitentiæ magistri fiant: atque hæc vna est caussa, cur sanctorum facinora in sacris litteris describantur: altera est, vt tum ipsi, tum aliј nec efferri doceantur, si non delinquant, quasi virtutibus suis, non diuino auxilio id ascribere debeant: deserit enim illos interdum gratia diuina, ne propriæ virtuti, constantiæq; confidãt; at vbi lapsi fuerint iј, naturæ suæ imbecillitatem agnoscant, & ad Deum liberatorem confugiant. Quinquagesimus autem hic ponitur Psalmus; in quo de peccatorum remissione agitur, quia hic quinquagenarius numerus misericordiæ admodum conuenit: Nam si Spiritus Sanctus, qui hos digessit, historiæ ordinem obseruasset, quinquagesimum primum, & tertium prætulisset. Cæterum inscribitur, In finem Psalmus ipsi Dauid, quando venit ad eum Nathan, cum ad

Betsabeam

Betsabeam intrauit. In finem quidem vt declaret prophetiam, & prædictionem suam finem habituram: prædixit enim ipsius Hierusalem instaurationem; gratia enim Sancti Spiritus eum prorsus non deseruerat. Illud verò, quando, *tempus aliquanto post futurum significat: non enim statim, vt ipse Dauid ad Betsabeã ingressus est, sed paulò post Nathan venit. Vtilis est Psalmus hic, & iustis, & peccatoribus. Iustis quidem, ne cadant, nec per negligentiam, atque desidiam obtorpescant, peccatoribus verò, ne desperent ipsi, seq; despiciant. Itaque acrius contra felicitatem inuigilandum est; Nam si magnum animaduertimus lapsum esse, parui an non metuere debeant? Diuiditur autem in duas partes, primum enim misericordiam implorat Dauid; deinde se abunde satisfacturum pollicetur inquiens.*

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

DOmine Deus, qui comprehendi nequis, quiq; ipsa es bonitas, & sapientia, miserere mei peccatoris; inexplicabile namq; illud est facinus, quod ego commisi, secundum magnam misericordiam tuam, & vulneri meo graui magnam medicinam adhibe. Cur autem totum in se misericordiæ fontem petit Dauid effundi, nisi cum ei condonatum fuerit peccatum, vt cicatrix deleatur, & ipse pristinam pulcritudinem recipiat, atque recuperet? Et ideò ad communem peccantium portum, atque consolationem confugit dicẽs, incredibilem miseriam meam confiteor, & propterea

ingentem

ingentem misericordiam tuam requiro, quæ diffiniri non potest, quanta sit, est enim infinita, nec potest percipi, omnem superans sermonem; eamq; toto animi affectu imploro.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

EVndem sensum repetit supplicantium more inquiens, cum peccata mea multa, & maxima existant, & ad ea abstergenda miserationibus multis opus sit, tu Domine secundum earum multitudinem, quæ à mundi initio abs te exhibitæ fuerunt, iustis quidem, vt innocentiam seruarent, peccatoribus verò, vt se ad iustitiam conuerterent, dele iniquitatem, vt vestigium nullum reliquum sit, quæ græcè ἀνομία, cum legis transgressionem significet, illius se preuaricatorem fuisse fatetur. Dele, inquam, & pœnam, nec eam mihi ascribe: At nonnulli videntur inter misericordiam, & miserationem, seu miserationes discrimen ponere, quòd misericordia vna sit, miserationes multę, quasi ipsius opera; sed cum alicubi dicatur, misericordię tuę multæ Domine, & misericordias Domini cantabo: Item alibi: miserationum Domini recordabor, & in miserationibus tuis prosternimus, idem opinor esse misericordiam, miserationemq;, & earum effectus numero, & multitudine plures, atque adeo infinitos esse, & appellari; quam meam sententiam cum plerique alij, tum pręcipuè D. Augustinus inquiens:

Et

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: *idest, secundum magnam misericordiam tuam probare videtur.*

Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

DElicti quidem venia iam tributa erat, sicut ei Nathan dixit; verum prę maximo mentis ardore amplius se lauari cupit, vt omnes iniquitatis maculę deleantur, eluanturq; : spiritu enim baptisma, & ablutionem pręuidebat. Idcirco ait, rursus ablue me Domine ab iniquitate mea, quę cede admissa est iustitię contraria, & ab adulterio, quod commisi, munditię prorsus oppositum, me mundum redde; promiscuè autem eandem actionem appellat iniquitatem & peccatum, cum tamen ea differre supra diximus.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.

QVid fecisti dignum, vt hoc assequare Dauid, & hanc perfectam ablutionem impetres? Quoniā sceleris à me editi nunquā memoriam deposui, nec velut de regia dignitate glorians illud contempsi; Nam quamuis id homines lateat, illius tamen grauitatem perpendo, & animi, conscientięq; meæ peracerbè animam meam cruciantis oculis die, noctuq; cerno.

Et peccatum meum contra me est semper.

QVia singulis diebus delicta mea putrida magis fieri perspicio: Nam etsi aliqui agnoscunt ea, non detestantur tamen, aut certè breui tempore odio habent. Sed vicissitudinem hanc consideremus: Dominus Deus Dauidi misericordiam suam impertiuit, is autem criminum suorum confessionem detulit, etsi parum, quicquid tamen habuit. O mentis integritatem, peccati sui obliuio eum non cepit, licèt sibi indultum fuerit, quod in conscientia sua tanquàm in imagine homicidium adulteriumq; depictum ferebat: peccatum tamen adhuc contra illum non erat, neque ab eo animaduertebatur; quando tam seueram de oue sententiam tulit; cum autem Nathan venit, & ob oculos eius peccatum posuit, tunc contra se dictum fuisse sensit, & fatendo statim vehementer ingemuit: simile de adultera aduersum Iudæos fecit Iesus. Verũ sunt non pauci, qui tribus de caussis peccata non recognoscunt; primum quòd delicti grauitate opprimitur ratio; deinde quia non recordantur illi; denique quòd ab adulatoribus laudantur. Vnde ille valde felix est, qui errata sua agnoscit sicut Dauid fecit, cuius confessionem ex animo, vt apparuit, proficiscentem, si nos quoque scelerum nostrorum ablutionem assequi velimus, & à Deo misericordiam impetrare, imitari totis viribus enitamur.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.

CVm te solum factorum à me scelerum iudicem habeam, tibi soli, qui sine peccato es, & punire vales, peccasse me fateor, & subiectum esse, quòd leges tuas transgressus sum, & malum coram te, prauumq; gessi, omnia enim vides, quæ aguntur, quæq; agenda sunt, quod addidit, Deum à se tantum admitti facinus videntem non formidasse erubescens.

Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris.

PArticula, vt, secundum Græcos non reddit caussam, sed consecutionem significat; inquit enim scelus ἐνώπιόν, id est, in conspectu tuo magna mea cum pernicie edidi, vt quotiens tu mecum iudicaris, pro, iudicaberis, vel iudicatus fueris (vtroque enim modo ex Hebr. legit D. Hieronymus) & inter nos caussæ fiet disquisitio, tu quidem iustus, & irreprehensibilis appareas, ego autem reus, ac damnatus, tanquàm in benefactorem ingratus; vult enim Deus frequenter ad ostēdendam iustitiam suam nobiscum iudicari. Ac certè cum nota populo esset erga Dauidem Dei beneuolentia; quòd aduersa multa deinceps eueniebant, plebs ipsa mutationem mirari cœpit, ac in iudicium vocare Deum; Nonnulli autem huiusce rei rationem reddebant, quòd Dauid Deum deseruisset, vt ex hoc iustus

ipse

ipse Deus appareret,& in iudicio victor fieret: Quare David honorem Dei sibi anteponens, ait: Tibi soli peccaui, *& hoc testor palàm me grauissimè peccasse, vt omnes intelligant iustè quidem me supplicio propter scelera mea affectum iri, vt sermones tui, quibus tot ærumnas,& calamitates mihi minatus es,iusti,& veraces existant,& vincas, cum iudicatus fueris,nihilominus tamen perspiciant te verè,& non fictè pœnitentibus veniam pollicitum esse, atque promissa mihi de stabiliendo regno meo seruaturum. Aliqui,* vt iustificeris, *ad verba,* tibi soli peccaui,*adiungunt inquientes,præ te,qui solus iustus es,& præterea sermones tui iusti sunt, & sic particula,*vt, *caussam reddit, quasi dicat; tu adeo iustus es, vt iustificeris, vel si ad Christum referatur, tibi soli Christo peccaui, quia iustus es, & vinces omnes homines,cum iudicaris, idest, iudicaberis. Sed prior opinio à D. Paullo ad Rom. cap.3.confirmatur, qui citans locum hunc,* vt iustificeris,*vbi,* vt, *euentum rei cum dicat, David ait,propterea factum est, vt dum mihi peccanti promissa seruas, veracior appareres,ac iustior,vinceresq; illorum impietatem,qui te ob peccata mea,promissis non statu rum mentiebãtur, probat ipsius exemplo nequaquam ob peccatum, & populum Dei non credentem fidem, & promissionem irritam fieri,sed veracem illam semper remanere.*

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.

CVm nuptiæ nunc ob filiorum procreationem in honore habeantur; honoratum enim ob ſacramẽtum eſt connubium ipſum; natura tamen ex peccato proficiſcuntur. Dicit igitur Dauid, vt magis ad miſericordiam Deum prouocet: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum; *vel vt legit D. Hieronymus in iniquitate conceptus ſum, & in peccato peperit me, quò dubitationem quibuſdam tollat, cum originale peccatum origine vnum ſit, & propagatione, & vnicuiq; proprium inſit, quod merito Ieſu Chriſti aufertur, cur dixerit: in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit; quia virtute, ac potentia inſideant in eo peccata multa: Non enim Dauid ex adulterio, & inceſtu natus eſt, ſed quia ex Adam trahitur iniquitas, vnuſquiſque originali macula aſpergitur, ob quã ad alia delicta pronus exiſtit: Nam cum Dei mandatum in Paradiſo præteriiſſet primus homo, ac ſtatim ſanctitatem, atque iuſtitiam, ſibi, & eius poſteris, nobis ſcilicet amiſiſſet, & per offenſam preuaricationis, ob quam & corpore, & anima factus eſt deterior, non ſibi ſoli, ſed omnibus nobis prorſus obfuiſſet, inquinatus ille abiecta obedientia in omne genus humanum non modo pœnas corporis, & mortem, verum etiam peccatum, quod animæ mors eſt, transfudit, vt*

veriſſimè

verissimè dicat Diuus Paullus, peccatum per vnum hominem mundum intrasse. Itaque non est magnum, inquit ipse Dauid, si qua natus sum conditione viuẽs peccaui domine; Non tamen idcircò nobis affirmandũ est efficacitatem peccati à natura insitam esse, alioquin à pœna liberi essemus; at naturam ad facienda scelera procliuem esse, cum ipsa affectionibus perturbetur; Et ideo vincit ratio, & voluntas, cum laborum auxilijs adiutore Deo vtitur. Non damnat igitur nuptias Dauid, & matrimonij coniunctionem, vt aliqui opinati sunt; non enim cum coniugibus misceri peccatum est; hoc namque opus castum in eis culpam non habet, quòd Deus huiusmodi copulationem statuerit, sed parentes primos haud obedientes fluctuum originem fuisse dicit; Nam si non peccassent illi, delicto locus non relinqueretur; At quia peccauerunt, mortales effecti mortales filios procrearunt, & sic origo peccati debitam pœnam expetit, ac secum trahit; Non enim maritus, quia maritus mortalis non est, aut aliunde, nisi peccato mortalis est; meritò ergò in Adam omnes moriuntur. Verum si Adam ipse non peccasset, num eum cum Eua se coniungere, atque in Paradiso filios procreare oportuisset? Græci sentiunt nullum ibi futurum esse coitum; Latini verò contra aiunt filios sine vllo libidinis ardore nascituros fuisse, si positi illi in Paradiso in conditoris obedientia perseuerassent, vt Diuus Augustinus copiose, & D. Thomas probant.

Ecce enim veritatem dilexisti, incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

EGo quæ vera sunt, me scilicet deliquisse fateor, & non nego, quia veritatem dilexisti, & multa, atque impunita eorum peccata, etiam quibus ignoscis, non dimisisti, & ita misericordiam impertijsti, vt veritatem seruares; sic enim misericordia, & veritas custoditur; misericordia quidem, quia liberatur homo; veritas verò, quia peccatum punitur. Quæ incerta, & occulta, quòd parcat Deus, vel, vt legit D. Hieron. absconditum, & arcanum remissionis peccatorum meorum, & cognitionis tuæ à sapientia tua mihi aperta manifestum, atque conspicuum reddidisti. Ac certè docentis est, quod omnia futura, quæ Deus in sapientia sua posuit, illi à Spiritu Sancto patefacta sint; didicit enim Dauid, quòd pater filium haberet, ac licet in sua sede sit, futurus esset homo; denunciauit quoque eius aduentum, & quòd pro salute generis humani pati, & in crucem tolli deberet, atque à mortuis excitari, surgereq́;, vt ex illius Psalmis constat; Hoc autem dicit, quasi se ipsum erubescens, quòd cum eum Deus tanto sit amore prosecutus, vt arcana ipsi aperuerit, is tamen in illum ingratus valdè apparuerit.

Aſperges me Domine hyſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

A *Lludit ad veteris teſtamenti ritum, hyſopo.n. & aqua, cinereq́; vitulæ aſperſio perficiebatur, per quam ſanguine Chriſti peccatorum maculas eluendas eſſe ſignificabatur. Hyſopus enim herba eſt abſterſiua, & humilis; iuxta igitur illius translationem ait Dauid, cum veritatem diligas, velisq́; me in veritate ambulare, illa me aſperſione aſperges, quæ perfectius omnes maculas abſtergit, vt à vetuſtate peccati mundus efficiar: expiatio autem mihi per hyſopum fiet, cui Spiritus Sancti efficacitatem tanquã calorem inducentem, & ſordes omnes delentem comparat; lauabis me, quemadmodum nos, aqua baptiſmatis; ſola enim me illius gratia perfectè abluere poteſt, quam nobis Deus per Iſaiam daturum pollicitus eſt, inquiens, lauamini, & mundi eſtote.* Et ſuper niuem dealbabor, *vt intellectuali candore, ac ſplendidiſſimo eluceam, ſicut veſtis Chriſti in transfiguratione alba facta eſt.*

Auditui meo dabis gaudiũ, & lętitiã, & exultabunt oſſa humiliata.

Q *Vid mihi auditu iucundius erit, qoàm cum te peperciſſe mihi inſtillaueris, & te regnum eſſe firmaturum? ex abſolutione enim ac remiſſione peccato-*

 rum

rum gaudio me afficies, & ex promissione bonorum perfundes lætitia, & exultabunt offa, *idest, interiora mea humiliata, idest, ad terram inclinata, vel vt legit D. Hieronymus, quæ confregisti, & facultates animæ meæ rationalis per peccatum confractæ, vel vigor mentis, & firmitas gaudium consequentur. Aliqui ad Christum hæc verba spectare arbitrantur, vt Dauid inquiat: annunciabis mihi gaudium, illud nimirum inexplicabile carnis à te sumptæ mysterium, & ossa mea, quæ nunc prostrata sunt; præ summa voluptate exultabunt.*

Auerte faciem tuã à peccatis meis.

Amoue Domine non à me aspectum tuum, sed à sceleribus meis, quæ in tuo conspectu feci, cum tu omnia conspicias: Nam scit ipse Dauid, à quibus delictis Deus non se abducit, ea aduertere, & demũ animaduertere, atque mulctare. Si verò is illa perpendat, tunc Deum faciem, idest cognitionem abstrahere ab eis, ne puniat, perinde, ac si dicat, noli peccata mea ita cognoscere, vt ea mihi ad pœnam ascribas: Supra enim beatus, cui non imputauit Dominus peccatum; nam nisi in eis conniueas, minimè seruari potero. Quomodo autem ab intuitu delictorum nostrorũ Deum auertere possumus? nempe hoc pacto, si tot bona opera nauare, & virtutibus ita præstare conemur. vt a nobis nusquam Iudex oculos deijciat.

Et

Et omnes iniquitates meas dele:

IDest, commissa à me flagitia de libro tuo dele, vnde innocentiæ recuperationem petit, & non vnam tantum, sed omnes iniquitates elui; namq; vna ad trudendum nos ad partes infernas idonea est; ne minimum ergo peccatum negligamus; si enim vel leui macula aspersi fuerimus, nec Regis basilicam, nec aulam ingredi valebimus.

Cor mundum crea in me Deus.

ROgat, vt gratia innouetur, quia se docturum iniquos vias eius infra promittit; Et cum cor vltra propriam verbi significationem, intellectum aliquando, sententiam etiam, & aliquando, vt hoc loco, animam significet, non requiro, inquit, vt in me aliam animam crees; sed vt illa pristino candore fulgeat, quod mihi succedet, si sordes, in quibus ipsa hactenus iacuit, penitus eluantur; crea igitur, siue restitue cor tale gratia tua, vt illud de te semper cogitet, tibi gratias agat, te demum videat; hæc enim forma mundi cordis omnia expellit vitia, omnes ad se virtutes alliciens.

Et spiritum rectum innoua in visceribus meis.

DEnuò immitte rectum, idest firmum, quasi dicat fulcias, ac sanes mentem meam, ne amplius ea prona sit, ad & peccandum procliuis, sed vt viam Dei perficere

perficere queat: vel spiritum rectum, idest perfectum fac in me esse; is enim incuruus erat, cum in rebus terrenis totus erat defixus; rectus autem efficietur, cum ad alta erigetur, vt Deus illi fautor sit. Aliqui non vitalem in nobis spiritum, sed Dei spiritum exponunt, vt alibi spiritus tuus bonus: in visceribus meis. *intimas animæ partes, & occultas cogitationes significat, vt cor meum ad cognoscendum rectum sit.*

Ne proijcias me à facie tua.

R*Estitutionem gratiæ petit, ne me quasi indignũ custodia, atque diuina gubernatione tua abstrabas, atque auellas: cum enim Deus à nobis faciem auertit, statim Spiritum Sanctum amittimus, in quo omnis bonorum nostrorum prouentus iacturam facit.*

Et spiritum sanctum ne auferas me.

S*Cilicet prædicendi, qui mihi omnibus rebus est preciosior, ob flagitia, quæ admisi, vt calamitatem suam perspicuè ostendat: Et quoniam, qui mandata Dei custodiunt, Sancti Spiritus efficacitatem semel experti sunt, quæ ante præuaricationem Adæ nobis inerat, meritò petit eam à se non tolli, ne illius iactura iniquo animo sibi ferenda sit: vnde discimus Dauidem à Spiritus Sancti gratia penitus desertum non fuisse, quòd eius donum in confitente ipso habitauerit.*

Redde mihi lætitiam salutaris tui.

P*Ostulat sibi reddi, quod iam amiserat, idest, gaudium, quo ego afficiebar, cum à te conseruarer; gustaui enim quàm suauis sit Dominus, inquit. Antę*

namque

namque edita ab eo ſcelera lętam, atque hilarem vitam degebat, quod tantum cuſtodem eſſet conſecutus; & ſępè dicebat, ego autem in domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo: ſic quoque ait D. Hieron. Ieſu tui, quis enim ſine illo vnquam ſanari potuit? Itaque in eodem perſtat, vt firmitatem, ac ſtabilitatem rectæ voluntatis, ac ſanctorum operum à Deo impetret.

Et ſpiritu principali confirma me.

P*Rincipem illam animi partem, rationem ſcilicet imperantem intelligit, & ait, illa me gratia principali robora, quæ animæ affectionibus imperat, ac ad meliora dirigit, vt nullis perturbationibus à Chriſto ſeparari valeam. Nonnulli volunt hic intelligi Trinitatem, quòd de triplici ſpiritu, recto, ſancto, & principali hoc loco mentio fiat, vnde Spiritus dicitur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Sed ſatius eſt, vt perſonæ tantùm Spiritus ſancti interpretatio fiat, qui primùm in homine rectã mentem gignit; deinde eã ſanctã reddit; denique ipſum nobilẽ, ac principẽ efficit. Igitur illo me muni, vt in tuo obſequio perſeuerare queã.*

Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.

Q*Via ignouiſti mihi, & ſecurum me præſtitiſti nòn aſcriptum iri mihi, quod condonaſti, cùm me penitus ſolutum, liberumque dimiſeris, ac reddideris mihi lætitiam, ac ſpiritu me corroboraueris, quid agã, ne ſim ingratus? Docebo iniquos, eos videlicet, qui perſeuerantes in fide peccant tamen, vias tuas, miſericor*

diam

diam scilicet, ac veritatem, præcipuè ne proximum lædant, & vt eas maximè persequantur, hortabor, eroque illis patientiæ, atque conuersionis exemplar, vt sit supradictorum confirmatio, quòd Deus probos, & bonos interdum errare permittat, vt ipsi re ipsa pœnitentes, ceteros ad pœnitentiam erudiant. Ac certè præclarum est opus in via mandatorum errantes instituere: immo omnium diuinarum perfectionum hæc est potissima in reducendis ad Deum æternum animabus vnumquenque ministrum ipsius existere. Et D. Iacobus ait, qui peccatori autor fuerit, vt ipse se ad Deum conuertat, erroremque viæ suæ omnino deponat, illius animam seruabit: & multitudinem peccatorũ operiet. Et impij ad te conuertentur. *Impij, idest, infideles, qui non colunt Deum, nec vnquam coluerunt, inquit Dauid, tanta misericordia abundas, atque affluis, vt impijs, si ex animo ad te confugiant ipsi, & vias tuas discant, haud sit desperandum, ne miserationum tuarum potiantur, quibus te ipsum prædicare, & quis Beatæ vitæ propositus sit fructus, ac paratus, eos docere non desistam.*

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.

N*Onnulli de sanguinibus, id est, de sacrificijs cruentis interpretãtur, prout consequẽtia verba declarare uidẽtur, holocaustis nõ delectaberis; sed p̃stat dicere libera me à delictis, carne, & sãguine mihi uim faciẽte commissis; Et aiunt aliqui Dauidem iniquam Vriæ cædem innuere; Is enim maximam adulterij, ac cædis* cul-

culpam sustinebat, quorum alterum ex sanguinis feruo re prodit, altero sanguis effunditur, ideo opinantur illum de sanguinibus dixisse multitudinis numero, quòd in multis sanguinibus tanquam in origine carnis peccati multa scelera intelligi voluerit, perinde ac si diceret, ab iniquitatibus meis libera me: caro.n. & sanguis regnum Dei non possidebunt.

Et exultabit lingua mea iustitiam tuam.

L*Audabit, atque narrabit cum summa delectatione, & interiori gaudio iustitiam tuam, qua me iustum effeceris, liberationem culpæ, & erratorum veniam mihi tribuens.*

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

I*N ore aperiendo vbique in scriptura significatur profunda doctrina, vt Iesus aperiens os suum docebat, ait ergo Dauid monitus ante a Spiritu sancto, noui, quòd tu labia mea aperies, vt hymnos, & laudes tibi concinam, sicut ante admissa à me flagitia aperta erant; nam impresentiarum ob damnationem occlusa sunt. Et os meum laudem tuam, quòd sanctus, pius, & misericors es, & quòd peccantem me non reliquisti, mundumque reddidisti, semper annunciabit.*

Quoniam si voluisses, sacrificium de dissem vtique, holocaustis non delectaberis.

His verbis perspicuè demonstratur, sacrificium nullo pœnitentię tempore ab eo oblatum fuisse, nec in libro Regum constat, quare? quia etsi tempore suo victimarum sacrificia immolabantur, spiritu tamen pręuidens futura Dauid, Deum huiusmodi sacrificijs minimè delectari pespexerat: non enim illa ad expianda cædis & adulterij crimina satis idonea erant; sed is acriora omninò supplicia perferre statuerat, vt quo ad eius fieri posset, iram Dei in eo puniendo mitigaret, ac probibetet. Inquit igitur, si sacrificia illa, quæ lex iubet, accipere tibi libuisset, obtulissem vtique; sed tu ὁλοκαυστα *licèt omnibus alijs honoratiora sint, non suscipis, immo respuis, inquiens, nunquid carnes taurorum edam, aut hircorum sanguinem potabo? At cur in lege veteri hęc fieri mandauit, & eorum odorem sibi suauissimum esse testatus est? duplici nimirum ratione; primum, quòd interius illud sacrificium designabant, quo Christus se obtulit; & quatenus homo Deo animã suam offert; Deinde propter rudes, qui Deum non nouerunt, ne hostias idolis immolarent, ad quod facinus valde proni erant. Ac postea quamuis Dauid sacra peregisse arguatur, non consultò, & cogitato fecit, sed non seruandæ legis occasionem populo ne pręberet, & quia sacrificij noui dies nondum aduenerat.*

Sacrificium Deo ſpiritus contribulutus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.

QVid igitur offert Dauid? nempè ſpiritus compuncti, & nimio mærore, ac dolore ſcelerum ſuorum fracti, atque deiecti ſacrificium: Nam animus ſic voluntariè demiſſus, & humilis gratiſſimum, & Deo valdè acceptum reddit ſacrificium: Atque humilitatem illam Animæ, vt maximum pote ſacrificium [dixit.n. cor pro anima, quia illius ſedes eſt] à qua ſubigitur ſpiritus noſter, cùm rectè factis non extollimur, atque gloriamur, memoriam verò facinorum noſtrorum perpetuam retinemus, non deſpicies, nec ſpernes Domine propter bonitatem tuam, neque procul aſpectum tuum à me amouebis, ſed me lachrimis confectum, ac pœnitentia contuſum graui, conſolabere clementia, ac miſericordia tua.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Syon, vt ædificentur muri Hieruſalem.

HIc vaticinium, & prædictio patet: ſupplicat enim pro noua ipſius Hieruſalem ædificatione, quæ poſt reditum è Babilone futura erat, & ait: benigne fac Sion, id eſt, ipſi Sion bona facito in bona voluntate tua, in auxilio videlicet, & ope tua, vt muri eius

eius extruantur, & templũ ædificetur, ſicut Salomoni filio meo pollicitus es.

Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta, tunc imponẽt ſuper altare tuum vitulos.

Nam tunc accipies ſacrificium iuſtitiæ, id eſt, quicquid iuſtè tibi offeretur, oblationes ſiue donaria ſacrificia illa, quorum pars aliqua offerebatur, & ὁλοκαύστα, quæ tota incendebantur. Tunc imponent miniſtri templi ſuper altare tuum vitulos, qui ſacrificijs ferè perpetuo deſtinabantur, quod pro ſacrificio, aut hoſtia qualibet apud veteres ſumerentur: non enim alibi, quàm in Hieruſalem ſacrificia tibi ritè fiunt, cùm ea tantũmodo in templo illo fieri lex iuſſerit. Doctores verſus hos duos ἀλληγορικῶς ſiue ἀναγογικῶς interpretantur dicentes, benignitatem hanc tuam oſtende non propter merita noſtra, ſed propter bonam tuam voluntatem, quæ nobis in filio tuo oſtenſa eſt, Sion, id eſt, fidelium congregationi, vt ędificentur muri Hieruſalẽ triumphantis, qui ſunt ęternitatis, & immortalitatis munimenta, quam Sancti per Chriſtum conſecuti ſunt, aut Angeli eam cuſtodientes; vel militantis Eccleſię, qui ſunt Epiſcopi, doctores, ac ſacerdotes; Tunc ſacrificium accipies, quo Chriſtus ſe obtulit, vel laudis, & gratiarum actionis, ſiue vniuerſę virtutis oblationes, ſanctos confeſſores, qui ex parte ſe obtuliſſe videntur,

tur, & ὁλοκαυστα martyres, qui animam, & corpus Deo penitus deuouerunt; Nam oblatio, id est, ipsa offerendi actio virtutem ex parte imminutam, ὁλοκαυστον perfectam significat. Et eodem tempore angeli, siue sacerdotes imponent super altare cæleste, vel super ecclesiam, & fidei confessionem vitulos, innocentes scilicet, eosq; qui virtutum ministerio pasti sunt, & sācti Spiritus gratia pingues effecti, quiq; dæmones fortium vitulorum instar cornibus petunt, denique eos omnes, qui omnibus suis numeris, & partibus perfecti, expletiq; sunt. Quos vtinam factis imitari, ac representare valeamus, vt Deo nostro adhærere, & tanto bono frui nobis liceat. Sed ab eodem Domino Deo auxilium nobis expetendum est, & lacrymis profusis enitendum, vt eum commoueamus, atque illius clementiam ad ignoscendum nobis, iuuandumque attrahamus: quod impetrare nobis non erit difficile, si Psalmum hunc planè diuinum, & sententiarum, ac verborum grauitate refertū in ore assiduè habebimus, atque illius scriptorem sequi studebimus, qui tantis donis iuuenis affectus, & Spiritus sancti domicilium existens cum grauiter ceciderit senex, tanto in mœrore, ac dolore iacuit post commissa flagitia, vt posteris exemplum fuerit, quomodo eos admodum pœnitere oporteat, qui similia scelera fecerint; adeoq; humilis, atq; demissus esse perseuerauerit, sciens totam disciplinæ Christianæ sapientiam in vera, & voluntaria humilitate consistere, vt omnes stupor premeret, cùm singuli tanti Regis demissionem animaduerterent. quo factum est, vt pristinam perfectionem consecutus sit, et maiorem etiā

quàm antea gratiam a Deo inierit. Quæ res cùm ita sese habeant, non desperemus nos quoq;, cùm vel dæmonis suasu, vel imbecillitate, ac naturæ fragilitate, vel mala nostra voluntate in aliquod graue crimen inciderimus, si resipiscamus, & Dauidis pœnitentiam ad memoriã reuocemus, ne non ipse Deus nobis sit propitius, ac misericordiam suam tribuat. Sed meum consilium ẽ, fratres carissimi, vt totis viribus adiutore potissimũ Deo, cauere conemur, ne illum offendamus oĩno, nec irritemus, quod haud difficulter assequemur, si in exequendis illius mandatis totã cogitationem nostrã, industriam, mentem deniq; oẽm locabimus, quod vt sine impedimẽto conficiamus, animos nostros ab istis terrenis, ac fallacibus bonis auocabimus, & ad cælestia, ac vera traducemus.

IN PSALMVM CI.

DOMINE EXAVDI, ETC. I.

Psalmus hic sic inscribitur: Oratio ipsi pauperi, siue pauperis, cùm anxiatur, & in conspectu Domini effundit preces suas. Cum Dauid omnes Psalmos secundum Græcorum opinionem, ac D. Augustini, multorumq; Latinorum composuerit, licèt D. Hieronymus oppositum sentire videatur, & secundum Hebræos huius Psalmi scriptor incognitus sit, dicimus ipsum imprimis hunc conscripsisse, vt se consolaretur, eo præsertim tempore, quo inimici eum insectabantur;

tunc

tunc enim pauper, & miser, mœstusq; Deum rogauit, vt eum adiuuaret. Deinde pro quolibet paupere pœnitente, qui diuino indiget auxilio, quotiescunq; ob hostes sibi infestos, siue illi videantur, siue non, in anxietate collocatus fuerit, oratione͂ ad dominum feruidam habet, vt misericordiam, & à molestijs præsentibus liberationem consequatur. Demum secundum aliquorum sententiam Dauid loquitur totius humani generis personam gerens, quod in ea est miseria, in quam ante Christi aduentum inciderat: siue introducitur Adam de calamitate sua conquerens, ac veniam petens. Nonnulli autem altius perspicientes ἀλληγορικῶς de Christo omnia ferè explicant inquientes, ne forte ille sit, qui cùm diues esset, propter nos pauper factus est, qui secundum serui speciem in se, & in membris suis, inter quos pœnitentes sunt, cùm propter peccatum primi hominis anxietate, & miserijs angeretur, in conspectu domini, per quem solum liberari potest, preces fundit pro pœnitente dilectionem suam, & dilectionis caussam cognoscente, & à peccatis absolui, & in pristinum petente statum restitui. Sed animaduertendum est, si quid capiti non congruat, de infirmitate corporis intelligi, & membroru͂ vocem in capite agnosci debere. Ait igitur.

Domine exaudi oratione͂ meam, & clamor meus ad te veniat.

D*Ominè Deus misericors, cùm me valde afflictum intueare, exaudi, obsecro, preces meas, & clamor meus ad te perueniat; in verborum geminatione petentis patet affectus, licèt per orationem aliqui ver-*

ba u... s exponant, per clamorem mentis propositum: clamo autem ad Deum venire dicatur, cum ab eo au ditus fuerit.

Non auertas faciem tuam à me, in quacunque die tribulor.

N*On amoueas à me benignissimum aspectum tuũ, nec me vt indignum vultu tuo negligas, in qua cunq; die crucior, non tantum tunc, sed donec vitæ su perstes sim; vel in quacunque die angor, ait, quia ca pu cum corpore torquetur, tanquam vnitas, si enim membrum vnum patitur, cetera condolent, hodie enim tu, cras alius cruciatur, & sic pro fidelibus cunctis, & omni tempore inuocat.*

Inclina ad me aurem tuam.

V*T illi faciunt, qui lenis hominem vocis cùm au dire diligentius cupiunt, vnà cum capite aures demittunt; Et tu domine tanquam excelsus humili, & sicut medicus infirmo, aures mihi tuas præbe. At scien dum est, quod visus in Deo est simplicior quædam re- rum cognitio, auditus verò exactior, & perfectior scientia, qđ visus ratione materiæ crassiora cernat, subtiliora percipiat auditus, prophetæ autem, vt supra diximus, ab humanis operibus diuina explicent.*

In quacunque die inuocauero te, ve lociter exaudi me.

R*Epetit idem, quia in repetitione affectus accendi tur, & ait, quocunque tempore auxilium tuum*

im

implorauero, citò audi me; peto .n. id, quod mihi te daturum pollicitus es: non ad terrena quasi terrenus, sed tanquam captiuus à te dudum redemptus ad cælorum regnum aspiro; huic ergò desiderio meo morem gere, quæso; dixisti .n. adhuc loquente te adsum, non enim infelicitas mea moram patitur. Nec ignorabat ipse Dauid vim orationis in eo esse, vt quæ ad veram salutem spectant, flagitemus, ideò se velociter exaudiri postulat.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei.

E*Xaudi me domine velociter, quia preterierunt dies mei, anni mei, ac tempora mea fumi instar propter elationem, & superbiam, ac sine fructu, & bonis operibus consumpta sunt, & quia anima mea contabuit, vt alibi, exaudi me, quia defecit spiritus meus: Ac certè nihil humana vita fragilius, & magis caducum est, quæ dum diuturna existimatur, sicut opinãtur ij, qui se sempiternos esse putant, & in peccatis perseuerant, statim aufertur, & effluit, non secus ac fumi globus ingens, qui paulatim, ac breuissimo momẽto euanescit: Et quanquam generatim hoc de cunctis, qui vitam viuunt, dici queat verè dies ipsos euanescere, atq; euolare, præcipuè tamen ad malos pertinere videtur, cùm à pœnitente psalmus pronuncietur, qui se dies suos consumpsisse fatetur; Illos aũt minimè consumptos esse dicimus, qui bonis in operibus nauandis ponuntur; non.n. id ad nihilum recidit, quod cum tam solida beatæ vitæ æternitate commutatur; Nam eorũ*

qui maculis carent, dies nouit dominus.

Et ossa mea sicut cremium aruerunt.

ET ossa mea sicut cremium, id est, vt caro cremata, seu frixa contabuerunt, legit D. Hieronymus. At possunt intelligi & corporis ossa, & animæ, seu spiritus, corporis quidem instar torris exiccata, & arida facta sunt, vt significet præ dolore animi macie corpus valdè confectum fuisse; animæ verò ossa, id est, fortitudo vel recordatione peccatorum, vel iudicij timore, quasi frixa contrahuntur: Et sanctiores illæ cogitationes, quæ animam fortem reddunt, & regunt, si tẽtationum igne acccensæ sint, debiles fiunt; vel ossa, id est, fortes, ac fideles, & boni prædicatores verbi intelliguntur, quia sicut per ossa corpus nostrum vegetũ est, ita per illos ecclesia sustentatur, ac regitur, quæ cum abundet infirmis virtutum fortitudine carentibus, perfectorum subsidio, indiget, qui, sicut Paullus, cum infirmis infirmi fiant.

Percussus sum vt fœnũ, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.

PErcussus sum in Adam, à quo miseria humani generis propagata est, & in nos deriuauit, & exsiccatus, atque aridus factus sum, quia præ mœstitia omnem cibi appetitum ita abieci, vt me ieiunitate exhauriuerim, antiqui enim, sicut Græci referunt, appetitum cibi memoriam, & illius priuationem eius obliuionem vocabant: vel, quemadmodũ herba Solis ardore exarescit,

ſcit, ita me flagellis cæſo cor, id eſt, anima extabuit, nulla mihi conſolatione adhibita, quòd flammam meã vitali rore rigaret, ac refrigerando mitigaret Vel verbum Dei, qui eſt panis animæ cuſtodire non ſum recordatus; Primus enim homo, qui panem in Paradiſo habuit, viſionis ſcilicet diuinæ delectationem, præcepti oblitus, & dæmonis ſuaſioni aſſentiens eum amiſit, venenumq; bibit; ſed nunc domino cruci affixo panem de cælo comedendi, vt viuatur, poſt obliuionem à me habebitur recordatio; ſicut enim vigor corporis pane corporeo alitur, atque fouetur, ſic anima cæleſti pane adeò indiget, vt ſine eo firma conſiſtere nequeat.

A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ.

A *Vero gemitu tollitur, & aufertur omnis ille adeps, qui inter carnem, & oſſa medius eſt; plerique enim carnem pro cute exponunt, perinde, ac ſi dicatur, præ mœrore conſumpta omni carne oſſibus cutis coniuncta eſt; Diſcant igitur pœnitentes, ſiue à tanto Rege, ſiue ab alio pænitente vero, qui propter gemitũ, quem fletibus teſtabatur, & propter nimium dolorem, adeò ſe exſiccauit, vt pellis oſſibus cohæreret. Quapropter quia oblitus ſum, inquit ille pauper, non pro terrenis. ſed pro æternis nunc gemo, & pro alijs, qui ob hæc caduca gemunt.*

Similis factus sum pelicano solitudinis, factus sum sicut Nycticorax in domicilio, vigilaui, & factus sũ sicut passer solitarius in tecto.

Sicut homines amaro animo, & afflicto affecti facere solent, vt solitudinem quærant, ac se ab hominum consuetudine abducant, sic pauper hic: Pelicanus est animal, quod solitudine admodum delectatur, ac velut Nycticorax, quem Hieronymus bubonem solitudinum, alij noctuam, siue coruum nocturnum appellant: quod est animal timidissimum à græcis ita vocatum, quia nocte clamet, vt innuat se quoque nocte clamare, nec à fletibus abstinere; & sicut passer, qui præ formidine vigilat, & solus in tecto degit, vel in tectis manet. Vigilaui enim, cùm me summus mæror somno priuaret, & manens in solitudine expectaui eum, qui me saluum præstaret. His etiam Christus se consimilem à Iudæis habitum esse ait, quia ab illis contemneretur, & eisdem odio esset. Diuus Augustin. loca tria, & tres aues notat, easque prædicatori verbi Dei similes facit, qui si ad eos accedat, qui Christum nunquam secuti sunt, est tanquam pelicanus: si ad eos, qui se Christo dediderunt, sæpè tamen lapsi sunt, sicut Nycticorax: si ad illos, qui in eo, quod credunt modico tẽpore ambulant, velut passer existat. Alij cum Pelicano eos conferunt, qui in eremo carnem suam macerant, cum Nycticorace, illos qui aspectum hominum fugientes animo compuncti, & in humilitate versantes,

domi

domi se continent, ac sedent: cum passere autem, qui claustra ingrediuntur.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me, ad uersum me iurabant.

CVm me isti lugentem conspicerent, timorem, ac miseriam mihi obijciebant omnes, qui me persequebantur, & qui prius me admirabantur, ac laudibus efferebant palam ore, fictè autem, vt mihi illuderent, postea aduersum me iuramento conspirationem confirmabant, atque insidias in me moliebantur, vt quacunque ratione me à pœnitentiæ proposito dimouerent; Quidam verba hæc à persona Christi dicta esse sentiunt, quòd exprobrabant hi mihi, quia veni, vt peccatores facerem membra mea, qui pœnitentiam agentes in corpore meo existant; Inde prosequebantur, dicentes, quare cum peccatoribus comedit Magister vester? Et vt fit prædictio, ac de Petro vaticinatio, qui se hominem non nouisse iurauit.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam.

PEr cinerem, & fletum pœnitentes significantur, quorum arma sunt cinis, & cilicium, per hoc enim conuiuium ad mensam Dei peruenire poterunt. Inquit ergò, si aliquando mihi cibi in mentem veniebat, panē cinere aspergebam, vel cinerem pro pane, vel cū pane

cinerem

cinerem edebam, & fletum, lacrymas scilicet cum potu miscebam eorum more, qui maximis calamitatibus acceptis valdè mœsti, nec cibum sibi afferri patiuntur, nedum an ille mundus sit, curiosè perquirant; hoc autem efficiebam, cùm alij, dum cibum sumerent, hilares essent; nihil enim mihi suaue, neque potus, neque panis erat. Huiusmodi verò verbis vitam suam summa mœstitia plenam esse indicauit pauper iste, vt nihil eam consolari posset.

A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans allisisti me.

HAec mihi euenerunt ob iram, & indignationem tuam, quam merui, quòd te peccatis irritauerim; nam olim me in cælum sustulisti, sed postea allisisti & confregisti, à pristino statu me decidere permittens, vel extulisti, & postea humilem me reddidisti, sicut alibi, exaltatus humiliatus sum; quod de toto genere humano perspicere facile est: in sublime enim latum miserabiliter lapsum est. Sed & singularibus hominibus hoc accidit quotidie, qui amplis honoribus decorati, & diuitijs affluentes, quod omnia suæ virtuti tribuerunt, nec Dei benignitatem, ac beneuolentiam erga se agnouerunt, in magnam miseriam, & calamitatem inciderunt, & qui beatam vitam non bene vixerunt, ex hoc mundo miseri, & infelices abierunt, quia non audierunt Paullum admonentem, vt, qui stat, videat, ne cadat.

Dies

Dies mei ſicut vmbra declinauerũt, & ego ſicut fœnum arui.

Cito præterierunt, alibi, dies eius ſicut vmbra præ-tereunt, quæ breui extinguitur; uel dies mei qua ſi inutiles perierunt, & ego ſicut fænum ſine rore gratiæ cæleſtis exſiccatus ſum; ſupra, cor ſuum aridum factum eſt, hoc autem loco ſe totum exaruiſſe ait. Ac primus homo diem ſicut vmbram profecto habuit, cùm Dei conſpectum fugit. Quid ergò ſuperbia nobis prodeſt, ac diuitiarum oſtentatio, cùm breuis tanquam vmbra vita noſtra exiſtat, quam facile amittimus? Itaque qui in acquirendis agris, ac fundis comparandis tota cogitatione verſantur, in memoria ſi verſum hunc aſſidue haberent, iſ forſitan ſententiam mutarent.

Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione, & generationem.

Humana omnia huiuſmodi mutabilia ſunt, ſed tu domine immutabilis, & æternus es; dixit autẽ, permanes, non, viuis, quia homo longum tempus viuere poteſt, diem vero vnum permanere, minimè, qua fragilis naturæ noſtræ conditio perpetuam hanc ſecum mutationem coniunctam habet, ſicut Iob ait, qui ut flos egreditur, & nunquam in eodem ſtatu permanet, & tui memoria tibi conſtat æterna, quam & omnia futura ſæcula celebrabunt, & priora magnifecerunt; Nam

opera tua Domine admirabilia adeò sunt, vt tui recordatio nunquàm ex animo nostro elabi queat. Vel memoriale tuum, quia nec in sęculo pręsenti, nec in futuro te nostri capiet obliuio, pręsentis enim vitæ, ac futurę promissionem habemus.

Tu exurgens Domine misereberis Syon quia, tempus miserendi eius, quia venit tempus.

PRedicit Dauid, siue iste pauper, quod completo septuaginta annorum tempore, qui à Deo captiuis Iudæis præfiniti fuerant, ipse rursus Syon, & Hierusalem miserebitur, quando tempus illud venerit prædictum, quo Deus populum suum protegat, ac liberet. Vel de noua Syon, idest, fidelium Ecclesia, ac cœtu prædictio est, quòd tu à mortuis surgens ad regnandum, misereberis eam, scilicet Iudęam, vnde Apostoli, & alij fratres originem habuerunt, quia tempus illud acceptum venit misericordia vtendi, & requirentibus auxilium ferendi, cùm omnes ferè aduersum Ecclesiam bellum moueant; appropinquauit. n. tempus ab æterno diffinitum, gratiæ scilicet; nam cùm affuit eius plenitudo, Deus filium suum misit; confidat ergò pœnitens, quia seruandi eum occasio sese offeret; Dominus enim misericors pręsto est.

Quo-

Quoniam placuerunt seruis tuis lapides: eius, & terræ eius miserebuntur.

SVpra dictum est secundum historiam Deum post septuaginta annos terrestri Hierusalem misericordiam impertiturum esse, nunc ostendit lapides eius Cyro scilicet, et Dario placuisse, & ipsam instaurari, quos seruos suos vocat, quòd ad ædificationem, & ad alia administranda eorum opera vsus sit: sic. n. vt Isaias ait, Dominus Cyrum seruum suum vocat. Sed secundum ἀλληγορίαν dicamus, verè Domine Syon misereberis, quia serui tuis Apostolis placuerunt lapides Ecclesiæ sanctæ, prophetæ scilicet firmi, & qui ad augendam religionem stabiliores, & ad virtutem probatiores fuere, quorumq; conuenientia Ecclesiæ constructionem effecit; ibi enim præmissa est prædicatio; inde manauit euangelium. Quomodo autem ab Apostolis Syon Ecclesia videlicet ædificata sit, & quomodo lapides eius, id est fideles sui diligebantur, ex eorum actis, & scriptis perspicere licet, Et terræ, vel pulueri, vt legunt Hieronymus, ac Græci, misericordiam tribuent Apostoli, ac studio, & cura puluerem ipsius Hierusalem digniorem reddent, quippe qui vilissimos homines, ac magis terrenos suo fouebunt auxilio, quos etiã Deus gratiæ tempore miseratus est.

Et timebunt gentes nomen tuũ Domine,& omnes reges terræ gloriam tuam.

ET gentes, quæ prius idola metuebant, & dęmonum nomina inuocabant, propter signa, & miracula, quæ ex inuocato solo nomine tuo edentur, & fideles, qui ex gentibus credituri sunt, timebunt non tantum in Syon nomen tuum, sed & alibi, modo formidare nescientes. Et omnes Reges ipsius orbis terrarum gloriam tuam sua maiorem agnoscent, id est, de omni Regum genere, qui fideles futuri sunt, maiestatem tuam venerabuntur, & in Ecclesia nomen tuum magnopere colent, quod prædixit Isaias; Et meo quidem iudicio Constantini tempore hoc contigisse constat.

Quia ædificauit Dominus Syon, & videbitur in gloria sua.

QVoniam ædificauit, id est ædificabit verè Syon, Ecclesiam scilicet, ex lapidibus viuis, id est, populis fidelibus, & videbitur tãdem Dominus (quod non contingit modo) in gloria sua, gloriosus enim apparebit, & in omnibus terrarum finibus celebre futurum est nomen eius, qui prius infirmam gestare carnem visus est, quando cum summa potentia, & maiestate magna veniet vt in Euangelio.

Respexit in orationem humilium, & & non spreuit preces eorum.

NOn refutauit eorum preces, qui humiles sunt, & veram animi humilitatem profitentur, quique spiritu pleni orabant, vt veniret, nec eos neglexit. Hoc autem modo in ædificatione agitur, ædificantes orant, gemunt, qui sunt pauper vnus, & multi. ob pacem Ecclesiæ, & ob charitatem vnus, propter latitudinem multi. Nunc igitur oratur.

Scribantur hæc in generatione altera.

IDest, firme teneantur hęc, & digna habeantur, quæ scriptis mandentur, & à posteris, nouisque populis obliuioni non tradantur, postquam antiquus prophetarum verbis, quę de Christo prædicta fuerant, credere noluit, quòd is, quę Adam destruxerat, illa reparauerit immensam misericordiam impertiens.

Et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

HAec legens Christum summis laudibus efferet, quòd sibi subuenerit, & cum gratiarum actione pro accepto tanto beneficio gloria, & honore afficiet; non dixit autem creatus est, sed qui creabitur nouus populus propter credentium accessionem, quę vsque ad sæculi finem perseuerabit.

Quo-

Quoniam prospexit de excelso sancto suo.

IN Cęlo manens prospexit, vt ad humiles veniret, atque infernis in partibus videretur, ex alto humi lis factus, vt eius imitatores, atque æmulos in altum tolleret. Vt pręterita explicat, quæ futura erant. Per excelsum sanctum, cælum ipsum, vel ipsam diuini tatis celsissimam sedem intelligit.

Dominus de cælo in terram aspexit.

IDest descendit, vt exponunt Græci, aspectum enim il lius aduentum significauit, ad quid autem prospe- xit?

Vt audiret gemitus compeditorum.

EOrum gemitum inquit, qui peccatorum suorum cathenis constricti erant, & in compedibus existe bant, in quorum numero eos intelligimus, qui mortali tatis vinculis se astrictos esse intuentur, vel qui timo re Dei gemunt, ad impetrandam misericordiam aspirã tes, vel humana miseria afflicti assidue ingemiscunt.

Vt solueret filios interemptorum.

A dæmonum seruitute, & à peccati vinculis filios eorum, qui in peccatis perierant, vel ut legit D. Hieronymus, solueret filios mortis, idest, morti de- stinatos, atque addictos, quemadmodum erant omnes filij hominum, & à mortis iugo liberaret.

Vt

Vt annuncient in Syon nomen Dñi & laudem eius in Hierusalem.

VT ipsi à vinculis soluti prædicent nomen Christi, & quòd Dominus Deus eius pater sit, & verus, & laudem illam, qua ipse Christus semper patrem extollebat, omnino illi ascribens se ab eo missum esse, quod eis, qui in compedibus erant, dum interficerentur, minimè licuit; Et Dei misericordiam populis etiam annuncient: Duplici autem nomine, Syon, & Hierusalem, diuersas ob caussas vsus est, Syon, ecclesiam nominans, vtpote, quæ ad altum erigitur, & speculatio dicitur; Hierusalem verò, tanquam hostibus morte affectis veram in se pacem intuens.

In conueniendo populos in vnum, & reges vt seruiant Domino.

SEcundum Hieronymum, Cùm congregati fuerint populi simul; vnde autem hoc factum est, nisi eorum sanguine, qui morti addicti fuerunt, & eorum gemitibus, qui in compedibus erant? auditi enim fuerunt, & in causa extiterunt, vt Ecclesia hactenus gloria admodum floruerit, & adhuc, licèt permulti de via deflexerint, valdè eniteat; & Reges, qui persequebantur, in ea Domino seruiant; Verùm regna pro Regibus posuit Hieronymus, vt sub Regibus populos simul, qui bus præsunt, comprehendi indicet; vel, vt Greci aiunt, cum Reges, & populi coirent, vt per fidem obsequerentur, & illi seruirent, qui secundum diuinitatem verè,

ac propriè Dominus est, per Reges, id est Apostolos exponentes, quòd ij affectiones animi regerent, & dæmonibus dominarentur, ac magis quàm Reges honorati essent.

Respondit ei in via virtutis suæ, paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

POpulus fidelis, & pauper ille respondit, & Domino dixit in via virtutis suæ, idest, fortitudinis, tempus illud significans, quo nondum vires eum defice re cœperant, paucitatem, vt alibi, notum fac mihi finē meum; Ego enim perspiciens inquit, me iam debilitate confectum esse, & grauiori morbo quotidie laborare, vereor ne reliquum vitæ tempus breue sit, idcirco non mediocri ardeo cupiditate, vt illud mihi nuncies; quò cura, & sollicitudo mea in hoc versetur, quonā pacto animam meam virtutibus ornem. Vel Hierusalem, non illa reproba, sed quæ filios parit, dixit Christo, idest vocantem non contempsit, & arctam illam mandatorum viam ingressa Deum orat dicens: paucitatem dierum, non æternitatem illorum, vbi ero, sed dies illos, quandiu in hoc seculo versabor, significa mihi, idest, hoc breue tempus totius seculi fac me attendere, vt hoc cognito spe immortalitatis futuræ sustenter, contra illos, qui iam non esse ecclesiam aiunt; vnde petitio inanis non est: Dixit enim Dominus Iesus Christus, vsque ad completum seculum vobiscum sum: Totum igitur tempus illud vsque ad finem, illa est dierum exiguitas,

omne

omne enim quod finitur, præ æternitate exiguum est. Diuus autem Hieronymus legit, afflixit in via fortitudinem meam, idest in via uitæ huius vires meas cōminuit, quia tunc fortes in fide supra modum affligentur. Abbreuiauit dies meos, propter electos, inquit, quia tanta erit afflictio; vt fides omnino deficere aliquibus videatur. quare subiungit inquiens.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.

NE me rapias, vt legit Hieronymus, eo tempore, quando me adhuc victurum esse putabam, vt pœnitentia corrigere vitia, & emendare possem; si enim hoc feceris, similis ero dolosis viris, qui dimidios dies suos non faciunt, quod eos euellat dominus, ne scilicet peccent magis; vnde illorum habita ratione diuina castigatio, appellari potius misericordia debet; licet generatim, & vniuerse hoc ita non se habeat, quod nonnullos in vitijs suis consenescere perspiciamus. Vel vsque in finem, non in dimidium seculi me perduc, & exiguos mihi dies comple, vt ego ad perfectum virum perueniens, æternis postea à te doner, ac tecum Domine perennitate temporum perfruar. At cur de exiguitate quæris? quia etiamsi dies mei vsque ad finem appellant, ij ad exiguum tempus præ tuis durant; per dimidium dierum imperfectos, & vacuos virtutibus dies illos vocat, qui sibi ad efficienda, & nauanda opera bona præfiniti erant; precatur igitur a Deo diuturnam vitam, vt aliquem fructum afferre queat.

In generatione, & generationem annitui.

QVi non transeunt, videlicet in secula seculorum; sic in scripturis sanctis æternitas significatur, quæ est Dei substantia, nihil mutabile habens.

Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.

INitio, quia æternitate omnia præcedis, quæ fecisti; ante res enim creatas sine initio existis. Terram fundasti, idest stabilisti, Et manuum tuarum, idest efficacis potentiæ, virtutis, ac sapientiæ tuæ opera cęli sunt, verbo enim Domini firmati sunt, per quos aliqui cælum primum firmamentum scilicet intelligunt.

Ipsi peribunt, tu autem permanes.

IMmutabuntur scilicet cæli, vt res creatæ, tu autem es immutabilis eternitas: ac de propinquis terræ constat: D. enim Petrus ait, terra, & cæli in die iudicij igni reseruati sunt, aerei scilicet; de superioribus dubitatur; aliqui tamen eos secundum situm mutari aiunt. Vel ἀλληγορικῶς iusti corpore peribũt, quod animæ vestimentum est si sic, quomodo surgemus, cum Paullus omnes surrecturos esse prædicet? at in maiorem gloriam, & meliorem partem mutabuntur.

Et

Et omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

VTrunque cælum, ſiue terra ſimul cum cælis veſtimentorum inſtar ob nimiam vetuſtatem conſumentur, ſicut veſtes tempore conteruntur, & vſu ad nihilum rediguntur.

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.

ET ſicut pallium eos mutabis ſcilicet cælos, qui omnia operient, ij enim mutabuntur, ſupra peribũt, dixit, quod ipſi cęli innouabuntur, & incorrupti euadent, ait enim D. Paulus, quod huius mundi figura prę terit. Græci legunt inuolues, & exponunt ſicut amictus completo vſu, qui ei conſtitutus, & decretus fuerat, inuoluitur, ſic cælum, cum mutatio melior aduenerit, in melius, & ipſum conuerſum iri.

Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

DIxiſti enim ego ſum, qui ſum, idem, immutabilis, nam quemadmodum ſecundum diuinitatẽ principio cares ita & fine, & licet omnia ex te, ac per te, & in te exiſtant, non ſunt tamen, quod ipſe es, & anni tui non deficient, quia ſempiternis ſeculorum ætatibus non mutaberis. Hos tres verſus dixit D. Paul c. 1. ad Hæb. excellentiam Chriſti ex ipſius fabrica oſtendere volens, qui cælos, terramque creauerit, quod ad eius diuinitatem refertur.

Filij seruorum tuorum habitabunt.

ET licet hęc æternitatis immutabilis duratio tibi ꝓpria sit, tu tamen ob bonitatem tuam filios seruorum tuorum Apostolorum scilicet nedum ipsos Apostolos facies illius participes; ij autem sunt, quos per euangelium genuerunt fideles omnes, videlicet seruorũ tuorum opera, hi enim habitabunt in Syon idest in ecclesia, cuius misertus es, & perpetuo coram te permanebunt. Quare filij seruorum, & non serui? quia filij terram promissam intrauerunt, non patres, quod nouos non veteres populos introituros esse indicat, & ad promissam nobis hæreditatem æternam neminem accessurum esse, qui priùs in nouitate vitæ ambulare non didicerit: Veteres tamen duo Iosue, & Caleb, ingressi sunt, quia vnus, & vnitas, Christus, & Ecclesia cum omni nouitate filiorum requiem veram intrat.

Et semen eorum in seculum dirigetur.

OPera electorum intelligi voluit, quia sicut ex semine fructum colligimus, ita operum mercedẽ expectamus, ergo semen non secundum carnem, sed secundum virtutis, ac pietatis successionem in æternum dirigetur, idest ordinabitur, præparabiturque, vel, vt legit Hieronymus, coram facie tua perseuerabit, vt, alij, stabilietur, vt ex his verbis percipiatur, cũ Deus æternus sit, eos qui cum fide, atque recte Deum colere

non cessauerint, ac opera bona præmiserint, ab illo ęternitate, immortalitateque donatum iri.

Hic quoque psalmus finem lætum habet. Nam pauper iste, qui miseriam suam, ac paupertatem, vereque pœnitentis vocem edidit, ex cordeque ingemuit; quinq; dum fleret, lacriymas cum potu miscuit, nec tamē a laudanda Dei maiestate destitit, iure in spem venit se regni cælestis consortem fore; misericordiam enim diuinā non ignorauit tantam esse, vt hoc pro certo habere deberet. Nos quoque studeamus ea exequi, quę hac ipsa oratione nobis explicantur, atque peccata nostra libere confiteamur, cibo uili contenti simus, nosque ipsos castigemus, vitia fugiamus, bonitatem, ac mansuetudinem sequamur, atque amemus. Denique ad voluntatē Domini nostri Iesu Christi, qui nos captiuos ex inferiis locis eripuit, nostram conformemus; dubium enim nobis esse non debebit, quin in patria cęlesti summa cum tranquilitate, ac gaudio incredibili eo perfruamur.

IN PSALMVM CXXIX.

DE PROFVNDIS.

Cãticum graduum, siue ascensuum,

EX canticis quindecim, quorum eadem est inscriptio, vndecimum hoc est. Porrò ea fere omnia prędicunt captiuos in Babilone Iudęos in Hierusalem esse ascensuros, & tradunt, quomodo illi in captiuitate positi Deum rogauerint, ac tandẽ ab eo exauditi patriam recuperauerint: & à clamore, precibusque, quas illi fundebant, cum summis calamitatibus opprimerẽtur, initium cantica faciunt, finem vero habẽt patrię demum restitutionem. ἀνάγωγικῶς hi psalmi populum Dei à Babilone, idest, seculi huius confusione, ubi diu seruitutem perpessus est, captiuusque detentus, ad cæleſtẽ deducunt Hierusalem. Quicunque ergo intellexerit, quanto populus ille desiderio terrestris Hierusalem teneretur, & quomodo lamentabatur, ipse profecto vehementiori cælestis, ac diuinæ ardebit amore. Preterea notandum est, numerum quintum decimum, qui septenarium & octonarium continet, conuenientiam legis veteris, ac nouę demonstrare, veteris quidem septenarium typum esse propter iudęorum sabbatum, octonarium nouę, eo quod octauo die surrexit Christus, vt supra in psalmo primo dixi; vtranque tamẽ legem ijdem ferè pręceptis nos instruere, atque erudire,

dire, & ad eundem Deum per virtutum gradus ducere. Aliqui aiunt in templi ascensu, qui ex gradibus quindecim constabat, vt cælestis templi descriptio existeret, ad quod illis ascenditur, à sacerdotibus, & leuitis hos psalmos cantatos fuisse, primum in gradu primo, secundum in secundo, & ceteros pariter; nõ quoslibet autem gradus hic accipimus, sed illos tantum per quos ascendimus, vt Græca vox exprimit, quia corde fit ascensus. verum qui ascendere velle incipit, terrena vt contemnat, oportet, ac solum Deum cogitet; primus enim gradus est à seculi malis, cauere, vniuersamq; vanitatem repudiare, atq; aspernari. carnis autem vitia relinquere, & Domino supplicare proficiendi est initium. Et de titulo hactenus. Ad psalmum veniamus.

De profundis clamaui ad te Dñe, Domine exaudi vocem meam.

D*Auid hunc conscripsit, modum exprimens, quẽ ipse tenuit, quando tentationibus, & ærumnis pressus Deum orabat, vt eos etiam seipsum imitari doceret, qui ex Babilonis captiuitate redituri erant, & hæc oratio in partes duas diuiditur, primum pœnitẽs à persona misera sua, & à iudicis clementia misericordiam captat, vnde magna sperat; Deinde veniæ certitudo, & læta conclusio ponitur. Ait igitur peccator, Ex corde valde profundo, ac magno studio, & animi alacritate, atque ex ipsis mentis penetralibus ad te exclamaui Domine, tales sunt, qui affliguntur, vt valde*

valde compuncti Deum inuocent, & ideo exaudiantur, non qui ore, aut lingua tantum, aut labijs hoc efficiunt, alter enim clamor ardens est, frigidus alter: Nam huiusmodi preces, quæ ab imo ascendunt, & in profundo radices agunt, licet graues, & innumerabiles in animis nostris versentur cogitationes, minime tamen euertuntur, sicut arbor, quæ altissimis defixa est radicibus, nulla vi, nec vento labefactari potest, & qui precatur ita, antequam consequatur quod postulat, ex oratione magna tamen bona percipit. vel clamaui de ista mortali vita, vt de ventre ceti Ionas ipse: clamor igitur emissam vocem cum interiori affectus intentione significat. Et quid clamaui? vt exaudias vocem serui tui.

Fiant aures tuæ intendentes in vocē deprecationis meæ.

R*Epetit idem alijs verbis aures dicens pro audiendi facultate, attende Domine preces meas miseras, & luctuosas, quibus te placari sine, de profundo enim, vociferatus sum, qua spe? quia qui ad condonandum peccata venit, etiam mihi in profundo peccatori posito spem attulit fore, vt deprecationem meam exaudiat, dando quod ego flagito.*

Si iniquitates obseruaueris Dñe, Domine quis sustinebit.

S*I obseruaueris, idest, exacta, & iusta lance omnia delicta mea examinaueris, & tātum mulcta irrogaueris, quantum ipsa mereantur, quis huiusmodi*

di inquisitionem, & inuestigationem tuam sustinere, quis & rigidiora tua iudicia sufferre poterit? vel quis inultus, & impunitus relinquetur? certe nullus. Nam fieri non potest, vt si ab aliquo rerum à se gestarum ratio summo iure reposcatur, repetaturq́;, possit ille vnquam misericordiam, & clementiam consequi; Quis enim se à peccato mundum esse gloriabitur? nec Paullus ipse audet inquiens, nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustus effectus sum. Illud autem Domine Domine; summam Dei benignitatem, & eius infinitam, & immensam maiestatem admirantis est dictum. Et quia peccator ipse pœnitens videt totam naturam humanam ob admissa flagitia vehementer premi, omnium conscientiam accusari, ac non inueniri cor castũ, quod sibi de sua iustitia arrogare queat, Quid reliqui est, nisi vt ille benignitati Dei non diffidat, ac miserationi, sed bene speret? Quæ igitur spes est?

Quia apud te propitiatio est.

QVia tu valde misericors es, & vere propitius, si quidem nobis diuina tua humanitate confidentibus supplicium effugere licet: vt iudicium etiam nõ subeamus, in clementia tua positum est, quam si non fuerimus consecuti, nostra recte facta, si quæ extant, ad liberandum nos ab ira futura atque supplicio minime idonea sunt, ἀλληγορικῶς, quæ est ista apud te propitiatio, nisi sacrificium illud, quod pro nobis oblatum est? & sanguis ille innocens, qui omnium peccata deleuit, ac de manibus inimici dæmonis captiuos cunctos eripuit? Nam si iudex esse tantum velles, misericors

ser:cors autem non, quis se ante te sisteret, & se innocentem demonstrare auderet? quis in iudicio tuo staret? ergo vna spes est miseratio tua.

Et propter legem tuam sustinui te Domine.

ET propter legem non eam, qua reos faciente premebar; at misericordiæ, & charitatis, quæ peccatis dat veniam, eaq. delet, & alterum pro altero onera portare docet, te sustinui domine salutem expectās, & vt me ab omni afflictione liberes, in quo vti miseratione tua non omisisti: Nam si ratio operum meorum à me habita fuisset, iam spem omnem abiecissem, nunc legem tuam attendens spe optima erigor. Græci nonnulli legunt: propter nomen tuum, *inquientes, nō ob opera mea; peccator enim ipse sum, te mihi seruatorem affuturum esse speraui, & hoc euenturum propter nomen tuum, ne illud scilicet ab inimicis contemneretur, quasi qui populum tuum à calamitatibus eripere non valeres.*

Sustinuit anima mea in verbo eius.

EXpectaui, & spem habui in illo promisso, quod Patriarchis factum est; verbum enim illud non fallit, promissionis terræ hæreditatem nobis traditam iri; vel in illo, quòd tu omnes saluos præstabis, qui tuæ voluntati morem gerere studuerint, & quos scelerum suorum valde pœnituerit, ac post veniam etiam cælorum regno eos donabis.

Sperauit anima mea in Domino.

IN *solo Deo, qui sperantes in ipso, atque se illi totos dedentes neque fallere, neque frustrari potest.*

A custodia matutina vsque ad noctem.

NOx *in quatuor vigilias, siue custodias diuidebatur apud Romanos, matutina vero inter noctis custodias vltima erat; Itaque dicens Israelem in Domino sperare debere, à custodia matutina vsque ad noctem, non sic intelligit, quasi spes nostra diem vnũ à mane scilicet ad vesperam duret tantum, sed quia Christus diluculo in vigilia matutina à morte ad immortalitatem surrexit, is à custodia matutina spem habet, qui se quoque ad immortalem vitam suscitandum esse magna spe adducitur non hæsitans membra capitis exemplum secutura esse: Sperandum autem est vsque ad noctem, quoad vita hæc à nobis deseratur, & in occasu mundi nox totius generis humani ad ueniat. Admonet igitur populum, vt toto tempore in solo Deo spem ponat, qui solus à periculis liberare potest, vnde fit læta conclusio, Et licet D. Hieronymus hos tres versiculos superiores aliter legat, & alij aliter, eius quidem sententiam ego probans, vulgatam tamen lectionem sequor. Sed quomodo speras o Peccator.*

Quia

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Quia misericordia apud eum, & clementiæ fons est perpetuo scaturiens, quæ miseratio multis partibus maior est, quàm totius humani generis improbitas, vbi autem ipsa est, illic etiam est redemptio & multa, & copiosa, & clementiæ pelagus immensum, sanguis scilicet eius, qui totius mundi peccata redemit, si ergo captiuus es, benignitatem Dei confidēter implora, & desperare noli, vbi enim misericordia est, atque clementia, & non repescitur acris delictorū ratio, ibi est facilis erratorum veniæ impetratio, & eo magis quòd Deus ipse ad ignoscendum assidue propensus est, ac procliuis.

Et ipse redimet Israel ab omnibus iniquitatibus suis.

Id est, populum Israel Deo placere conantem; vt hoc nouo quoque populo pręcipue congruat. Ideo antecessit ille, qui sine peccato est, vt sequentium peccata deleat. Redimet, inquit, quia Israel se uendere potuit, non ab omnibus iniquitatibus suis se redimere. Ille potest, qui à peccato prorsus immunis est. itaque noli timere peccator, at animo simplici, atque fidenti ad Deum accede, & desine agere ea, quæ te ante sic stimulabant, ut in odium, ac offensionem diuinæ maiestatis incurreris, nec in mentem tuam illabi sine, ut dubites, ne illa iniquitas tibi non remittatur; magnam enim erga te Dei ipsius misericordiam experiere. Si

ergo

ergo ubique illius diffusa est clementiæ magnitudo, clarum, atque perspicuum est eundem Dominum Deum non modo à supplicio populum suum, sed à delictis omnibus liberaturum esse, atque in libertatem uindicaturum. Orare igitur perseueremus, & siue obtinuerimus, siue non, nunquam cessemus. Nam cum in potestate illius dare situm sit, & quando uult, tempus autem ipse optime nouerit, præstolemur nos supplicantes assidue, atque illius misericordia confidentes, nullo unquam tempore de salute nostra spem deponamus, sed fide, & egregiis factis fulti ad eum confugiamus, & ipse, quippe qui ualde benignus, & misericors, ac pius est, aderit nobis, ualdeq; propitius erit. Et quoniam in hoc psalmo de misericordia crebro fit mentio, ecclesia instituit, ut eo sæpe utamur, dum pro defunctis oramus, quos ipsi Deo commendatos esse cupimus, ut pote qui ab eius conspectu adhuc absint, quod in iis locis detineantur, in quibus fit purgatio: unde cum ipsi nullis operibus sibi opem ferre ualeant, unica illa spes reliqua est Dei misericordiam illis præsto fore, si nos supplices eum inuocemus, quemadmodum amor, & charitas officium hoc quotidie à nobis desiderat, ut eorum uincula relaxare uelit. Nos autem, qui adhuc in uita manemus, & ieiunitate, & mirifica in pauperes liberalitate delictorum nostrorum maculas ita abstergere, ac scelera nostra sic expiare, ut alibi necessaria nobis non existat expiatio, omnibus uiribus enitamur, iisq; optimis actionibus sic Deo, & iudici nostro placere conemur, ut eum non modo mitigemus, ac propitium nobis reddamus, sed ad complectendum

nos,

nos, & eius diuina gratia dignos iudicandum uehementer prouocemus.

IN PSALMVM CXXXXII.

DOMINE EXAVDI, ETC.

PSalmus ipsi Dauid, quando persequebatur eum Absalon filius suus, sic vltimus hic inscribitur. Ac patet patri suo inimicum extitisse Absalonem, & aduersus eum non ciuile bellum modo, sed domesticum etiam gessisse; Dauidem autem humilem percepta à Domino disciplina medicinam accepisse, nemini reddidisse malum pro malo, at promptum ad assentiendum voluntati Dei semper animum habuisse. ἀναγογικῶς, vero alius Dauid verè fortis à nobis agnoscendus est, Dominus noster Iesus Christus (prçterita enim, vt sæpe diximus, futura significant) quem persecutus est filius suus Iudas, apostoli nanq; ab ipso filij vocabantur in Euangelio: Is enim passionem suam prædicaturus est in hoc psalmo, quandoq; membrorum, quãdoq; capitis, quandoq; capitis, & corporis etiam personam acturus. uerum secundum D. Hier. & Hebr. talis titulus habetur: Psalmus Dauid. cetera alicuius Doctoris additamentum esse nonnulli arbitrantur. Dicit igitur Dauid cuiuslibet peccatoris personam quoque gerens, atque induens.

Domine

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua.

QVoniam exauditurum eſſe te ſpopōdiſti eos, qui rectè nomen tuum inuocauerint. quod etiam mihi priuatim pollicitus es, me orationem ad te habentem audi, Et auribus percipe (repetit, & confirmat) ideſt, gratiam tuam mihi largiendo oſtende te preces meas attendere, ac laboranti, & in afflictione verſanti mihi ſuccurre quæſo pro ſingulari bonitate tua.

Exaudi me in tua Iuſtitia.

IN tua iuſtitia me audi, non quæ ex lege eſt, ſed quæ ex fide, me ipſum enim cum reſpicio, nihil aliud reperio meum, quàm peccatum, vel, ſicut qui iuſtus es, et minime pateris quenquam ab altero iniuria affici, nec tantum parentes lædi probibes à filijs; ſed nec ab extraneo vllum. Græci nonnulli pro veritate miſericordiam hoc loco intelligunt, pro iuſtitia benignitatem, quòd ſolus Deus miſereatur, & ſola Dei iuſtitia benignitate permixta ſit; humana enim caret miſeratione. Aut in veritate, & iuſtitia, ideſt ſecundum veritatem, & iuſtitiam, qua pœnitentibus, & ſe accuſantibus benigne parcis. ſi ergo exaudiri quærimus, in iuſtitia Dei gloriemur. Nam haud audiuntur, qui eam ignorantes, & ſuam ſtatuere volentes, illi diuinæ ſubiecti non ſunt, ſed qui nihil aut

parum meritis suis tribuentes iustum esse iudicant quicquid aduersi tolerant, ἀναγογικῶς Christus totus nobiscum ait, Domine exaudi me in tua iustitia, idest, propter tuam iustitiam, quæ in me est; ea enim, à te homini inest; orat ergo nostram infirmitatem in se transferens, vt qui bona opera nauant, iustitia roborentur.

Et non intres in iudicium cũ seruo tuo, quia non Iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

N*E mecum iudicio contendere velis, nec in futuro stricte mecum agas, nam si me in iudicium voces, ac de vita, & moribus quæstionem, exerceas, nulla misericordia seueritatem iuris mitigante, quis est, qui se coram te caussam suam defendere, ac tueri queat, præsertim exigere si velis omnia, quæ tibi debẽtur? Cur hoc times? inquies: quia non iustificabitur, idest, nullus apparebit iustus, si cum tua Iustitia fiat cõparatio: Nam si aliqui hominibus sancti vidẽtur, non tamen Deo, qui interiora intuetur. Quamuis .n. opere forsitan non labantur, peruersa tamen cogitatione aliquando labi possunt: cuius namque animum tentationes non vexant?* omnis viuens, *idest vitæ particeps: non dixit, omnis homo, quia non apostolus, nõ angelus, nõ ceteræ virtutes, solus .n. Deus est, in quem peccatum non cadit, in cuius conspectu astra munda non sunt. Quare nisi gratia tua Domine liberari potest nemo, nec se iustum coram te efficere; licet in con-*

spectu

spectu suo sibi placens, & tibi displicens queat. Ergo ad magnam misericordiam tuam, qua mihi est opus, confugio.

Quia persecutus est inimicus animã meam, humiliauit in terra vitam meam.

Q*Via, hoc loco malorũ quæ patitur, narratio est, Inimicus Absalon animam meam, idest, me ipsum aperte persecutus est, ac deiecit me, vitamque meam vilem effectam ad terram prostrauit, non ea tantum ratione, quòd calamitatum pondere oppressus sim, sed quod ipsam humum strati loco habui, velut qui à patria exul semper in fuga eram: humilitatis.n. nomen nunc, nõ virtutem sed demissionem, atque animi abiectionem illam significat, quæ ex peccatis & calamitatibus oritur. vel inimicus dæmõ me à cælestibus ad terrena deflexit, hoc enim agit, quicunq; persequitur, vt cælesti spe relicta ad terram vergamus, & persecutori cedentes terrena diligamus. Hoc autem nobis vtinam non contingat, quibus à D. Paullo denũtiatum est, si cum Christo surgere voluerimus, vt quæ sunt sursum quæramus. vel persecutus est Dæmon animam Christi, & Iudas magistri, & nunc ad insidiandum corpori Christi promptus semper, & paratus est.*
Collocauit me in obscuris sicut mortuos sęculi.
Maximas mihi molestias exhibuit Dæmon, & menti meæ tenebras obduxit, quarum magnitudinem vt demonstraret, sicut mortuos sæculi dixit, idest, antiquos,

vt legit Diuus Hieronymus, siue antiquitus mortuos, sententiam more tragico augere volens, ij enim in pro fundissimis tenebris iacent, multa humo obruti; Tales sunt, qui assidue viuunt in peccatis; Nam in tenebris sunt tanquam mortui. Locauit, etiam ex corporis persona, inquiens, me in obscuris, idest, vitiorum tenebris, sicut mortuos cæteros desperatos, & Christus in sepulcro collocatus est.

Et anxiatus est super me spiritus meus.

Idest, anima mea maximo dolore affecta est, ob summam afflictionem, & periculi vicinitatem, & certe spiritus pœnitentis anxius est, cum superiora, & cælestia exoptans carnis corruptione, & naturæ fragilitate deprimitur. Et Christus ait, Tristis est anima mea vsque ad mortem, in me non in alijs, quia omnes me deseruerunt; Et quoniam mori me videbant, aliud suspicati sunt, à latrone victi, qui tunc, cum ipsi defecerunt, confessus est. In me turbatum est cor meũ. *Tumultuatum est in me, inquit, cor meum recordatione peccatorum, vel quieta non fuit conscientia mea, quia peccaui; Dixit & Christus, nunc anima mea turbata est.*

Memor -

Memor fui dierum antiquorum meditatus ſum in omnibus operibus tuis.

Dauid loquitur, & membrorum vnuſquiſq; capitis gratia iuſtus effectus, illiq; in charitate inhærens, Rercordatus ſum dierum, quibus Adã punitus fuit, & dierum Noe, quibus mundum diluuio obruiſti, vel quibus maiores noſtri Abraham, Ioſephus, & Moyſes ſecunda vtebantur fortuna, virtutibusq́; præſtabant; nec non in mentem mihi venit eorum dierum, quibus tibi Domino meo gratus eram, et res mihi proſpere ſuccedebant, huiuſmodi enim memoria non mediocrem afferre conſelationem ſolet, ac meditatus ſum mecum mirabilia opera tua cõſiderãs, quia tu omnia bona feciſti, & nihil ſine te conſtaret, atq; eos omnes recenſui, qui ex miſerijs mirabiliter à te erepti ſunt.

Et in factis manuum tuarum meditabar.

ET in commemoratione omnium artificiorum tuorum verſabar, ſuauem eorum recordationem habens, illaq́; ſumma tua prudentia plena inueniens; Et quia quicquid boni in illis eſſet, à te creatum eſſe intelligerem, ſpem ſuſcepi bonam fore, vt me tot afflictionibus, atque anguſtijs oppreſſum non deſpicias.

Expandi manus meas ad te anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

IDeo ad te fontem beatitudinis meæ, vltimumq́ue finem manus tetendi, vt formam crucis innuat, quæ ſalus eſt; Et anima mea tibi hæret non mihi, qui rigare nequeo, teq́; tota reſpicit non ſecus auxilium tuum implorans, ac terra ſine aqua, ideſt ſitiens, vt D. legit Hieronymus, audiſſime pluuiam expectat. Tu igitur eam irriga, obſecro; vt fructum ferat, quæ ſine rore gratiæ tuæ arida, & minime fructuoſa eſt.

Velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus.

ET quoniam ſic ſitio, cito audi me, & velociter. Hæc eſt cauſſa cur me quã celerrime exaudiri flagitem, quia ſpiritus meus ita defecit, vt nunquã adeo. Quæ enim eſt mora ad inflammandum deſideriũ meũ? Imple me ſpiritu tuo, quia inimicorum improbitate, ac peruerſitate defecit meus, aut ſalutarem ſpiritum tuum mihi præbe, quia meo exanguis iam, & confectus ſum.

Non auertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

NE derelinquas me, vt non peream, & non auertas faciem tuam ideſt, protectionem, immo me tua

tua custodia septum tene; auertisti enim te olim à superbo, ne te ab humili seruo tuo abducas, quia si te à me abstraxeris, ijs ero similis, qui in lacum, & pro fundum aquæ vel peccatorum delabuntur, sic .n.mortuus videtur, quicunque quantum ad virtutis opera spectat tuo auxilio caret: nam qui in profundum descendit, ille errata sua confiteri prætermittit, & licentiam peccandi, & impunitatem se habere proponit, quòd sibi ignosci debere non speret.

Auditam mihi fac mane misericordiam tuam, quia in te speraui.

F*Ac me audire, & ostende mihi mane, idest, celeriter misericordiam tuam, vt ante experientiam promissione tua lęter, & rationem reddit, quia in te speraui; Deus enim nihil æque requirit, ac eum intueri, qui sperat in ipsum: vel mane, idest, post seculi finem, cum videbimus, quod modo credimus, vt mane astabo; nam in nocte nunc sumus; sed in te mihi spem posui, donec nocturna transeat iniquitas: post noctem vero peccatorum, quia mane peccata relaxantur, quę nox in expectãdo patientiam poscit, lætitiam dies offeret. Hoc autem misericordiæ matutinę gaudium alibi monstratur, cum dicitur, ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia, quæ Dominum nostrum Iesum Christum surrexisse significat: hanc omnes nos expectamus, qua mortalitatem nostram cum immortalitate commutabimus. Mane itaque nouissimus dies est, cum illucescet nobis ille immortalitatis dies, vesperam nullam habiturus; Et electi à Domi-*

nō audient, venite benedicti, in illo enim iustorū felicitas, & gloria apparebit.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam.

INdica mihi quæso viam Spiritus sancti lumine, vt ex insidijs inimicorum euadam, & recto itinere ad te perueniam. Atqui lex tam naturalis quàm scripta viam rectam docet, cur ergo dicit hoc? quoniam multa ab hominibus ignorantur; vnde D. Paullus dicebat, quid oremus, & quomodo oportet, nescimus: quia animā meam ad te, non ad mundum transtuli, quòd apud te vitę fons sit, Et à te pendeo, teque contemplor.

Eripe me de inimicis meis, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuā, quia Deus meus es tu.

AB inimicis meis, ac Dęmone & suis quos implet, libera me Domine, multi .n. Iudæi sunt, in quibus ipse expugnatur Dæmon, ad te confugi Dominum meum, ac protectorem, qui aliquando à te fugi, sicut & Adam fugit, & cum se occultauit, vmbram inuenit. Doce me facere, *idest, vt faciam, sic, etiam D. Hieronymus, voluntatem tuam, si enim me non doces, faciam ex mea, & tu me deseres*

Deus

Deus meus: Nam beatus non est, qui eam nouit tantũ, sed qui voluntati tuæ obsequitur, cognoscere namque facilius est, opera efficere difficilius, ijs præsertim, qui ope diuina, ac doctrina indigent. Et animaduerte, quod in eius petitione non de potentia, non de gloria agitur, se vt obediat, ac pareat voluntati Dei, quę actio bonorum omnium thesaurus est, radixq́;, & felicitatis principium, medium, ac finis: ergo instrue me diuino numine tuo, quia Deus meus: propter liberationem patronus meus: at propter hæreditatem pater meus tu es.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.

I*Vcunda est conclusio, spiritus tuus diuinus, nõ malus meus, qui me in peruersam viam duxit, deducet me in viam rectam, & planam, qualis est virtutis via; rectam quidem, quia sine errore, planam vero tanquam à periculis, & scandalis liberam: idest, per eam viuendi viam, quæ ad te ducit propter nomẽ tuum quod est Iesus, suscitabis me, quia me occidi, & non ob virtutem meam, sed propterea quòd misericors appellaris. Nam si merita mea ostenderem, nihil nisi suppliciũ promererer:* in ęquitate tua: *alias, in iustitia tua, non mea, quia tu misereris: Ecce hic gratia Dei commendatur. qua gratis salui facti sumus.*

mus. quia non propter merita, ſed propter nomen illud ſalutare ſe recreandum, ac reficiendum, & vere inter viuos numerandum eſſe inquit. Verum cum hoc gratia æquitatis miſcetur, quia licet Deus omnia gratis efficiat, ad eius tamen iuſtitiam pertinet ſupplices iuſtos facere, quos à Dæmonibus tentari, atque affligi videt.

Educes de tribulatione animã meã,
Et in miſericordia diſperdes
omnes inimicos meos.

E*duces de anguſtia, & afflictione animam meam, quando data venia me de hoc ſeculo tanquam de carcere exire iubebis, & miſericordia tua adductus, non merito meo inimicos meos exterminabis, & non quoniam dignus ſim, ſed propter clementiam tuã me liberabis, qui aduerſum me bellum gerunt, & mihi inſidiantur: qui tamen contra me nihil potuerunt, quod Græci dupliciter intelligunt: vel vt ſit prædictio, vel vt optabiliter dictum.*

Et perdes omnes, qui tribulant
animam meam.

IN *iudicio futuro Dæmones cunctos, & omnes obſtinatos, & qui ſpiritum meum torquent, atque cruciant, quique vt in maximis exiſtam moleſtijs ſunt mihi auctores, ad nihilum rediges.*

Quoniam

Quoniam ego seruus tuus sum.

CAussam adiungit, quia tibi inseruire magnopere cupio, & nihil dulcius, atque suauius esse cẽseo, quàm præcepta, atque iussa tua obseruare: Nam absolute postulata consequi non valemus; verum oportet vti sic præparemus nos, digni vt simus, qui petitiones nostras assequamur, & cum oratio satis nõ sit; Iudæi enim orabant, & non exaudiebantur, ea nobiscum afferamus, quæ ad clementiam, ac misericordiam diuinam nobis aditum aperiant, taliaque cũ precibus facta coniungamus, quæ Deum clementissimum ad nos benignitate sua complectendos inuitent, qui si hanc nobis mentem iniecerit atque cogitationẽ, sicut nos alia erga eum voluntate esse non licet, vereri profecto non debemus, ne non ab eodem benignissimo Deo præsentia, ac futura bona adipisci mereamur.

Hic est eorum, qui ad pœnitentiam referuntur, extremus psalmus, in quo maxime apparet pœnitentẽ ardentissime precatum fuisse, quippe qui speret se exauditum iri, & fidenter dicat se à spiritu Dei in terram rectam, & beatorum patriam deducendum, & cum cœlesti illa Hierusalem, & ecclesia triumphãte conglutinandum esse. Nos quoque à peccatis abstinere conemur, & offensionem Dei effugere; egregia autem opera cum fide, & summa caritate coniuncta, vt extent, quæ Dei ipsius erga nos miseratione allicere valeant, curemus. Et ipse magna nos consolatione hic afficiet, & in posterum æterna felicitate donabit, qui sempiternis omnibus sæculis est benedictus.

nedictus. Amen. Tandem horum septem psalmorũ, qui pœnitentiam respiciunt, quæ illorum materia est, præcipue commentarium confeci, atque adiuuante me imprimis immortali, ac præpotente Deo absolui; quantum autem sustinuerim laborem, atque in illum insumpserim, mihi ipsi conscius sum, eum tamen leuauit mirum in modum spes illa quam habui fore, vt hęc mea lucubratio studiosis, & ijs præsertim, qui se Deo gratos præstare cupiunt, vtilis, atque iucunda futura sit.

APPENDIX.

RESTAT, vt de pœnitentia ipsa breuiter aliquid attingam, quò superior tractatio magis elucescat, & fiat dilucidior. Ac vt à diffinitione ordiar: Dico primum pœnitentiam esse bonorum, ac fidelium quotidianam pœnam, quam sustinent illi frequentissime pectus tundentes, atque dicentes, dimitte nobis debita nostra, non quę in baptismate, sed quæ humanæ fragilitati quanuis parua, crebra tamen vim faciunt, violentiamque: Eam autem veram esse, cum quis non committit ea, quæ illum valde pœnitere cogant, & admissa deflet, vel ita se conuertit ad Deum, vt ad vomitum non redeat, nec amplius peccet. Atque ex amaro illa animo vera esse cognoscitur, sicut Petri verissima fuit, qui fleuit amare, eademque nocte, qua lapsus est, erectus fuit, vulnusq;, & medicinam accepit, vt quæ vis lacrymarum illius fuerit, rerum exitus comprobauerit. Et ipsius Dauidis, quem supra

dicentem

dicentem audiuimus, quòd lectum per singulas noctes lauabat; Et Magdalenæ, quam in euangelio lacrymis pedes Christi rigasse, & capillis tersisse legimus. Hi valde pœnitentes de morte ad vitam excitati sunt: quare? quia nulla est tam grandis culpa, quam, si vere & ex corde te pœniteat, & ad veram pœnitentiam, quod necessarium est, ieiunitas, & eleemosina addatur, non tibi condonet Deus, quòd per illam omnia abluantur. Nam ipsa in hoc sæculo remissionem ita impetrat, vt in futuro etiam prosit, & hominem peccatorem efficit meliorem, quòd sit voluntatis correctio, non malæ naturæ emendatio, dummodo ille in miseratione parcus non sit, quia pœnitentia sine misericordia in pauperes mortua est, nec sine illius plumis volare potest. verum quid eam certam ostendit? peccati odium, & incredibilis erga Deum amor, nam cum sic te piget, vt amarum in animo gustes, quod tibi in vita dulce fuit, & quod te in corpore magnopere oblectabat, id vehementer te cruciet in mente, ac torqueat. Tunc recte ingemiscis, & ais: tibi soli peccaui. At animaduertere nos oportet solam pœnitentiam tot sordes nostras diluere non posse, nisi clementia Dei, ac pietas ei iuncta sit, & inutilẽ esse, nisi fundamento ipsa nixa sit, fide videlicet, & caritate fulta, tunc enim vitia fugat, mentem roborat, virtutes exornat, & homines adducit ad angelos, vt cum D. Chrisostomo exclamare nobis liceat, ò pœnitentia misericordiæ mater, & virtutum magistra, magna sunt, & egregia opera tua, quibus reos absoluis, lapsos reficis, & desperatos recreas. Deinde

de pœnitentiam erubescere debet nemo, vtpotè donum à cœlo datum, non sacerdos, non è populo quisquam: non enim commorari debet diem vnum, vt pœnitens non sit, quia quemadmodum nulla dies est, qua homo peccato vacuus sit, sic nulla non die illum ex delictis suis dolorem summum capere decet: Nam non satis est in meliorem partem mores mutasse, ac voluntatem, nisi de erratis, aut magnam animi humilitatem ostendendo, aut cor compungendo, aut magnopere mœrendo, dolendoq; à nobis Deo satisfiat. Quæ satisfactio quid aliud est, quàm imposita nobis à sacerdote, cui omnia, & singula aperimus, delictorum expiatio? quam libenter exequi ostendimus, cum & bonis operibus, & sacris precibus operam nauamus. In sententia hac firma, & constanti fuit magnus ille Augustinus, qui etiam cum ægrotaret, illos supra dictos psalmos recitabat abunde lacrymas effundens; aiebat enim neminem etiam si facinoris alicuius conscius is sibi non esset, committere debere, vt non peracta pœnitentia è vita migraret. Prouidentia ergo diuina, ne desperando crimina augeamus, ante oculos nobis pœnitentiæ portum posuit, ne rursus nimis sperando ad scelera nostra quotidie addamus, diem mortis, exitusq; nostri incertum nobis reliquit. Quæ duo desperatio scilicet, & spes peruersa animas nostras summopere angunt: De nullo tamen desperãdum est, quamdiu patientia Dei ad pœnitendum adducit, quæ tunc valde enituit, cum furentem, & execrantem Saulum differendo sustinuit, vt eum postea pœnitentem ostenderet, nam dilatio illa effecit,

vt ecclesia tam insigni, atque admirabili doctore miri fice gaudeat: Denique hoc menti vestræ hærere debet, cum vitia multa capitalia existant, quicunque se vnius reum esse cognouerit, si hunc non pœnituerit, vt absque remedio igne se arsurum esse non ambigat. De omnibus dolere necesse est, quia dicere satis non est, peccator sum, sigillatim enim delicta reminisci opus est, & ea sacerdoti narrare, Et potissimum non ignorare pœnitentiam illam fictam esse, & simulatã, cum ablata non restituuntur, & iniuriæ non condonantur, eandemq; in fine vitæ differre, quæ secura non est ac tuta, sicut quæ ab infirmis petitur, infirma est, nonnullis quasi à fide alienum videri, qui aiunt, quomodo in extremo spiritu constitutus satisfactioni operam dare poterit? multo magis post iudicium in futuro sæculo seram esse, & inutilem, nec proficere, cui apud infernas partes locus non sit, omnibus perspicuũ est. Verum pœnitens cum ad vitanda futura supplicia incumbere debeat, quem nunquam obliuioni peccata tradere, ac mandare oportet, sed rogare Deum, ne illorum memoriam teneat, quia si non meminerit ipse, eorum non obliuiscetur Dominus Deus, quot ipsi viæ, ad obtinendam peccatorum impunitatem pateant, ego commemorabo, ac prima, quæ nobis occurrit, ea est, vt Deo peccasse nos ex animo confiteamur, atque peccata non cælemus: secunda, cum de peccatis largiter flemus, quòd lacrymæ pœnitentiam arment, crimina deleant, nostros langores sanent, tandem nos Deo reconcilient: tertia, cum humilitatem Publicani imitamur, qui iustitiæ fructum tulit: quarta,

cum bona nostra, superflua præsertim in pauperes erogamus, quòd misericordia, sine eleemosina virtutum maxima sit atque regina, & aerem præcidat cũ Dei donum sit, & magnum bonum: quinta, cum singulis momentis, & sine intermissione multam orationem habemus, & orantes non deficimus; sexta cum nos ieiunio, quod pœnitentia saporem esse nobis dubium non est, affligimus: quas vias si pœnitens confecerit, dubitare ne debet, quin à Deo magnam gratiam ineat, nedum ab illo ipsi ignoscatur? certe perfectam illam pœnitentiam, quæ peccatorem omnia libenter perpeti, etiam percutienti maxillam alteram præbere cogit, factis se executum esse gaudebit. At dicet vnus aliquis, eleemosinis peccata mea expiare nequeo, pauper enim sum, & vix victum, & vestitum habeo, ac ne vix quidem: alter, ego vero ieiunitatem ferre non possum, quòd natura, & corporis vires imbecilla sint; sed ij saltem ea, quæ in ipsorum potestate, ac voluntate sita sunt, præstare non prætermittant, simpliciter & pure Deo, atque illius sacerdoti fateri peccata; nullus enim excusationi locus est, & lacrymis flagitia delere, nec non humiles esse, atque in assidua oratione versari post dominicam orationem hos superiores psalmos quotidie in ore habendo, sic enim misericordiam consequentur, & salutem, omniumq; delictorum veniam impetrabunt, & ad cælestem patriam aditum sibi patefacient. Cæterum, quod caput est, dũ sani sumus, satisfactionem pro peccatis ante oculos nobis proponamus; vt enim ait D. Paullus, dum tempus habemus, opera bona efficiamus, nec differamus

vnquam,

vnquam, ne, cum mors nobis propter incertos casus immineat, & propter vitæ breuitatem nunquam longe absit, nobis ipsis eam consciuisse videamur. Et cum neminem Deus sincere, & vere pœnitentem spernat, sequitur, si nos eum precibus placare, & egregijs factis ad protegendum nos miseratione sua prouocare non destiterimus, vt vereri non debeamus, ne non cælestis regni sui consortes esse velit benignissimus, & clementissimus Deus, qui viuit, & regnat sempiternis seculorũ ætatibus benedictus, & gloriosus. Amẽ.

IN PSALMVM CXXXVI. Super flumina.

INscriptio Psalmo huic non est apud Hebr. nec apud D. Hieronymũ, apud Latinos nõnullos talis est. Psalmus Dauid propter Hieremiam quod additum esse opinor ea ratione, quia sicut Dauid agit de Judeis qui à Nabucdonosore in Babiloniã captiui ducti sunt; atque vaticinatur, sic Hieremias illorum miseriam luxit, & ruinam Hierusalem lamentatus est, prædicens ea quoque nobis, qui peccato vincti detinemur, euentura esse. Supra autem illam, quæ ab Antiocho, in Ps. Deus venerunt: & eam quę à Romanis effecta est, vastitatem in ps. ut quid repulisti, tractauit. Sed in hoc duæ ciuitates nominantur, Hierusalẽ & Babylonia, altera, dicta pacis visio; altera uero confusio, quę corpore coniunctæ sunt, corde, separatæ. At captiua tenetur Hierusalem, non tota, ciues. n. eius

angeli sunt, omnis miseriæ expertes; Verum propter homines, qui ob peccata a patria exules ac peregrini sunt; nam & si Syon ipsius & Hierusalem ciues sumus, in ista tamen vita & confusione seculi huius non ciues habitamus, sed captiui detinemur; De captiuis ergo Iudęis sermonem hic facit Dauid eorum autē reditu in Ps. Te decet; Qui & vexationem, quā semper ecclesia passa est, & vsque ad diem iudicij passura, & eorum vltionem, qui ei insultarunt; nec non ipsorum euersionem pręuidit, quę nobis etiam afflictiones & angustias futuras esse indicabant. Nomine igitur sacerdotum, & leuitarum, atque cantorum, qui vincti in Babylone erant, & totius congregationis psalmus hic conscriptus est.

Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus.

M*Agnum viros hos suæ ciuitatis desiderium tenet, magna reditus cupiditas, sed quandiu illi bona habebant in manibus, insolentes, atque arrogantes semper probra, et iniurias inferre nō cessabant; postquam vero eis priuati sunt, maximo tunc desiderio ar serunt. Sed quanam de causa sedebant super flumina? quòd captiui, & regionis hostilis finibus circunscripti essent, extra muros & vrbes habitabant; & ideo propè fluminum ripas incedentes priuatim inter se lamentabantur silentio. Et flumina, Euphrates, multique illius riui, ac Tygris vocabantur. Ceterum flumina dicūtur omnia, quæ hic amantur ac transeunt, fluuntque; atque hæc attendentes sancti in ea se non immergunt*

gunt, sed contemnentes supra sedent ac flent; Vel flumina afflictationes & tyrannorum cruciatus significant. Dum captiui ergo sumus, humiles sedeamus super fluuios, non in illis nos præcipitemus, nec in nostro malo erigere nos audeamus, sed humilitas nostra talis sit, vt nos non mergat. Babylonis, *inquit, non ciuitatis tantum, sed prouinciæ totius, quæ valde irrigabatur.* Et fleuimus, *ac plorauimus.*

Dum recordaremur tui Syon.

IDest ciuitatis, templi, ac sacrificiorum; non aliarum rerum; & præter te nihil aliud in memoria haberemus, in terra enim hostili dulcis est amor patriæ ac recordatio. Ἀναγογικῶς. Ecclesia super flumina sedet Babylonis semper a prauis & sceleratis, qui sub eius nomine, & Edon comprehenduntur, afflicta, atque vexata; attamen nunquam fidem amisit, quia semper Syon ipsius memoriam tenet, in qua Christus regnat, & hoc per fidem, atque recordatur etiam, quomodo ab illa paradysi sede decidit Adam.

In Salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.

IN salicibus, quæ in medio Babylonis & regionis illius propè fluminū littora existebāt, affiximus organa nostra, quia nos ab omni lætitiæ carmine subtraximus non ea solum ratione quòd captiui essemus; sed quòd tantis angustijs, & cruciatibus cum premeremur, cantica nobis illi exigerent. Citharas vocat D. Hieronymus, instrumenta illa videlicet, quibus hym-

nos, & psalmos canere solebant; ea enim ad concinendas laudes diuinas attulerũt. Cur autem illa gestaurant, quibus vsuri non essent? à Deo hoc ita prouisum fuit, quò in aliena regione Syon ipsius monimenta haberent, & angerentur magis, atque ægr ius ferrent, dum religionis, & cultus Dei signa viderent, atque intuerentur, Anagogice. Habent autem organa sua ciues Hierusalem, videlicet scripturas Dei, eiusque promissa; ; sed cum in medio Babylonis degunt, in salicibus ea affigunt, Quę sunt arbores non fructuosę; & licet a fluminibus rigentur, nullum tamen fructum ferunt. Itaque sicut sunt homines auari, & in omni opere bono steriles, sic babylonis ciues; Reperiuntur tamen, qui extra eam existunt, idest qui non tanto sęculi appetitu, atque oblectationibus obruuntur; qui autem in eius medio sunt, hi valde praui sunt, & ligna sterilia, tanquam Babylonis salices. Nonnulli salicum nomine fideles simplices intelligunt; quemadmodum.n. illæ arbores sunt ad nutum flexibiles, ita & fideles prauis semper obediunt, licet affligantur; Et sicut salicis ramus, si iuxta aquas plantetur, statim viret, ac frondescit, sic peccator quanuis lapsus fuerit, si legit sacras scripturas, & à viro sancto Dei verbũ audit, viret eius anima, & ad pœnitentiam conuertitur.

Quoniam illic interrogauerunt nos verba cantionum, & qui abduxerunt nos, hymnum cãtate nobis de canticis Syon.

Tripli-

Tripliciter verba hęc, serio, & cum irrisione & cum quadam miseratione dicta exponi possunt; Qui serio opinantur, captiuos non parum lucri, ex eo fecisse aiunt, quòd Babilonij instarent, vt cantica illorum audirent; desiderio ardere praeseferentes; Nam qui legem omnino conculcauerant, in aliena terra ita nauiter se gesserunt, vt uel minitantibus barbaris, atq; auscultare cupientibus nec morem gerere uellent, at legem anteferrent, eamque diligenter obseruarent; ex quo uel maxime apparet, quam fortes reddat afflictio; flebant enim illi & legi parebant. Ex eo etiam misericordia plurimi commouebantur, quoniã eos non angi intuebãtur, quia captiui essent, nec seruitutẽ deplorare, nec q̃ in aliena regione habitarent, sed quod Dei sui cultu excidissent. At plerique cum irrisione interpretantur, quod mihi quoque arridet; Quoniam illic idest in Babylone interrogauerunt nos irridentes; qui duxerunt nos scilicet ad has miserias, verba cantionum idest canticorum vt responderemus tentantes, atque carmina caneremus. Et qui abduxerũt nos, *impij Dæmonis satellites scilicet a societate angelorũ, dicebant, hymnũ cantate. Hieronymus legit, & qui affligebãt nos, læti canite nobis de cãticis Syon idest qui torquebãt nos prępositi dixerunt nobis quasi illudentes: canite læti, uel in lętitia concinite nobis.*

Quomodo cantabimus canticum
Domini in terra aliena.

CVr in terra aliena canere non permittebantur? quoniam a profanis auribus arcana illa verba audiri non decebat; captiui ergo respondent, nobis cantare non licet; & si.n. à patria exules sumus & vos corporum dominatum habeatis, animum tamen non vincetis. Ex quo perspici potest, animam ab afflictione ad sapientiæ studium fuisse traductam, & ærumnis atque calamitatibus superiorem exstitisse, Quomodo canticum Domini, inquiunt, ad diuinum cultum spectans in terra idolis seruiente, & in hac confusione & miseria concinemus? Vnde non negat cœtus ille, quin in peregrinatione cum mœstitia tamen ac luctu cantilenas cantaret; at in lętitia, vt in illa Syon, & gaudio, ac felicitate, inficiatur.

Si oblitus fuero tui Hierusalem: obliuioni detur dextera mea.

VIde mutationem magnam. Nunc captiua illa congregatio sibi dira precatur. Si non recordatus fuero tui ô Hierusalem, obliuioni mandetur dextera mea, idest arescat manus mea, & nihil sensus in ea relinquatur, Et vires meę me deficiant. Sciendum est, quiquid pro adipiscendis ęternis rebus laboris suscipimus, dexteram nobis præstare; si vero terrenis animum adijciamus, sinistram insinuare se, quasi delectemur tanquam dextera, ęterna amittimus. Hieronymus legit in obliuione sit dextera mea: Deum autem in

tem in obliuionem illius venire dicitur, si non amplius ei auxilio ipse sit.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.

IDest mutus euadam in Dei laudibus propter malorum magnitudinem & obmutescam, si vnquam meam tui memoriam delebit obliuio.

Si non præposuero Hierusalem in principibus lętitiæ meę.

SI non solum alijs in rebus, sed in hymnis etiam & canticis, videlicet in procemio cantici ipsam non posuero, idest si præ ceteris rebus omnibus memoriæ non tradidero tanquam illam quę inter omnes oblectationes meas primum locum teneat, & omnis lętitiæ meæ, gaudijque pręcipuum caput sit; Vel si omni gaudio ac lętitiæ, quę mihi euenire posset, pro ciuitate Hierusalem luctum ac fletum non præposuero. Nonnulli tres hos versus ad Christum referunt, qui afflictationis eorum misertus respondeat, ò Hierusalem in hoc statu, in quo captiua es, cruciaris, & pœnitentia adducta reuerti cupis, vt mihi inseruias, polliceor tibi &c. at hæc mihi sententia non arridet, nec in Christum recte huiusmodi execratio cadit, Vnam animam ex multis sanctam, captiuā tamē hæc effari cum D. Augustino sentio, quę hoc atroci se nexu obligauit. Sed nos discamus, et non obliuiscamur idem euenire nobis posse, ut quęramus ea, à quibus excidimus; Sed illi quidē cum exularent apud Babylonem, spe reditus

ad Hierusalem sustentabantur; nos vero a cælesti illa excidētes de reuersione nullā habemus; ideo diligētius attēdere nos oportet & in p̄senti vita sic p̄stare nos, ut captiui, ac remoti ab illa patria alieni futuri nō simus.

Memor esto filiorum Edom Domine in die Hierusalem.

HIc propheta nomine cœtus illius Sacerdotum & cantorum, cuius hoc de vlciscendis Babyloniјs & Idumeis, & populo terreno, qui illum afflixit, verbum est, desiderio ciuitatis inflammati, petit a Domino, vt eorum vltor sit ipse, & ait: recordare filiorum Edom scilicet eorum quæ contra te fecerunt, scelerū, & de illis sume pœnas, quibus non satis erat ciuitatē capere; sed instabant, vt illa funditus euerteretur, ac ne bases quidem relinquerentur. Hi autem Arabes erant, qui vna cum Babyloniјs Iudæos inuaserant, quos reprehendit propheta, quòd cum intercederet inter eos cognatio, hostibus acerbiores fuere. Memoria ergo tene, vt eos dignis supplicijs afficias in die Hierusalem, vel Hierolosolymæ, calamitatis, vel in die restitutionis & gratiæ. Edom autem dictus fuit Esau ab illo lenticulæ cibo rubro, qui maior fuit, & carni valde deditus; Iacob vero minor spiritui; ergo Esau omnes ventri deditos, ac voluptati significat; Iacob vero cunctos indicat, qui spiritui seruiunt. In sacta autem scriptura per Edom non solum illa pars Arabiæ intelligitur, quæ vltra Iordanem existit, sed populus etiam infidelis, qui semper populo Dei aduersabatur, & eius uastitatem procurabat. Et hac exstitit caussa, cur populum sequentem Christum, ac vene-

rantem, Edom appellarunt, eo quod ex ijs qui se conuerterunt infidelibus ad Christum, is conflatus fuerit, & quia populo Hebreo infestus sit.

Qui dicunt, exinanite, exinanite vsq; ad fundamentum in ea.

I*Dest extinguite Christi nomen, & eos, qui illum sequuntur, & ne vnus quidem supersit, Geminatur verbum, vt maior intentio desiderij appareat, & cum hęc dicerent filij Edom insectantes improbati sunt, martyres autem coronati. Pœna, quam postea Idumei Cambysis tempore dederunt, qui ipsius Idumeæ, Syriæ, & Aegypti funditus vastationem effecit, ab Abdia prædicitur, cum ad Edom se conuertit: ergo qui vrgebant, vt Hierusalem radicitus euelleretur, & quicquid in ea erat, etiam fundamenta euellerentur, paucis post annis ipsi destructi sunt.*

Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem qua retribuisti nobis.

C*Iuitas ipsa Babylon dicitur, & filia Babylonis, quemadmodum Hierusalem, & filia Hierusalem, succedere namq; filia, anteire mater narratur, vel filia Babylonis ꝓ ijs qui in ea sunt. Aliqui more Hæbreorũ pro filia Babylõ filiam Babylonis dictã eße aiunt. O Babylon ob ea, quæ tibi contingent, misera, ruinam enim ciuitatis illi fore prædicit, quam Cyrus postea, & Darius populati sunt, ac vexauerunt, vel*

in die iudicij infelix. Beatus, quia Deus, vel si ad homines referatur, Beatus idest laude dignus & celebrandus ille, qui te afflictabit & prosternet, quam retributionem idest afflictationem nobis inflixisti, & quam plagam insanabilem nobis imposuisti. Hæc autem captiuorum verba fuerunt euersionem inimicorũ appetentium.

Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram.

I*Dest qui capiet, ac lædet, impingetq. paruulos suos .i. eorũ ad petram. Hieronymus, & græci legũt, tuos, ac meo iudicio rectius, idest tuos ò Babylon infantes cum sæuitia occident. Legitur enim à Cyro, & Dario e capitibus puerorum ad petram elisis cerebrum totum emanasse. Iram enim captiuos illos etiam contra immaturã ętatem habuisse constat. Ex quibus patet, quod sicut Dauid captiuorum liberationem e seruitute Babyloniorum, sic Christum ab hoste Dæmone, & à peccato totum captiuum genus humanum redempturum esse, atque ecclesiam suam à Iudęorum afflictione, & Hæreticorum nec non Antichristi tandem erepturum præuidit.* Ἀναγογικῶς *per filios Edom Dęmones, qui fideles cuiuscũq; animæ diuitias ad extremum vsq; fundamentum exinanire, & ad nihilum redigere conantur, p Hierusalem vnãquamq; fidelem animam; per miseram Babylonem, confusionem & impietatem ipsam miseria & ærumnis refertam, per paruulos, primos peccati motus, vel nascẽtes malas cogitationes, atq; cupiditates interpretari*

pretari possumus. Qui autem Dæmonum tentationibus restiterit, & animam suam, quoad fieri potest, sanctã & purã præstare studuerit, in qua habitare benignus Deus nõ recuset; impietatem vero destruxerit, et malas affectiones oppresserit, antequã eæ plus firmitatis, aut roboris habeant, & eas eliserit ad petram Christum, hic certe beatitudinem consequetur; vel qui hortationibus suis eorũ filios, ne paternorum scelerum imitatores fiant, retinebit, at ut ij peccato moriantur, & Christo viuant, adducet, is profectò beatus erit. Nos igitur Deo cantica canere non cessemus, si Babylonis salices, idest minime fructuosi esse nolumus; & assidue ipsius ęternę & cælestis Hierusalem memoriam teneamus, atque ad eam aspiremus suspirantes: nam quo præit spes nostra, sequi debet vita; ibi enim cum Christo erimus, quod nec suspicari auderemus, nisi veritas ipsa nobis promitteret; et rogemus Deum, atque obsecremus, vt a filijs Edom, idest ab ijs qui voluptatibus, ac ventri toti dediti sunt ac Dæmoni & eius satellitibus subiecti obediunt, qui nos euertere nituntur, nos liberet, & lumine suo illuminet, quo vitia nostra agnoscamus, & illa elidamus, ne vnquam nocere nobis possint; nec captiuos illos, qui ira ducti inimicorum vltionem maxime appetebant, imitari nobis libeat, sed nos qui misericordis domini discipuli fidissimi esse profitemur, eiusmodi vota non faciamus, sed ei pareamus, qui nos diligere inimicos iubet, & pro ijs, qui nos maledictis insectantur, orare, vt deinceps in terra tanquam in cęlo habitemus; sic enim contra mundi huius tentationes

armati

armati & nostrum hic cælestis Hierusalem deside-rium augebimus; & illuc cum peruenerimus, sum-ma Domini nostri Iesu Christi benignitate omnem il-lius expectationem explebimus; ac futura bona asse-quemur; qui semper est benedictus. Amen.

F I N I S.

Index Psalmorum, qui hisce Sacrati Commentarijs explicantur.

Domine

Errata sic Corrigenda.

Pagina		err.	corr.
Pag. 3.	lin. 5.	conscriptas,	conscriptos.
Ibid.	9.	tradita,	traditos.
5	24	Et quid diuino	ne quid diuino.
11	7	deiecta	deiecti.
15	21	p nos ipsos effici,	p nos ipsos hoc effici.
18	23	latini hoc verbo,	latini autẽ hoc verbo.
19	18	honore illum	honore illos.
22	25	seruitutis iugũ,	seruitutis, inquit, iugũ.
23	3	caritas seruitutis,	caritas etiã seruitutis.

pag.

pag.		err.	cor.
Ibid.	7	ne hæc lætitia,	ne hac lætitia.
25	28	Absalonem patrē.	Absalon. n. patrem.
26	13	infra dicitur,	infra dicetur.
29	4	celebris factū sit,	celebris factus sit.
37	27	more uotum,	more vatum.
43	16	bone sperare,	bene sperare.
49	vlt.	se intueri	se cupere intueri.
51	26	quod non est,	quod non est, ideſt mendacium declinant.
57	20	alijs initiet,	alijs incutiet.
66	11	id illud,	in illud.
68	22	inuolunt,	inuoluat.
77	20	spem posuit,	spem posui.
81	27	punire est effectus enim ire.	punire enim est effectus iræ
83	19	quo vt alii,	quod vt alii.
86	21	ambulat,	ambulet.
89	2	præferre,	perferre.
97	20	interfecis,	interfectis.
100	18	viseri,	viserit.
110	16	sed exurge,	vel exurge.
125	22	illis verbis: immunda existunt: adde, legit Hieronymus: parturient viæ eius in omni tempore ideſt meditantur, quomodo innocentes opprimant.	
127	6	oro. i.	ero.
128	4	perbona	plena.
130	15	violentia,	violentiæ.
131	1.	resistentibus irrogauerit	resistentibus supplicia irrogauerit.
ibid.	24	tuæ tuleræ	tuæ tutelæ.
135	5	alibi videri bona,	alibi credo videre.
136	12	aptissima	aptissime
139	6	volant,	volans.
145	20	perficere nequeāt	perficere queant.
147	20	libentes,	libenter.
155	14	insidiis struunt,	insidias struunt.


pag.

pag.		err.	cor.
156	10	fcd̃m altitudinẽ	vel fcd̃m altitudinem
158	16	patrum vero; conqueftio ,	Patrum vet. teftamenti conqueftio
p. 162	l. 2	moleftiarum moleftiffimum ,	moleftiarum mihi moleftiffimum.
168	20	dedent,	debent.
177	10	ratione cum is	cum ratione
186	19	referantur,	referuntur.
200	5	oftenderem	offenderem:
203	5	inuocauit,	inuocaui.
210	8	in ac præ	in hac præ
223	26	committentur.	committantur.
225		deficit prima linea:	gatum effe agnofcam, angar que & follicitus fim, vt à
230	24	furura fit,	futura fint.
244	14	qui omnia	quia omnia,
245	9	fe conuertendo	fe cōnuertendi.
243	29	faiuientem	fæuientem.
251	29	erinde	perinde
266	3	largiter	largitor.
278	25	terræ	ferre
279	14	defunt hæc verba: tunicam inconfutilẽ non diuiferunt, quia charitas diuidi nequit, verum eam ad forrem reuocarunt.	
281	25	& vos	& nos.
290	12	diuinus, quæ,	diuinus quo
292	11	quo peccatori,	quo pœnitenti.
304	4	infecti,	infefti,
305	29	enim , & femper	ideft femper.
311	15	me liberatum	me liberaturum.
312	10	& vitæ	vt vitæ
314	4	ab	ob
318	7	& meorum	& morum.
320	20	nunquam cum impiis.	
321	13	manus enim	manus. i. animæ.
322	vlt.	perdor,	perdar.
324	14	fe inter	fed inter.

pag.

pag.		err.	cor.
341	15	cum dilectum	cum delictum.
350	4	tantus ac generosus	atque generosus.
ead.	14	vinam	vtinam.
363 lin.	15	prædictinnem	prædictionem.
365	13	gladus	gladius.
367	18	ad recti,	ad recte
371	2	casu.	casia.
391	27	quoam,	quàm.
393	vlt.	ad &,	& ad
394	11	atque diuina	ac diuina,
397	26	sicut ante	sicut ea ante,
398	10	pespexerat	perspexerat,
Ibid.	15	prohibetet.	prohiberet.
407	2	quod flammam,	quæ flammam.
409	16	presequebantur,	persequebantur,
Ibid.	18	fit prædictio	sit prædictio.
411	24	qua fragilis,	quia fragilis.
435	20	persecutori, alias,	infectanti-
438	8	audissime,	auidissime.
441	6	se vt	sed vt,
448	2	sine eleemosyna,	siue eleemosyna,
Ibid.	7	pœnitentia	pœnitentiæ.

FINIS.



PAVLLI SACRATI
CANONICI FERRARIENSIS
IN DOMINICAM
Primam Aduentus Diem, Homilia, siue Sermo.



Tsi scio vos, fratres carissimi, miraturos esse, quo ego spiritu adductus exacta nunc ætate sacris concionibus vobiscum agere inceperim, cum nihil vnquam de me tale cogitare in mentem vobis venerit, mihi tamen memoria repetenti, quid seruo illi contigerit, qui accepto à Domino suo talento vno in terra illud defodit, quòd ab illo sibi metueret,

vt ille postea priuatus eo fuerit,& cu pienti illum imitari, qui talentis duobus donatus ita illa exercuit, vt alia duo lucratus fuerit, visum mihi est non cunctandum esse amplius, vt quibus donis benignissimus Deus me affecisset, eodem adiutore ijs vterer, ne deinceps in futuro iudicio difficilis, & magna eorum mihi reddenda esset ratio. Nam præclare mecum actum iri putaui, si tardius & aliquãdo, quàm nullo vnquam tempore à me quicquam confectum esset. Itaq; licet vobis hoc inauditum, atque insolitum sit, nihilominus orare vos atque obsecrare, sed & exorare me decet, vt hunc nouum hominem de rebus non nouis, at de ijs, quæ à sanctis patribus, atque doctoribus legendo accepit, ac didicit, vobiscum sermonem habiturum libenter, & at

tente audire velitis; ſpero enim fore clementiſsimo Deo mihi propitio, vt ea, quæ maieſtati diuinæ maxime conſentanea, animabus veſtris ſalutaria, & ad impetrandam à Deo gratiam valde vtilia futura ſint, intelligatis. Ac vnde niſi ab aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti potiſsimũ ordiar? Cuius quot modi exiſtant, vt ignari, rudesq; harũ rerum facilius hæc percipiant, dicendum eſt triplicem eſſe modum, videlicet in carnem primum iam abſolutum, perfectumq;, Deinde in mentem quotidie, denique in iudicium poſthac; eius autem primum, & ſecũdum modum indicia fuiſſe amoris plena; tertium timorem incuſſurum eſſe; eum uero propter primum, & primum propter ſecundum celebrari. Eccleſia tamen Domini aduentum in car-

nem, conſequenter & in mentem celebrans, cuius eſt primus hodie anniuerſarius dies ab ea inſtitutus, in precibus de aduentu ad iudicium meminit Lucæ Euangelium legens, vt illius timore deterriti adducamur ad parandum nos ita, vt magnificentiſsimo hoſpitio Chriſtus à nobis accipiatur, & mente verbum conceptum, atque comprehenſum retineatur; dicaturq; à nobis cum propheta; à timore tuo ſpiritum ſalutis concepimus. Nonnulli etiam quatuor aduentus modos legunt, duos, quorum vnus ante viſus fuit, alter poſt videbitur; duos vero qui videri neque ſunt, alterum quidem cum Chriſtus in mentem iuſti influit, alterum vero, cum in obitu fidelis cuiuſq; adeſt, eosq; ab eccleſia quatuor dominicis diebus repreſentari aiunt. Verum

rum vt ad primum reuertamur, fratres carissimi, sciendum nobis est, quòd Christus in mundum humilis venit secundum tempus à patre diffinitum, vt peccatores saluos faceret, quæ potissimum caussa exstitit, & vnicum remedium quod posset prostratis opem ferre, venit autem occultus, & nõ manifestus nisi ijs, quos nouerat suos fore: Quin Dæmonem ipsum fefellit, cui cognitus non fuit; non enim interrogatus fuisset, si filius Dei es; Quare autem humilis nos inuisit? propter Adæ, & Euæ superbiam; nam illi obedire noluerũt, suæ vero propriæ voluntati morem gerere; inobedientia enim ex superbia emanauit, atque effluxit, non tamen primum ad peccandum impulit eum ligni pulcritudo, & gula, sed serpentis suasio, qui statim vt dixit, ape-

rientur oculi veſtri, & ſicut Dij eritis, ſuperbia in animos eorum irrepſit: Quod Auguſtinus dictum confirmat dicens hominem ſuperbia elatum, & ſerpenti obedientem Dei præcepta contempſiſſe. Verum, fratres mei cariſsimi, animaduertendũ eſt non ſic ad nos acceſiſſe Dominũ Ieſum Chriſtum, vt angelos deſeruerit, cum illis ipſe remanſit maieſtatem ſuam ſeruans, atque conſeruãs; ad nos ſe contulit, vt carnem ſumeret. Ex quo liquido conſtat, quàm excelſum locum obtineat humana natura. An non potuiſſet ille alio aliquo modo, vt pote æthereo corpore nobis apparere? potuiſſet certe; ſed niſi factus fuiſſet homo, liberatus homo non fuiſſet. Ac duæ potiſsimum cauſſæ afferuntur, cur verbum caro factum fuerit, vt ait D. Ioannes,

primum quidem quatenus homo, vt omnia opprobria pro nobis toleran do nos ex vinculis peccatorum eximeret, & ſaluos redderet, quem Iſaias quoque ait delictorum noſtrorum pœnas luiſſe; Deinde vt eos, quos ſanguine ſuo redemerat, non ſolum doctrina, & fauoris auxilio, ſed exemplo etiam ſuo à vitijs, & criminibus ad ſanctitatis, integritatisq́; ac munditiæ tùm corporis, tùm animi ſtudium traduceret: tertiam quo que cauſſam reperio, fratres, fuiſſe, vt, cum ſummum is amorē erga nos ſuum demonſtrarit, ac nimiam caritatem, vt ait D. Paullus, nos ad redamandum eum prouocaret; Et quomodo ſine maxima reprehenſione nos recuſare poſſumus, ne mutuo amori reſpondeamus, cum nos ante magnopere diligi ſentiamus? In ſe-

cundo aduentu manifestus veniet, & non silebit, ait Dauid, & bonis, ac malis notus erit, atque formidolosus; ignis enim in conspectu eius exardescet, ac magna cum claritate venturus est, totum etiam mundum dijudicaturus; licet.n.quando moritur homo, anima statim ad iudicium vadat, & Dominus ei retribuat, secundum illius opera; in Iudicio tamen generali etiam corporibus pro eorum gestis rependet. Igitur non silebit, quando etiam ij, qui eum modo contemnunt, illius vocem audient. Signa autem aduentus Domini ad iudicium recitat D. Lucas in Euãgelio, quod audistis, inquiens: Erunt signa in Sole, luna, & stellis, quæ iudicio ante cessura sunt, quo homines ad illud se præparent signis admoniti, ac se venturo iudici subijci-

ant, qui propter auctoritatem, quæ iudici debetur, gloriosus apparebit; & quia ignoratur tempus determinatum, dies domini sicut fur venire dicitur; in primo autem aduentu ea signa necessaria non fuerunt, quòd à prophetis tempus præcognitum esset, licet ipse D. Iesus Christus ad nos occultus venerit; Augustinus tamen ait signa hæc ad Hierosolymorum euersionem spectare posse. illa vero quindecim, quæ scholasticæ historiæ scriptor in annalibus Iudæorum ab Hieronymo inuenta esse scribit, quòd auctoritate non nitantur, mitto. D. Mattheus addit, quòd sol obscurabitur, ac luna nõ splẽdescet, ac stellæ de cælo cadent; splendor enim in Christo adeo enitebit, vt clarissimis luminibus cæli tenebras offundat, & stellæ decident, quando

conſpicietur in cælo filij hominis ſignum, ideſt crucis, quæ fulgebit, & ſola elucebit, quoniam crux luna illuſtrior, & Sole præclarior diuini luminis illuſtrata fulgore vtriuſq; ſplẽdorem ſuperabit. Cur autem ea videbitur in prõptu ratio eſt, vt Iudæi cõſilium iniquum ſuũ agnoſcant, quòd eum, quem venerari debuerunt, in crucem ſuſtulerunt: hoc enim ſignũ impietatis eos arguet; qui videntes accuſatorem ſero peccatum ſuum perſpicient: quin & ipſa vulnera patefaciet Dominus Ieſus, vt Iudæi ipſi oculis cernant, quem compunxerunt. Quàm terribile Iudicium illud futurum ſit, quid opus eſt commemorare, cum etiam de illo cogitare nemo valeat, qui timore perterritus non contremiſcat? Nam ſi virtutes cælorum commouebuntur, &

angelis

angelis timor inijcietur, quid euenturum nobis putamus, cum consciẽtia fraudum, & scelerum, quæ infinita in maiestatem diuinam edita sunt à nobis, nos stimulabit? Quæ cum ita sint, fratres mei carissimi, qui aduentum Domini nostri primum non cognouerit, quo modo se ad secundum præparabit? Ergo, vt inquit Paullus, dum tempus opportunum est, opera bona efficiamus, atque nauemus; Nam Dominus Iesus etiã nunc non silet, vt ait Dauid, si exstẽt qui audiant; quotidie enim nos inuitat, nosq; appellat, ac prophetarum, & concionatorum vtens opera se redditurum, quod promisit; at requisiturum esse, quod redemit, & quod in primo aduentu dedit, in secundo se exacturum, sæpe prædicit. Quamobrem cum Ecclesia anniuersarium

ſarium hoc feſtum agat, vt primi aduentus D. N. Ieſu Chriſti memoria teneatur, & conſeruetur, atque eorum omnium, quæ fecit, & docuit, non iniuria aliqui ſancti patres tertium hunc aduentum appellarunt. Si igitur ad celebrandum digne ſanctiſsimum natalis diem Domini noſtri Ieſu Chriſti feſtum, atque ad eius religioſiſsimum altare accedere volumus, in eoq; ſanctiſsimum Chriſti corpus mandere, & ſanguinem bibere; quid agendum nobis eſt ante, fratres? peccata noſtra agnoſcamus, eorumq; maculas pœnitentia eluamus, oportet, quoniam hoc optimũ eſt. Qui ergo expetit vitam, eamq; felicem degere cupit, cum virtute illam colat, mores conformet ſuos, ſe ipſum exornet: Nam ſi Rex, aut princeps aliquis ad nos diuertere vellet,
non

non ne domum totam lustraremus, non ne munditiam omnem adhiberemus, ne oculos quicquàm hospitis offenderet? Item si princeps alius ad agendum natalem diem suum nos inuitaret, quibus vestibus induti, atq; ornati incederemus quàm pretiosis? Itaq; conari totis viribus debemus, vt anima nostra diuersis virtutum ornamentis castitate præsertim, ac miseratione, & caritate prædita ad colēdum natale D. Nostri Iesu Christi splendida candidaq́; tute perueniat, ac securitatem, in qua vita beata posita est, tandem habeat. Dominus enim Iesu Christus si nos ita diem hunc celebrare cognouerit, non solum visere nos, sed etiam nobiscum commorari non grauabitur, vt scriptum est, ego cum illis ambulabo, & ecce hostium pulso, si quis aperuerit

mihi,

mihi,ad illum ingrediar; & cum illis cænabo; Quid enim beatius, quid felicius cogitare poſſumus, quàm vt digni reddamur Chriſtum hoſpitem recipere? Sicut D.Gregorio ſummo Pontifici contigiſſe fertur, ad cuius prandium, vt Chriſtus Dominus habitu peregrinus veniret, dignus ab eodem iudicatus fuit. Et è contra, quid anima illa miſerius, atque infelicius animaduerti poteſt, quæ tot, ac tanta ſcelera commiſit atque flagitia, vt ei Dæmon dominari incipiat? horreamus igitur horribile illud, ac pertimeſcendum iudicium, fratres cariſsimi, quotidieq́; immo ſingulis horis de eo cogitemus; nam cum illius vocem audierint ij, qui ſcelerum ſuorum cōſcientia, ex qua timor exoritur, cruciati erunt, dicentis: ite maledicti in ignem æternum.


quia

quia esuriui, & sitiui, vos nec cibum, nec potum suppeditastis, vestitu nudum non induistis, & huiusmodi, tūc flebunt, & plorabunt: quid tum, cū huic tanto malo remedium nullum reperiri poterit? sicut contra; cum boni audient: venite benedicti à patre meo, & in possessionem regni, quod vobis paratum est, quia hęc omnia religiose, ac sancte impleuistis, ac perfecistis, qua lætitia afficiē tur, quo gaudio exultabunt? Ergo, fratres, in horum numero vt simus, omnia moliamur, ac memoria teneamus, quod in Euangelio ait Marcus, vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus venturus sit, Iterum dicit, vigilate. Si enim nos admonet Dominus, cur ei non credamus, cur nos ei totos non dedamus? Quare quoad vita suppetet, nobis ipsis deesse

noli-


nolimus,pauperibus misericordiam tribuamus, neminem lædamus, nec cuiquam suum auferamus, ieiunitate, ac macie corpus conficiamus, assidua oratione Deum placemus; nam si hæc fecerimus, polliceor vobis nos tutos, ac securos iudicio affuturos esse, & illam suauissimam vocem audituros: venite benedicti; Dominum autem Christum nobis propitium fore, atque in suam clientelam, atque in regnum vti fratres, & ipsius coheredes esse recepturum. Qui viuit,& regnat in secula seculorum. Amen.

EIVSDEM



EIVSDEM

IN DOMINICAM SECVNDAM ADVENTVS.



SVperiori ſermone, Fratres cariſsimi, de aduentu Domini, & quot ij ſint, copioſe diſeruimus, & quomodo nos præparare oporteat, vt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum hoſpitem accipiamus; Et quibus nos virtutibus ornatos eſſe deceat, vt illius ſanctiſsimum Natale ſolenne celebremus. Hodie à Ioanne Baptiſta, qui videns Ieſum ad ſe venientem ex-

clamauit: *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* & vocem illam cæleſtem audiuit; *Hic eſt filius meus dilectus*. quæſtio mouetur, vt modo intellexiſtis, cum Euangelium legeretur, an ille ipſe ſit, qui venturus eſt, an alium expectemus; in qua dubitatione tollẽda cum doctores inter ſe diſsideant, nosq; varias opiniones allaturi ſimus, obſecro vos, vt me diligenter attendatis, quò vnà mecum quæ magis ſit veriſimilis, dijudicare queatis. Inquit ergo D. Matth. *Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Christi*, à quibus audierit, conſtat, quòd à diſcipulis ſuis, qui omnes Chriſti actiones ei narrauerunt, non animo ſincero, ac puro, ſed ſtimulante inuidia; nam & alibi conqueruntur inquientes: *Rabbi qui tecum trans Iordanem erat, abluit, & om-*

nes ad eum proficiſcuntur; Quòd autem contra Dominum ſuperbe agerent, ex eo patet; quòd acceſſerunt ad eum inquientes: *quare nos frequenter ieiunio affligimur, tui vero minime?* Ac dum Ioannes cum ipſis erat, de Chriſto illis aſsidue ſuadebat; obiturus autem mortem maiori diligētia vtitur; verebatur enim ne ij aliquid peruerſi dogmatis imbiberent, quod eos à Chriſto alienaret, cui omnes commēdare ſtuduit; *Mittens duos de diſcipulis*, perſpicaciores, qui inter ipſum, & Chriſtum diſcrimen noſſent, ait illi, *tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Non nulli arbitrantur Ioannem tanquàm pium vatem, quem venturum eſſe credidit, non ſenſiſſe eum moriturum, non fide igitur, ſed pietate dubitaſſe ſicuti & Petrum: Grego-

rius ait Ioannem quidem non dubitasse illum esse Műdi redemptorem; sed inquirere, an qui per se in mundum venerat, per se ad inferos descẽsurus sit; Hieronymus vero ait: Ego ad infernas partes descensurus sum, manda mihi vtrum ibi aduentum tuum nunciare debeam, sicut superis nunciaui; an non deceat filium Dei, vt is mortem gustet, & ad hoc alium missurus sis? Sed Cyrillus nusquã in sacra scriptura legi ait, quòd Ioannes Christi aduentum inferis prædixerit. At considerandum est eos non ea ratione dixisse Ioannem inferis Christum venisse prænuntiaturum, quòd aliqui non credentes se ad Christum conuertant: ridiculum enim fuisset hoc illum dixisse, vt illuc abiens prædicaret, cum vita tãtum præsens à Christo gratiã ineundi

di tempus tribuat, post obitum vero Iudicium futurum sit ac supplicium, nec ibi præcursore opus sit, sed vt Iustis in expectatione existentibus, & vicinum esse aduentum audientibus consolationem non modicam afferret. Cæteri autem inquiunt Ioannem discipulorum suorum ignorantiæ consuluisse, vt enim ij scirent alium ab eo prædicatum non fuisse, ad intuenda eius opera illos misit, quæ auctoritatem dictis suis afferrēt, nec alius expectaretur Christus, quàm cui opera testimonium dedissent, perinde ac si diceret: ite, videte, & credite, quia non est alius quàm ipse, qui venturus fuerit, & hanc veram esse sententiam ex respōso Christi conijci potest, quam ante Hieronymus attingit inquiens, Ioannem ab Herode occidendū ad Chri-

ſtum diſcipulos miſiſſe, vt occaſione hac virtutes, & ſigna videntes in eũ crederent. *Et reſpondens Ieſus ait illis, renuntiate, quæ vidiſtis*, ſciens Ieſus, quó eos animo miſiſſet Ioannes, & cauſſam eorum aduentus, tunc plura miracula edidit; operum enim, ac rerum teſtimonium verborum teſtificatione credibilius eſt; vnde confeſtim cæcis viſum, ac lumen, claudis ingreſſum rectum, leproſis mundiciam, ſurdis auditum reſtituit; præterea pauperes, vel ſpiritu, vel certe opibus euãgelium audiunt, quibus prædicatur, vt nulla inter nobiles, & ignobiles, diuites, & egenos in prædicatione differẽtia intercedat. Hæc enim Magiſtri rigorem, & eum vere præceptorem comprobarunt, quia æqualis eſt omnis apud eum, qui ſaluari poteſt: Et eum vere mun

di

di Saluatorē esse primo ex Isaia, qui hæc miracula narrat; deinde ex eorum abundantia, denique ex potentia cognoscere licet. *Et beatus, qui non fuerit scandalizatus in me,* Christus percellit Ioannis discipulos, qui erant inuidi, nec credebant, beatus qui in infirmitate, & humanitate mea de diuina potentia mea non dubitauerit, sicut latro, nec deterritus fuerit, ne mihi tanquam saluatori fidem adhibeat, me purum hominem existimans, nec ruinæ occasionem dederit; Mira quidem facio, sed contumeliosa perpeti non recuso, & ego Ioannem moriendo sequar. Cauere igitur homines debēt, ne in me mortem despiciant, qui signa venerantur. Attamen cruce potissimum omnes offensi sunt, etiam apostoli; Iudæi vero penitus alienati. *Illis autem*

abeuntibus cœpit dicere de Ioanne. Qui recesserunt iam per signa, quæ viderant de veritate certiores facti; sed turbas sanari oportebat, quæ mittẽtis consilium ignorabant, vt illæ Ioãnem non sibi, sed discipulis quæsisse scirent, ne eum liuore motum esse suspicarentur. Vnde illum laudare incipiens Christus absentibus discipulis eius, vt adulationis notam fugere nos doceat præsertim in conspectu eorum, quos commẽdamus, eas alloquitur, *Quid existis videre in desertum?* idest cur dimittentes ipsas ciuitates in solitudinem venistis? non enim plebs tanta ad eam accessisset, nisi magnum qnendam, & petra solidiorem videre existimasset; At animaduertendum est, quòd tunc non exierunt turbę, sed Christus præteritum refert, quia frequen

ter

ter è ciuitatibus egressæ fuerant: *Arundinem vento agitatam*? leuitatẽ à Ioanne remouet; arũdo enim mox vt aura eam attingit, inflectitur, talis non erat ille, quem nihil inflectebat, nec de statu suo dimouebat: *Hominem mollibus vestitum*? idest pretiosis vestibus indutum? an is, qui locustis viuit; & pilis camelorum induitur, gloria inani captus ex prædicatione lucra quærat? *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt*, vt mordeat adulatores, qui hæc venantur. Ex hoc arguitur eos, qui austeram vitam degere cupiunt, vt Deo grati existant, aulas principum, & palatia ampla vitare oportere. *Prophetam*? à loco, & vestibus, & ab hominum concursu Ioannis moribus descriptis eum etiam prophetã ait, cuius partes sunt futura prædi-

cere,

cere, non etiam demonſtrare, ſed Dominus Ieſus Chriſtus eum etiam pluſquam prophetam appellauit, quia præcurrens eum, quem prædixerat, etiam digito monſtrauit, & cæteris in eo maior, quòd ad illud prædicendi munus priuilegium hoc accesſit, vt Dominum ſuum ablueret. *Hic eſt enim de quo propheta, Ecce mitto angelum meum*, verba patris ad filium ex Malach. angelum officij dignitate non naturæ, ideſt nuncium, quia venturum eſſe dominum nunciauit. *Ante faciem*, ideſt manifeſtã cognitionem tuam, *Qui præparabit viam meam ante te*, ideſt aperta tibi reddet auditorum corda prædicans, vt eos pœniteat. *Amen dicó vobis inter natos mulierum*, non virginis, *non ſurrexit maior*, & ſi æqualis:nam cæteris Ioannem non prætulit, ſed cum

alijs


ralijs ſanctis eũ æquauit; Et ſic Chriſtus de illo ſententiam ſuam tulit. Quem imitari certe debemus, quantum poſſumus; is enim vitam viuebat cæleſtem, neceſsitatẽq; naturæ ſuperabat, nec timore mortis, nec amore mundi huius formam Iuſtitię deſerebat; veſtitu vili vtebatur, quo vti ad virtutem ſi non ſpectaſſet, nequaquam eum propter veſtimenti ſui auſteritatem laudaſſet; Et quanquàm D. Auguſtinus de quo legitur, quòd nec nimis nitido, nec nimis abiecto veſtitu vtebatur, inquit, in huiuſmodi rebus non vſum, ſed vtentis libidinem in culpa eſſe, quiſquis .n. rebus reſtricte magis vtitur, quàm mores poſtulãt eorum, quibus cum viuit, aut intemperantem illum eſſe, aut ſuperſtitioſum; quiſquis vero eas ſic adhibet, vt conſuetudinis bo-

norum metas transiliat,quibus cum versatur, eum aut aliquid significare, aut flagitiosum esse, de ijs tamen qui cum aliquo religiosorum cœtu viuunt, non de ijs, qui in solitudine degunt, loqui videtur; ornatus ergo & sordes pariter fugere oportet, alterum enim delicias, inanem gloriam alterum redolet. Nam quàm periculosũ sit mollibus vti vestibus, ex hoc patet, quòd animam illæ rigidam dissoluunt; Et tamen sacerdotes nostri hoc tempore multos in his sumptus faciunt, qui certe agerent præclarius, si quæ superfluunt, atque redũdant, in Pauperes erogarent, ac memoria tenerent, quod Christus ait à diebus Ioannis vsq; nunc cælorũ regnum vim pati, atq; à violentis rapi, qui huius doni factus cũ sit minister præscribendi formam pænitentibus,


bus, prædicare cœpit eos, quos peccatorum suorum valde pœnituerit, regnum cæleste consecuturos, à quo cum alieni ob peccata facti simus, satisfacientes, & valde nos affligentes, & vehementer peccasse dolentes labore, & violentia illud rapere dicemur. Quis ergo erit tam amens, vt vim sibi modico tempore non adhibeat, vt carnem spiritui subijciat, ac naturæ deliciarum appetitum deneget, & has mundi illecebras fugiat, quò regnum cælorum acquirat, & cælestem patriam perpetuo habitet? & quod natura quis terrenus existens non valet, id virtute assequatur? Certe, fratres carissimi, non me latet sine violentia fieri non posse, vt vnusquisque cum patientia iracundiam, cum paupertate copiam, & rerum affluen-

tiam, cum sobrietate vinolentiam, cum castitate luxuriam, cum humilitate superbiam commutet, at ille homo, qui talis euadet, sic regnum cælorum diripiet. Non ergo desides, non delicati, sed violenti rapiunt illud, qui magnam non alijs, sed animæ suæ vim adhibent, omni eam rerum præsentium voluptate fraudantes. Munda ergo corda, & corpora nostra reddamus, vt Christus in nobis nihil sordidum, nihil fœdum reperiat, nihil quod eius oculos offendat, & hoc tempore magis, quàm vnquam antea eleemosinas largiamur, misericordiamq; tribuamus, & castitatem penitus conseruare cogitemus, vt ad sanctißimum natalis D. N. Iesu Christi diem festum celebrandum puri, & nitidi Deo propitio appellamus, & ad altare domini

cõnſcientia tuta accedamus; nam cum hora obitus noſtri appropinquauerit, ad regnum cæleſte vt perueniamus feliciter, hoc dono afficiet nos Ieſus Chriſtus, Qui viuit & regnat ſempiternis ſeculis benedictus, Amen.



EIVSDEM



EIVSDEM

IN DOMINICAM TERTIAM ADVENTVS.



Agnum Ioãnis ingeniũ, magna illius conſtantia, fratres cariſsimi, conſideranda nobis ante oculos proponitur, qui cum ab omnibus haberi potuiſſet Chriſtus, ſiue Meſſias, ſumma enim de eo tũc erat opinio, ſibi arrogare noluit, quod ſuum non erat. ò miram Ioannis prudentiam, atque ſapientiam; Sed Iudæi, quòd humana quadam perturbatio-

ne afficerentur, & mundi gloriam affectarent, eum Christo inferiorē esse indignum arbitrabantur multis rationibus adducti, quæ eius claritatē demonstrabant, primùm genus illustre, Principis. n. Sacerdotum filius erat. deinde eius vita penitus solitaria, victus, & vestitus asper. denique humana rerum omnium cōtemptio. contra, Christus obscuro genere natus, quod ei sæpe exprobrarunt: *nonne hic est fabri filius?* cuius vita communis erat, & vestimenta à vulgaribus non differebant; & qui cum omnibus versabatur, vt omnes ad se alliceret; cum ergo Ioannes assidue ad Christum mitteret, longe vt ipsi opinabantur, eo inferiorem, ægre ferebant, atque erubescebāt, quia illum magistrum, quàm Christum habere maluissent, palam tamē id dicere for-

midabant; Quare non quoslibet ad eum, non seruos, vt ad Christum, cum in sermone eum deprehendere cuperent, sed honoratiores, ac maioris nominis miserunt, vt ab eo scirēt, si esset Christus: auctoritatis. n. eius præstantia; quia abluere ausus est, valde mouebantur. Verum, fratres carissimi ex euangelio habetur, quod modo audistis, quòd *miserunt Iudei ab Hierosolymis Sacerdotes & leuitas, vt interrogarent eum*, Iudei vt cognati Ioannis Baptistæ ex Sacerdotum stirpe orti, sacerdotes, & leuitas mittunt tanquam proximiores, qui magna cum veneratione sciscitantur (quo officio Iudæos cum Christo functos esse nō legitur) *Tu quis es?* sic. n. fide dignum illum existimauerunt, vt de se dicenti credituri essent; Ioannes vero ex interrogatione sacerdotum, & leuita-

rum

rum timiditatem præſeferentium ſu-
ſpitionem cognouiſſe videtur, num
ipſe Chriſtus eſt, qui abluit, ſed aper
tius illum nominare cauentium, ne
temerarij viderentur; vnde veritatē
confeſſus eſt, nec negauit vſurpando
ſibi diuinum nomen, & confeſſus eſt
quia non ſum Chriſtus; negauit pla-
nè inquit Gregor. quòd non erat, ſed
veritatem inficiatus non eſt, vt eius
membrum fieret, cuius ſibi nomen
fallaciter non vindicaret. *Quid ergo
Helias es tu?* mouet quæſtionem Gre.
quia hoc videtur Chriſti dicto aduer
ſari, quam ſoluit inquiens a Domino
Ioānem, quo ad ſpiritum Heliam vo
catum fuiſſe, ipſum vero ſe Heliam
negare quantum ad perſonam atti-
net: nouerant. n. Iudæi Heliam Chri-
ſto anteceſſurum eſſe; non. n. Chriſti
nomen apud eos ignotum erat, ſed
 illum

illum esse Christum non existimabāt & cum eum esse vēturum sperarent, in præsentem inciderunt, *Propheta es tu?* nō: plusquā.n.propheta erat, quia non prænuntiabat sed præsentem ostendebat non sum, ait, vnus ex illis, ex quibus me arbitramini esse, aut ille, de quo scriptura Deutoronomij loquitur, prophetam suscitabit, quæ de Christo iuxta litteram exponitur. *Quis es, vt responsum demus ijs, qui miserūt nos?* ne absque responso reuertamur, dic quis sis; nam te de Christo prædicare audiuimus, quid de te ipso asseris? nihil .n. nobis notum facis. *Ego vox clamantis in deserto* .s. sum, officio videlicet, vox verbi carne induti, vnigenitus.n.filius verbum patris vocatur, & vox primum sonat, vt verbum audiri queat: Dicit ergo Ioannes se esse vocem non clamantem, sed clamantis

mantis videlicet illius, qui ſtabat, & clamabat, *ſi quis ſitit, ad me veniat*, & vociferatur, vt & qui à dicẽte procul abſunt, audiant, & qui ad audiendũ tardi ſunt, earum rerum, quæ dicuntur, magnitudinem intelligant; vel annunciat, quia veritas ab eo manifeſta redditur; omnes. n. in lege prophetę obſcure loquebantur, quia eorũ prædictio erat quaſi ſonus; vox autẽ quàm ſonus verbo propinquior eſt, quia is auditur, deinde vox percipitur, denique verbum per vocem, ſic ergo Ioannes cęteris prophetis Chriſto propinquior fuit. Quare cum vox ſit animi interpres; animus autem. i: intellectus Dei filius exiſtat, Ioannes vox, & huius animi interpres fuit, & eum mundo oſtendit: In deſerto autem clamat, quia Iudeæ derelictæ ſalutem, & redemptionis ſolatium

prædicit. Et quid ait? *Dirigite viam domini*.i.parate in vobis viam per fidẽ & opera, quam dominus ingrediatur via.n.Domini sic dirigitur, cum veritatis sermo humiliter auditur, & vita ad præcepta præparatur: Ac vocis clamantis opus est, ut anima, quæ à Deo derelicta est, & a veritate declinauit, ad iter rectum faciendum reuocetur, sicut dixit Isaias, cuius prædictio in Ioanne completa fuit, hoc.n.de eo uaticinatus est. *Et qui missi erant ex phariseis*, aliqui volũt legatos alios fuisse, sed mihi placet Chrisostomi opinio, vt ijdem ipsi sacerdotes, & Leuitæ ex phariseis fuerint, ꝗ quoniam eum blandicijs allicere non potuerunt, asperioribus verbis eũ prouocare conantur, vt respondeat. *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus*, qui auctoritatem abluendi habet,

neque

neque Helias, vt cum audaciæ quasi ar guere viderentur, vnde inuidia plene patet: *Resp.* *Ioannes*, nam etiam inuidis veritatem dicit: *Ego baptizo aqua.* i: abluo corpora, Ioannis. n: baptisma futuri indicium fuit, nõ spiritu, quia peccata condonare, nec relaxare valebat; erat. n. quædam in Christum venturũ credendi instructio; cur au tem abluat, ratio est, vt præcursoris ordinem seruet, sicut prædicando, & nascendo seruauit; *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* i. inter vos versatus ẽ, & versatur tanq̃, ex vobis vnus, q carne indutus apparens vide ri potuit, maiestas tñ, ac diuinitas cõ spici nequiuit, qui vbique præsens est; humilis. n. non videbatur; vel me dius tanquam Dei, & hominum internuncius existens, illos cum Deo coniungere volens; medius: n. in cor-

dibus eorum erat, ſed neſciebant eum, quia ſcripturas non callebant, ergo medius ſtetit, intelligendum eſt de nobis hominibus; cum. n. rationales ſimus, in medio noſtrum exiſtit, eo quòd cor in medio corporis principale inſitum eſt: Qui ergo verbum in medio corde gerunt, non autem illius naturã cognoſcunt nec de quo fonte manauit, nec quomodo in eis exſtet, hi verbum in medio obtinentes ignorant, quod Ioannes agnouit, exprobrans eis, quem vos neſcitis, ſcientiam. n. hic cognitionem certiſsimam dicit, quia nec quis eſt, nec vnde, perceperunt, *Ipſe eſt qui poſt me venit*. i. ante tempora diffinitum eſt, vt poſt me appareat, ſicut naſcendo, ita prædicando, monẽdo, & ad inferos deſcendendo: Nam ſi meum baptiſma perfectum eſſet,

alius


alius post me non appareret, aliam ablutionem daturus, *Qui ante me factus est*. i. dignitate mihi antepositus est, mihique anteit, post tamen natus. i. qui me honoratior, atq; clarior existit *Cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamenti*. volens ostendere inter eos nullam esse comparationem, nimis. n. præ eo Christus excellebat, inquit, tantum differimus, vt nec inter vltimos ministrorũ numerari merear: Calceos. n. soluere ad vltimum ministerium spectat; Itaque si se dignum tantummodo dixisset, vt calceorum corrigiam solueret, sibi nimis persuasisset. *Hæc in Bethania facta sunt, vbi erat Ioannes abluens*, duæ. n. Bethaniæ erant, altera trãs flumen, prope Hierusalem altera. Græci tamen Bethabara legendum esse admonẽt; Nam Bethania obedientiæ domus in

ter-

terpretatur, Bethabara autem instru ctionis Domus exponitur; & est nominis interpretatio baptismati populum Domino instructum præparantis consequens. Quid de Ioanne excogitari potest humilius, fratres carissimi, quo inter natos mulierũ non surrexit maior teste D.Iesu Christo? & tamen is se indignum censet, qui inter minimos Christi seruos habeatur. cur nos superbi, & arrogantes, ac scelerum pleni tanti nos faciamus? quo nos in loco collocabimus, qui tantum ab eo distamus, quantũ à cælo terra? certe superbia nihil est insanius, quæ omnium malorũ caussa existit, quæ omnem animi virtutẽ corrumpit, & Deum à nobis penitus abesse cogit. Ac pæsertim superbo diuite quid miserius, quid infelicius? exempla multa afferre possemus; sed

ex-

experientia quotidie nos erudit, ꝙ ille inuitus è vita migrare repente cogatur,& alijs ſua relinquere,quibus noluiſſet. Nos verò, fratres cariſſimi,ne tale quid nobis accidat,Ioannem imitemur, quantum poſſumus humilem,bona noſtra ſuperflua præcipue in pauperes erogemus, transferamuſque in cæleſtem patriam, ſi quæ nobis ſunt diuitiæ, illius voci credamus,quæ nos hortatur,vt delictorum noſtrorum nos pœniteat, ſi cælorum regnum aſſequi velimus;caſtitatē,munditiāq; adhibeamus, mā ſuetudinēq;, & pietatē,ac miſericordiā colamus,quo puri,& nitidi ad natale celebrandū D.N.Ieſu Xp̄i perueniamus;deniq; nos ipſos,& actiones noſtras ad p̄cepta ſeruāda dirigamus Et D. Ieſus iter noſtrū ad cæleſtē patriā diriget.Qui viuit,& regnat æternis ſeculis glorioſus Amē.



EIVSDEM

IN DOMINICAM QVARTAM ADVENTVS.



Odie dominicum aduẽtus Domini diem quartũ celebramus, in quo Lucæ euãgelium legitur, qui ea dilatat, quæ D. Ioannes in superiori concione strictim attigit. Cuius opinio mihi valde arridet, cum ea, quæ à nostris gesta esse memorantur, quibus principibus gentium, & Iudęorum regnantibus acta sint, narrat, vt omnes cognoscere valeant, nec fictioni, nec ignorantiæ locus relinquatur:

Quo-

Quomodo.n.negari hæc poterunt, cum principum illorum annalia legentur? Quo pacto Mardocheus ab illo rege tā honorifice exceptus fuisset, nisi in illius annalibus, ipsius gesta cōscripta fuissent? In prophetarū quidem veterum sermone cum solis Iudeis habito mentio tantum Iudæorum Regum facta fuit; at in Euangelio, quod vniuersis gentibus annuntiandum erat, Tyberij Cæsaris à Luca dominatus describitur, quia totius orbis Dominus videbatur; Verum quia oportebat & Iudęos credere, hac ratione Iudæornm regna, & tetrachiæ ita vocatæ describuntur, Nec non sacerdotum principes nominantur Annas, & Cayphas Ioanne prædicandi exordium capiente, Annas quidem illo anno, Cayphas vero eo, quo Christus in Crucem actus est

præter-

prętermissis alijs tribus, qui inter eos interiecti pontificatu perfuncti sunt, de quibus Iosephus mētionem facit. *Factum est verbū Domini super Ioannē*, i. ei mādatum est, vt prędicaret, quia sponte non venit, sed eum Deus impulit, vt ecclesia non ab homine, sed à verbo initium duxerit; nam ante vsque ad hoc tempus in solitudine Ioannes occultus fuit, vt nulla in homines cadere possit suspitio, quòd affinitatis gratia hæc de illo testetur; Verbum ergo factum est, vox secuta, verbum inquam, eum ante intus accendit; vocis deinde officium consecutum est. *Et venit in omnem regionem Iordanis*, quid significat descendens: Dei. n. filius descendit, aqua salubris; Quæ. n. alia loca circuire debuit Ioānes, nisi quæ Iordani vicina erant, vt ij ad lauationem præsto essent, quos pec-

peccatorũ suorum uehemẽter pœnituisset. *Prædicans baptisma pœnitentiæ in remißionem peccatorum.* i. suadens Iudæis, ut delicta ipsi sua ualde agnoscerent, & admissa flerent, quo Christo credentes, & meliores effecti subsequentem veniã facilius impetrarent ablutio. n. Ioannis ad fidem Christi præparabat, remittere, & condonare peccata non poterat, quia hostia nondum oblata erat, nec spiritus sanctus in discipulos descenderat, sed ablutione sua illam prçcurrebat, qua peccata condonãtur. An autem Ioãnẽ abluere decuerit, S. Thomas quatuor rationibus cõueniens fuisse ait, primum quidem quia Christum ab eo ablui opus erat, ut baptisma consecraret; deinde ut Christus manifestus redderetur; tertio, vt ablutione sua homines baptismati Christi assue

fa-

faceret;deniq; ad illud digne accipiẽdum,vt homines pœnitentes induceret, *Vox clamantis in deserto.* i.in solitudine, vox dicitur Ioannes uerbi prænuntius,quia uox præit, uerbum sequitur, quod antecellit. Qui in solitudine clamat, quia ut in antecedẽte concione dictum est, desertæ ac derelictæ Iudeæ redemptionis consolationem annunciat. Quid uox de uerbo prædicat, *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* quia uult in nobis dominus uiam reperire, ut possit in animas nostras illabi, & iter suum conficere, præparate ei semitam. i. uiam in corde uestro rectam; Magnũ .n. est cor & spatiosum, capaxque nõ quantitate, sed uirtute, si tamen mundum fuerit, cum tãtam ueritatis sciẽtiam capiat; Vel præparate uiam in bonis operibus uersantes, & egre-
gia

gia facta nauantes, vt sine offensa sermo Dei ad vos permanet, & mysteriorum suorum aduentusque notitiam vobis donet; omnis.n.qui ad fidem rectam, & ad opera bona hortatur, quid aliud quàm venienti Domino ad audientium corda viam parat? Et qui in animo cogitationes mundas formatas habet, non ne rectas semitas facit? *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur*, quod de Domino saluatore dictum est, neque.n.à Ioanne vallis impleta fuit; ac si dicat, omnis se humilem reddens extolletur, qui vero se effert, humilis euadet: Elatos.n.& superbos montis nomine, indicat, & collis, desperatos, quia collis fructus nullos producit: Vel intelligẽdum est, quòd mõtes, & colles, quæ aduersariæ sunt potestates, Christi


aduentu proſtratæ ſunt: Vel vallis impleta creſcit, cum in fide Chriſti gentes edoctæ plenitudinem gratiæ accipiunt, mons, & collis decreſcit, cum Iudęi ea, quæ illos ſuperbos gignebant, ob perfidiam amiſerunt. Quando ergo venit Ieſus, & Spiritum ſuũ miſit, operibus bonis, & fructibus ſpiritus ſancti omnis vallis impleta eſt, quos ſi perceperis, non ſolum vallis deſines eſſe, ſed & mons Dei exiſtere incipies. *Et erunt praua in directa & aſpera in vias planas.* praua recta fiunt, cum malorum corda ab iniuſtitia detorta ad Iuſtitię regulam diriguntur: & aſpera in vias planas, cũ immites, & iracundę mẽtes per gratiam in eas infuſam ad manſuetudinem, ac bonitatem reuertuntur; quod à potentia ſaluatoris actum eſt, quondam.n. iter difficile erat, eo quòd mundi volu-

ptates

ptates mentes ſingulorum oppreſſe-rant;vt autem Deus homo factus eſt, plana omnia effecta ſunt,& ad iter ca peſcendum facilia; nec collis, nec mons proficere volentibus impedimento exiſtit. *Et videbit omnis caro ſa lutare Dei*, oſtendens quod vſque ad finem euangelij virtus longe, lateq; diffundetur,atque cognitio,ex more ferino,& obſtinata voluntate ad mã-ſuetudinem, & lenitatem humanum genus conuertens; Non ſolum autẽ Iudæi,ſed tota humana natura ſaluta re Dei videbit.i.patris, qui filium mi ſit ſaluatorem noſtrum, ergo omnis caro. i.omnis homo cõſpiciet,quod in hac vita niſi per fidem non licuit, in die iudicij, quando omnes hunc electi, & impij pariter intuebuntur. Pareamus ergo Ioanni nos hortanti viam vt Domino præparemus, quo

is in mentes noſtras influere queat; & vt eum digne recipere valeamus, animos noſtros egregios, dignoſque efficiamus; Nam vt in prima Homilia diximus, ſi princeps ad nos accederet nobiſcum hoſpitaturus, quid non eſſemus acturi, vt mũditia, lautitiaque domum noſtram ornaremus? Ac primum ex corde peccata noſtra confiteamur iam optime compũcti, & dolore affecti, quòd Dominum Ieſum Christum læſerimus; ſatisfactio quoque non deſit, & pœna pro peccatis cõmiſſis luatur, quò ad nutriendum nos Chriſti corpore ſanctiſſimo in die Natalis ſui feſto, quod appropinquat, digne accedamus: Quã.n. conſolationem percipere maiorem valemus, quàm vt ipſe libenter in nobis domicilium habere velit? inſtruamus nos quoque, & virtutibus mu-

niamus, actionesque nostras turpes, atque stultas horreamus, easque in optimas, atque constantissimas mutare studeamus, quæ ad fouendum nos Iesum Christum, & lumine claritatis suæ illuminandum alliciant: Elationem imprimis cupiditatẽque, atque voluptatum illecebras fugiamus; sic .n. asperas vias, lenes, & prauas rectas reddemus; & salutarem Deum post obitum nostrum perspicere non solum nobis licebit; sed tuti etiam nos ad Iudicium accedere audebimus, illamque suauitate plenissimam vocẽ D. N. Iesu Christi, quæ ad eum nos inuitat, audire confidemus. Qui viuit, & regnat semper gloriosus Amẽ.



EIVSDEM

In Diem Natalem

D.N. IESV CHRISTI.



Odie, Fratres cariſſimi, Incredibili nos lętitia affici, ſummoque cuncti gaudio exultare debemus, qui Dei clemẽtiſſimi benignitate ad hũc anniuerſarium Diem D.N. Ieſu Christi Natalem peruenimus, in quo pro redemptione mũdi ipſe naſci voluit; Iuſti certe, & qui pręclara cõſcientia ſuſtentantur, mirum in modũ lætari debent, quòd ad palmam aſſequendã, atque vigiliarum, ac laborum ſuorum pręmium ferendum inuitantur:

pecca-

peccatores autē ipſos imprimis gaudere decet, qui ad pœnitentiam vocantur & veniam, quos, inquit Chriſtus, non iuſtos vocare veni: Infideli animus accedere debet, quia ad vitā accerſitur. Et quanuis omnes ſuſceptæ pro nobis humilitatis actiones acto à Chriſto, & patiendo & ſurgendo ex inimicis triumpho finem habuerint, hodiernum tamē feſtum nobis nati ex Maria Ieſu primordia ſacra renouat, & dum ipſius ortum magnopere veneramur, nos noſtri initij celebrandi ſuauem recordationem habemus: Quæ autem aduētus eius cauſſa tunc exſtiterit, perpendamus atq; examinemus. Cęterū vos, fratres cariſſimi, patientiſſimas mihi prębete aures, atque animum attendite. Ea nempe fuit, quòd Dęmon inuidia flagrans patrem noſtrum ſeduxit, eiq;

vt Dei Opt. Maximi mãdatis nõ obediret, persuasit: Quare ille statim exul factus est,& stirps eius malitiæ, & omni peccatorum generi addicta radices egit, cui malo ingenti, atque infinito cum Deus immortalis consulere vellet, missis primo prophetis, qui prædicerent; deinde prodigijs & plagis, quę multę & maximę varijs tẽporibus inflictæ populis fuerunt, atque impositæ; non tamen ita profecit mundus, quin mala quotidie infinita serperent. Vnde quia Dæmon hominem fraude sua deceptum diuinis caruisse muneribus gloriabatur; oportuit Deum secreti consilij tractationem exequi, vt homo illius uersuti iniquitate ad culpam adactus cõtra Dei propositum nõ periret: Hoc autem vnum necessarium fuit remediũ, vt aliquis præuaricationis ipsius

Ada-

Adami, quę nostrorum exstitit origo malorum, expers omnino esset, atq; innocens; Ideo misit Deus filiũ suũ, ut is carnem indueret semper quidem existens, vt quatenus homo omnia pro nobis patiendo peccatorum vinculis nos astrictos liberaret, & quos sanguine suo redemit, a vitijs atque criminibus, non doctrinæ solum auxilio, sed exemplo etiam suo ad sanctitatis studium traduceret. Et huius splendoris manifesta visio, qua Christus mundo apparuit, missio vocata est, Nam salua vtriusque naturæ proprietate, & in vnam conueniente personam, quod nisi fide apprehẽdatur, oratione explicari non potest a maiestate humilitas suscipitur, ab æternitate mortalitas, à virtute infirmitas; Et sic in carne Deus est, vt mortem in ea delitescẽtem occidat,

& quemadmodum tenebrę in domo existentes oblata luce dissoluuntur, sic mors in humana natura dominationem habens diuinitatis præsentia disipata est; carnem .n. hanc maledictam sanctam effici, ac debilem reddi potentem, de paradiso delapsam, in cælum reduci opus erat. O inexplicabilem caritatem, atque bonitatem, quis vnquam talia excogitare potuisset? Factus est homo, vt homo fieret Deus; etenim in Dei natura manens patri ęqualis nunquam cognitus fuisset; & sicut in initio mundi fecit nos Deus in primo homine ad imaginem, & similitudinem suam, in hac die è contra Deus ad imaginem & similitudinem nostram factus est: sumpsit.n. humanam naturam nostrã atque ad homines accessit, vt nos ad Deum reuerteremur; mundum.n. su-
perio-

periorem repleri oportebat; diuinã vero non amisit, vt quos condidit, liberaret; & vt verus Deus remedium mundo afferret, vt verus homo exemplum præberet. Elegit autẽ ad hoc munus beatissimam Virginem Mariam, quæ grauida futura prius mente diuinam, humanamque prolem quàm corpore concepit, & ne altissimi ignorantia consilij ob inusitatos sermones trepidaret, quid in ea à Spiritu Sancto conficiendum erat, ab Angelo didicit; neque detrimentum pudoris fore credidit Dei genitrix mox futura. Pauperem autem matrem sibi asciuit, vt diuinitas orbem terræ commutasse, & ab ipsis primordijs humanam superbiam cõculcasse agnoscatur. merito igitur omnes lætitia perfundamur: quia Christus natus est, qui naturam generis humani au-

ni auctori suo reconciliandam sumpsit, vt inuentor mortis dęmon ab ipsa natura humana, quam vicerat, superaretur. In quo conflictu æquitate mirabili certatum est, dum Dominus cum sæuissimo hoste manum cõseruit, eandem ei formam, eandemque naturam ostendens mortalitatis quidem participem, totius vero peccati expertem; hanc.n: consulendi rationem iniuit, qua ad destruendũ Dæmonis opus non potentia, sed iustitia vteretur: ipse autem Dęmon cum similem vniuersis naturam esse animaduertisset, parem etiam habere caussam arbitratus est, quia vagiẽtem, ac lacrymantem puerum vidit, cuius astutia tunc illusa fuit; non.n. eum cognouit, quem, si filius Dei es, non interrogasset; ergo cum hæc dies nobis illuxerit, exultemus, & mi

rabilem

rabilem ſacræ Virginis partum admiremur, quo vere humanam, vereque diuinam vna prole naturam edidit. Et tu ò Sanctiſsima Virgo Maria eũ lacte ale, qui te talẽ fecit, vt ipſe in te fieret, in ſinu patris manens, quique tibi fœcunditatem dedit, & virginitatis decus non abſtulit. Cum autem Iſaias dicit, *Generationem eius quis enarrabit?* non ſolum de generatione diuinitatis exponẽdum eſt, vt ait D. Hieronymus, ſed de hoc etiam ortu, quo verbum caro factum eſt, intelligi poſſe arbitratur D. Leo; quæ verba non ſignificant naturam Dei in carnem mutatam eſſe, ſed à verbo in vnitatem perſonæ illam eſſe ſuſceptam, vt Chriſtus Deus, & homo ſit. Et re vera quis illum explicare oratione valet? omnem .n. intelligentiam ſuperat, & omne exemplum trã

ſcen-

ſcendit; Nam ad intelligendum hoc Natalis Chriſti myſteriũ procul ab ſit,oportet, humana ratiocinatio, & ab oculo illuminatæ fidei terrenæ ſapientiæ fumus, quia diuina eſt auctoritas,cui credimus, & diuina doctrina,quam ſequimur. Cur autem non ab initio vitæ humanæ, ſed extremis tẽporibus Dominus apparuit? cauſſam forte hanc fuiſſe quiſpiam arbitrabitur, quòd qui malitiam omnẽ ablaturus erat, neceſſario tardauit, vt omne peccatum ab inimico Dæmone ſatum, atque propagatum ſurculos ferret, ac radices ageret; quæ mora huius ſalutaris operis capaces magis effecit nos ab eo vocatos eſſe, vt quod multis ſignis,& vocibus prę nuntiatum fuerat, euangelij tempore ambiguum non foret. Quando igitur de via cuncti declinauerunt, &

inuti-

inutiles facti sunt; & quando iniquitas abundauit, tunc verę lucis radius enituit: tunc in tenebris sedentibus Sol iustitiæ ortus est, tũc carnem humanam indutus multa serpenti capita amputauit, & radici securim admouit; at si expectauit; inquit ille, ut eam auctam, radicibusque cumulatam malitiã euelleret, cur delere cũctam noluit, vt nullæ ipsius reliquiæ extarent? nã & tanta homicidia fiũt, & committuntur adulteria, vt nullus timori Dei locus relinquatur. Verum qui capita sustulit, reliqua ad exercitationem nostram permisſit, fomitem uidelicet illum, atque appetitum, quo ad peccandum proni sumus; qui quanquam à lege Moysis prohibebatur, non tamen refręnabatur, immo exardescebat; cuius rei duplex ratio affertur, altera quidem, quòd

quòd affectiones cum intus retinentur, inflammantur magis, ficut in dolore, & ira patet; cum autem foras prodeũt; eorum virtus imminuitur; altera vero quòd ea apprehẽdimus, quæ non prohibentur, quasi nobis integra sint, quandocũque libuerit, sed cum prohibita sunt, vt quædam magna appetuntur, quæ in potestate nostra non sint, ideo habita opportù nitate ad illa obtinenda sine timore pœnæ promptiores sumus; Vnde data lege vetante, & non mitigante appetitus hominem ad peccãdum magis impellebat. At lex noua & fidei, in qua Sãcti Spiritus gratia principalis est, per virtutes infusas appetitum ita mitigat, & vires inferiores adeo frænat, vt nobis illæ non noceãt, quã do eis consensum non adhibemus, & ad Deum confugimus. Nasci autem

tem voluit in Bethleem Iudæ Dauidis ciuitate, multiplici ratione, primum quia ibi Dauid ortus est, cui cũ promissum à Deo fuerit ex fructu vẽtris eius Regem æternum nasciturũ esse, illud solutum esse nuntiet; Deinde quia Bethleem domum panis significat, vt se panem viuum esse declaret, sicut D. Ioannes testatur; Denique tunc apparere, quando principes Iudæorum defecerunt, & imperium ad Romanos translatum erat, quibus Iudæi tributa conferebant, vt prædictio Iacob vera euaderet, nõ ablatum iri sceptrum de Iuda, nec de fæmore illius ducem defuturum, donec veniat, qui mittendus est. Ibi quoque oriri eo tẽpore illi placuit, quo, vt inquit D. Lucas, ab Augusto edictum emanauit, vt vniuersus orbis describeretur, & quilibet profi-

teretur, ideſt Principi nomen daret ſubiectionem ei pollicendo, Et reclinari in præſepio, ideſt poni, ſicut Iſaias prædixit dicens: cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognouit, quia ei locus in diuerſorio propter gentium multitudinem non erat. Verum, fratres cariſsimi, vt ſciatis non Auguſti, ſed Chriſti cenſum fuiſſe; ſi vniuerſus orbis profiteri iubetur, quis eius profeſsionem exigere poterat, niſi qui totius imperio potiretur? non enim Auguſti, ſed Domini eſt terra, & plenitudo eius. Ac diligẽtius intuenti myſterium aliquod indicari videt̃, quòd in totius orbis profeſsione oportuit deſcribi Chriſtum, videlicet, vt ipſe cũ omnibus ſcriptus cunctos efficeret ſanctos cælo eos aſcribendo, & mundo ſui cõ-

munionem

munionem præberet. Illud maximũ iudicio meo miraculum reticere nequeo, quòd cum tot bella gererẽtur, & ingentia, & odio quodam atque dissidio alter ab altero dissideret, orto principe pacis Christo Domino, statim cuncta extincta fuerint, & discordię omnes sedatę, vt vaticinatus est Isaias inquiens: & conflabunt gladios in vomeres, gens contra gentẽ gladium nõ educet, nec vltra ad prælium exercebuntur. Et cum nocte Christus natus fuerit, quemadmodũ tradit ecclesia, forte vt scribis, ac phariseis occultus esset, vt pote impijs, & sceleratis, Angelus pastoribus qui in eadem regione vigilabant, sic apparuit, vt ab ijs visus fuerit: nam lux circum eos fulserat, & gloria Domini, vt timuerint. Angelus autem fugato timore gaudium magnum eis

nunciauit, vt in Euangelio habetur, eo quòd illi ſinceri eſsẽt, & antiquos patriarcharum mores colerent (innocentia.n. ſemita quædam eſt ad attingendam veram ſapiẽtiam perducẽs) videlicet exortũ eſſe in tenebris lumen rectis corde, miſeratorem, & iuſtum Dominum. Sed quid eſt, quòd angelus paſtoribus vigilantibus ſe perſpicuum facit? Quia illi præ cęteris ſublimia videre merentur, qui fidelibus gregibus ſollicite præeſſe ſciunt, dumq́; ipſi ſuper grege ſic vigilant, illis gratia latius corruſcat, vt myſtice iſti paſtores gregum doctores quoſq;, ac fidelium animarum rectores ſignificent. Quare in terra canunt exultantes Angeli, Gloria in excelſis, Deo gratias agentes, quòd is ſuum ad homines aduentum reſerauerit. Nos quoq; Angelos ipſos imitan-

imitantes toto corde canamus,ac tã tum feſtum ſumma obſeruantia, ac deuotione colamus, atque celebremus læti; non enim fas eſt męſtitiæ locum eſſe,vbi vitę natalis eſt dies.in qua ſplendor lucis augetur more diuino, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, ſed in omni humilitate,& cum tremore & gaudio;tremore propter peccatũ; gaudio propter ſpem exultemus: & in hoc paſtoribus ſimiles ſimus, qui vigilant, non enim niſi à vigilantibus Chriſtus inuenitur. Et munditiam cordis con cupiſcamus; beatus enim ille eſt,qui Deum videt,eumq; in cõſcientia geſtat, atque id quod in nobis ipſe redemit, ei offeramus,quid? animam noſtram videlicet; At ſi quis interro get, quomodo animam, quam ipſe in poteſtate habet, illi dicabo? nimi


rum moribus sanctis,castis cogitatio
nibus, operibus fructuosis, odio vi-
tia habendo, Deum incredibiliter
amando, proximum diligendo, no-
stra & superflua præsertim in paupe-
res erogando,hoc à nobis posse præ-
stari respondebo; Nam qui iniurias
propter amorem Domini nostri Iesu
Christi dimittit, is votum fecit, &
quando aliquem inopem videmus,
misericordia nobis in mentem veni-
at, quando captiuum, Domini no-
stri redemptio; cum autem nos eri-
git superbia, atque potentia, tunc
Christi humilitatem ante oculos ma
xime ponamus. Scire autem nos de-
cet Dei voluntate aliquem pauperẽ
fuisse, vt breuem inopiam sufferen-
do vitam æternam adipisceretur; nõ
nullum autem diuitem, qui dum in-
opibus, atque egentibus superflua

ſaltem daret, pręclarum facinoribus ſuis remedium adhiberet: nam vniuſcuiuſq; anima non nobilitate ſed opere, non genere, ſed actione à Deo diſcernitur, quia apud Deum non eſt perſonarum acceptio. Nobis ergo è paradyſi ſedibus excluſis, & in cinerem diſſolutis, quibus viuendi ſpes non erat, à verbo carne ſumpta poteſtas data eſt, vt ex longinquo loco ad auctorē noſtrum reuertamur, parentem agnoſcamus, & per gratiā obtineamus, quod per naturam conſequi non poteramus. Itaque donū hoc magni æſtimemus, quod omnia dona ſuperat, vt Deus hominem filium vocet, & homo Deum patrem appellet, quo cum pacem habebimus, ſi quod iubet, voluerimus, & quod prohibet, reſpuerimus, & ipſe libenter in nobis domicilium habe-

bit. Demum vt finem faciam, ne vobis molestus sim, polliceor vobis, si quem delictorum suorum ex animo, & vere pœnituerit ad vomitum amplius non rediturum, quodcunq; ille petierit in fide penitus non hæsitans, ei datum iri. Hac optima spe fulti lætemur hoc die natali Christi canamusq;, & ipsius erga nos benignitatem immensam quotidie suspiciamus. Qui viuit, & regnat cum Deo patre sempiternis seculis. Amen.



EIVSDEM



EIVSDEM

In Circuncisionem Domini N. Iesu Christi.



Agnus, ac solennis est dies hic octauus post natalem D. N. Iesu Christi diem festum, in quo admirabile humilitatis exemplum elucet; ideo summa veneratione illum prosequi debemus, fratres charissimi, cuius Diei memoriam sanctam Lucas paucis verbis amplectitur inquiens in Euangelio suo: Et postquàm consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer. At cur opus fuerit eũ circuncidi, atque illius pretiosissimum sanguinem fundi, qui nullo pol

lutus

lutus modo, & omnis prorſus labis, ac maculæ expers in carne apparuit. Dicam certe non nulla de hoc, quæ fortaſſe vobis non diſplicebunt, ſed obſecro vos, vt attente me, ac benigne audiatis: Doctores multiplici ratione à Chriſto hoc effectum eſſe ſentiunt, primùm vt ſe verum corpus habuiſſe oſtenderet ipſe, quò hæreticorum multorum hoc negantium ora obſtruerẽtur, & in quo ſpeciem diuinitatis intueri non valuimus, factum ex muliere humano aſpectui ſe patefaceret hominem verum, quod maximæ fuit erga nos dilectionis argumentum; Deinde vt veterem legẽ approbaret, eiuſq; præceptum commendaret. Tertiò, vt ſe filiũ Abraæ comprobaret ei promiſſum, cui ad iuſtitiam deſtinatum fuit, quòd is Deo credidit, ideo illi iuſto effecto

postea imperata est circuncisio, fidei suæ signum, vt cum hæc in filijs videretur, omnibus manifestum esset, illos eius esse, qui Deo credens notam hanc acceperit. Quartò, vt iudæis excusationem auferret perfidiæ suæ, quibus detractionis, ac maledicti, ruinæq; præbuisset occasionem, nisi ipsam suscepisset; Denique, vt obediẽtiæ, & humilitatis virtutem pręcipuo demõstraret exemplo, atque ei quod cerimoniarũ ius exigeret, subiectus esset, licet minimè obligatus; non.n. ipse legẽ quicquàm debebat, sed vt qui legi subiecti erant, nec onera ferre poterant, patiendo liberaret, & ex seruili cõditione ereptos in adoptionem filiorum, quæ fit per gratiam, receptos nos atque ascriptos sua largitate vindicaret. Itaque Christus in carne, vt lege decretum erat, circũ

cidi

tidi se passus est, quod nihil aliud exprimebat, quàm vetustæ generationis exuuias, & spolia, quę per ablutionem deponuntur, eò quòd membrũ illud circuncidebatur ad gignendũ procreandumq́; natura aptum: hoc autem vt potè signum futuri baptismatis tunc à Christo agebatur; sed posteaquàm cœpit ablutio, nota cessauit; vbi namq; tota vetustas à baptismate tollitur, superuacaneũ est, quod pars secta significat. Circuncisio igitur vetustate exuta naturam renouatam indicabat, quam sancti patres nostri carnis quidem propter iustitiæ signum, cordis vero propter fidem ipsam gerebant; Et his tribus præcipuè de caussis data fuit, vt fidei signum esset, ac iustitiæ, quæ est per fidem; vt Abraæ genus clarum, & illustre redderet; vt & purę, ac tempe

ratæ

ratæ viuendi rationis indicium eſſet, quod ne cum gentibus cõmiſcerentur, fręnum iniecit. Cur autem octa uo die puerum à natali eius circunci di mandatum fuit? quia octauus dies, vt ait D. Auguſtinus iuxta numerum dierum poſt ſeptem quaſi poſt ſabba thum primus inuenitur, vt iam non octauus, ſed primus habeatur, quia ſalus futura per Chriſtum primo die deſtinata fuerit, ſcilicet poſtridie diei ſabbati, qui dominicus appella tur, quòd eodem die Chriſtus ſurrexerit, quo mundus cęperit; Et propterea ſalutis illius ſignum in circun ciſione datũ fuit, vt in eius lege, qua ſi renouatio futura dignoſceretur; vel octaua dies ipſi circunciſioni aſsi gnabatur, propter myſterium, quia octaua ętate, quæ ſurgentium erit, quaſi octauo die per Chriſtum perficictur

cictur

cietur ſpiritus circuncisio, quando non ſolum culpam, ſed pœnam etiã omnem ab electis auferet: ſex enim ſunt ætates huius ſeculi (in quibus pro adipiſcenda quiete ſempiterna laboribus perſungi opus eſt) ſeptima quieſcentium eſt ætas, vſque ad tempus quo nobis ſurgendum eſt, octaua vero ipſa dies eſt, qua ſurgimus ſine vllo temporis fine beati futuri. Erat autem octàuus dies de neceſsitate præcepti, ita qùòd eũ omittẽtes peccabãt etiã ſi ſabbatũ fuiſſet, non tamen ex neceſsitate ſacramẽti, quia ſi aliqui prætermittebant, poſtea circuncidere poterant. vnde Chriſtus dicebat cum Iudæis diſputans, vos mandatum accepiſtis octauo die circuncidendi, & ſabbati celebrandi, & ab omni opere vacandi; ſi octaua dies ſabbatũ fuerit, quid agetis,

tis,an circuncidere omittetis,vt Sabbatum ſeruetis; an vero iuſſum octaui diei exequemini? Sed hominem circunciditis, quare, quia circunciſio ad ſignum ſalutis cum pertineat, ille die Sabbato ſalute priuari nõ debet;quare ergo mihi ſuccẽſetis, quia hominem ſanaui? Nec gladius lapideus neceſſarius erat, non enim diuino pręcepto ſtatutum erat.; nec eo iudæi nunc vtuntur, legitur tamẽ quoſdam gladio lapideo à non nullis circũciſos fuiſſe, vt à Sephora filium ſuum,quæ acutiſſimam petram ſumpſit,Et ipſum Ioſue fieri gladios lapideos iuſſiſſe, & filios Iſrael circuncidi, quo iuſſu ſignificabatur Spiritus circunciſionem faciendam eſſe per Chriſtum,de quo dicitur, petra autẽ erat Chriſtus. Verum, fratres chariſſimi,ſcire nos oportet,quòd eandem

opem

opem contra originis peccatum circuncisio ferebat, quod hoc tempore gratiæ præbet baptisma; hoc excepto quòd regnum cæleste intrare nequibant, donec Christus adueniret, tantum in sinu Abrahæ beata requiete fruentes post mortem ingressum cęli spe felici expectabant; circuncisio.n: gratiam conferebat, quantum ad omnes gratiæ effectus attinet, aliter tamen ac baptisma, non ex virtute sua, sed quatenus passionis Christi futurę signum erat; ex quo patet quòd propter fidem, non propter significationem gratiam præstitit; baptisma vero ex virtute sua gratiam tribuit, quatenus passionis Christi iam peractæ instrumentum est. Sed cum circuncisio antiquis patribus baptismatis loco fuisse credatur, quid respõdebitur de ijs qui Deo placuerũt

non

nō tamē sine fide, vt Abele & Enoch, antequàm hoc præceptum esset? Sicut illi, quoniam illud sacramentum occultum erat, credebant futurum, vt Christus carnem sumeret, ita nos hoc factum fuisse non ambigimus. Sumus ergo non secundum carnem Iudæi nos, sed secundum spiritum, quo Deo seruimus, & semen Abraæ secundum fidei spiritum, illi autem minime. Verum vt recte percipiatis, quæ vobis dico, quadripertita inter iudæos & gentes diuisio existit, alij sunt & carne, & spiritu circuncisi, sicut in lege veteri Moyses & Aaron, in noua, apostoli & discipuli omnes; alij neutro modo, vt Pharao, & Antiochus, atque cunctorum barbarorum non credentium multitudo; alij carne tantum, ad quos Hieremias, *Circuncidite vos Deo, non carnem præputij*

vestri. Alij & vltimi, vt distinguerentur iudæi illi, qui iam spiritu viuebãt, à D. Paullo gentes in carne Ephesij vocabantur, quia secundum spiritũ Israelitæ erant, sicut modo nos omnes: Alio autem in loco: videte Israel secundum carnem, quia secundum spiritum non erat. Ideo credẽtes in Christum gẽtes iudæis, qui crediderant, anteponebantur, quia apostolorum prædicatione adductæ integra fide Deo confidebant; Iudæi vero qui ad fidem accesserant, circuncisionem & solennitates etiam seruabant. Vtrunq; autem populum diuersæ legis obseruatio discriminabat, atq; distinguebãt; Sed Christus Dominus aduentu suo priora mandata destruens vtroque in se credẽte nouum, & vnum populum cõstituit, ac mediũ maceriæ parietem vtrunq;

à se

à ſe populum diuidentem ſoluit, quē nouum eſſe ait, quia is quotidie renouatur, & in nouo mundo, quando cęlum nouum erit, habitaturus eſt. Cæterum perfectam non in hoc mūdo nouitatem compleri, ſed in altero, cum cæleſtia, ac terrena in vno ſpiritu copulata fuerint, complendā eſſe ſciamus. Quapropter, fratres cariſsimi, ſi nos ad hanc pulcherrimam renouationem, quaſi circuncisionē ſummam peruenire admodum optamus, turpes actiones, quæ à vitijs oriuntur tollamus omnes, ac detrahamus, atque cunctos ſenſus noſtros circunciſos habere nos oſtendamus; Et ſicut Chriſtus à mortuis ſurrexit, ſic & nos in vitæ nouitate ambulantes ſurgemus. Sed vt ad D. Lucam, vnde declinauit reuocetur oratio noſtra, Inquit ille: vocatum eſt nomen

Iesus, quod à Deo iam ante impositum, ab angelo prænuntiatum est, priusquam cóciperetur; Dixit enim Angelus beatissimæ Virgini Mariæ, *paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*; qui totũ orbem saluaturus est. Hoc enim illi nomen ab æterno fuit, vt mos antiquus retineatur. Cuius ab Abraam initium ductũ fuisse credimus, quòd is Patriarcha, qui primus circuncisionis sacramento initiatus est, suæ magnæ fidei videlicet, & diuini promissi ei facti testimonio, eodem die suæ suorumq; circuncisionis, & nominis amplificatione simul cum coniuge sua ei à Deo benedici promeritus est, vt qui Abram pater excelsus dictus est, Abraam deinde, idest multarum gentium pater appellaretur. Qua fidissima promissione tam late per orbem satisfactũ


esse à Deo patet, ac perspicuum est, vt nos etiam ipsi ex gentibus ad fidei illius imitationem accersiti ipsum nos patrem potissimum nuncupare gaudeamus, dicēte etiam nobis apostolo: si autem vos Christi, ergo Abraæ semen secundum promissionem hæredes estis. Et hic nobis quoque mos est, vt in baptismate nomen nobis imponatur. Cui nomini Iesu, quod præconium tribui à nobis potest satis amplum, cum illud dulce sit & gloriosum, omniq; cultu, ac veneratione dignissimum, nomen quod est super omne nomen; hoc enim ei à natura insitum est, vt sit saluator, & ita ex ventre virginis vocatus est, qui secundum diuinitatem talis erat. Sed si perpendere velimus, quæ sit nominis huius Iesu dignitas, quod ab æterno consecratum est, à patriarchis de

ſideratum, à prophetis prædictum, ab apoſtolis, & illorum varijs ſucceſſoribus mire celebratum, atque mirificis laudibus affectum noſtra nimis vagaretur oratio; quid enim de illo nomine, quod cæcis viſum, ſurdis auditum reſtituit, & vitam mortuis affert, & dæmones ex obſeſsis corporibus eijcit, explicare digne valemus? & quod maculas peccati abluit, & culpam, ac pęnam condonat? Hoc tantùm in ore ſemper habere, & in eo flectere genua ſtatuamus, quia quotienſcunque Ieſum ex corde inuocauerimus, ſalui erimus; diſcrimen autem inter nomē Ieſum, & nomen Chriſtum eſt, quia Ieſus eſt proprium, commune Chriſtus, qui & gratiæ nomen eſt, gloriæ, Ieſus. Et quanta inter gratiam, & gloriam differentia eſt, tantum inter hæc nomi-

na differt; Quare cum nisi in nomine Iesu salutem impetrare nequeamus, in eo quicquid patrem petierimus, vt Christus,ait,dum modo non contra salutem nostram flagitemus, facile optata consequemur. Vere ergo & proprie Iesus dictus est,qui pro salute nostra tempestiue pro nobis pati cæpit,dum se circuncidi, & quo in dolore valde plorauit, sanguinem profundere voluit. Circuncidamus ergo,& nos ipsos, omniaq; vitia, & peccata lacrymis abstergamus,fletuquè deleamus. At animaduertere oportet ieiunia eleemosynas, aliaq; opera bona parum nobis profutura esse, nisi mens & animus ab iniquitate,& lingua ab obtrectatione abhorreat, quæ omnino nobis continenda est, si Dauidi parendum esse nobis arbitrati fuerimus, inquienti: quis est


qui diligit dies videre bonos? prohibe linguã tuam à malo, & labra tua, ne dolose loquantur, declina à malitia, & fac bonum, quære pacem, & eam sequere; Qui enim, & vana cogitare, & praua efficere non appetit, ille interius, & exterius se circuncisum esse arbitretur. Vt ergo finem faciam, ne vobis molestus sim, semper hoc nomen Iesu, & singulo quoque verbo vsurpemus, in eoq; nos ipsos oblectemus, memoriaq; continẽter teneamus, cũ ipse sanguinẽ sæpe fuderit, octo dierum infantem pro salute nostra, & redẽptione illũ misisse. In qua meditatione si assidue versabimur, cogitationes pessimas profectò dimittemus, omniaq; vitia fugiemus, & ipsum Iesum Christũ certe nobis propitium valde reddemus. Qui viuit, & regnat sẽpiternis sęculis Amẽ.

EIVSDEM



EIVSDEM

IN EPIPHANIAM DOMINI.



E lebrauimus, fratres charissimi, tredecim iã dies aguntur, sanctissimum illum Domini nostri Iesu Christi Natalem diem, maximoq; gaudio venerati sumus. Nunc anniuersarium hunc festũ diem colimus, quo stella ortus sui Magis ipsis nuntium attulit, quos ad venerandum in cunabulis Christum perduxit, vt ab oriente in occidentem veri Regis natalis dies illucesceret, & vniuerso or-

bi

bi fieret manifestus. Et quamquã hodie à D. N. Iesu Christo multa gesta fuerint, quippe qui Iordanis aquas suscepto à Ioanne baptismate consecrauit, & aquam mutauit in vinum, vt canit ecclesia; nos tamen missis ceteris diem hunc lætitia exultantes solennem agamus, in quo ab omnibus agnosci Christus, qui pro cũctis nasci voluit. Hodie igitur stella noua claritate prædita, cæterisq; fulgẽtior, in Bethleem ab oriente Magos duxit. D.n. Mattheus ait nato Iesu, ecce, vt nouum quid allaturus Magi ab oriente Hierosolymam venerũt, Magi, inquam, non venefici, vt opinati sunt quidam, sed sapientes; quos. n. Hæbrei scribas, philosophos græci, latini sapientes, Magos Persæ ob sapientiæ, & scientiæ astrorum magnitudinem appellant, qui etiam Reges

dicti sunt, quia illo aureo seculo sapientes, & philosophi regnare consueuerunt, quo tempore gentium illarum summa felicitas erat, quòd inter eas potentior esse non poterat nisi melior; Alij, ac plures sapientes Chaldeorum illos vocant, atque à Balaam, qui stellam ex Iacob orituram esse vaticinatus fuerat, genus & originem duxisse aiunt, qui spiritu sancto afflati stellam illam esse ab eo prædictam intellexerunt; ideo ad prosequẽdum maximo cultu puerum ab oriente venerunt, & à Persarum, & Chaldeorum confinijs, vt Glo. ait, vbi fluit Saba fluuius, à quo Sabea regio nominata est, iuxta quam Arabia est Palestinæ vicina, vbi Magi Reges esse memorantur: & licet in Euangelio non sic nuncupentur, videtur tamen Dauid hos innuere, cum ait, Re-

ges

ges Arabum, & Saba dona adducēt;
Et tredecim dierum ſpatio ad Hierū
ſalem peruenerunt. Ab oriente igi-
tur, ideſt illa parte, quæ ipſis Iudæis
oriens eſt, Magi diſceſſerunt, vt vnde
dies naſcitur, inde fidei initium duce
retur, & vbi gentiū vocatus exordiū
ſumpſit; ipſi enim primitiæ fuerunt,
& ex eorum perſona in ſponſam ec-
cleſia recepta eſt, quia ex gentibus
congregata; An verò tres tantum ex
ſtiterint, an plures cum tria tantum
dona obtulerint, & ſi non aperte cō-
ſtat, D. tamen Leo ſemper tres fuiſſe
ait. Et interrogant: vbi eſt, qui na-
tus eſt Rex Iudæorum? An neſcie-
bant ibi Herodem regnare? Sed dum
Regem futurum, quem adhuc non
viderant, contemplantur, præſentē
non metuunt: Vere beati, qui in cō-
ſpectu crudeliſsimi Regis Chriſtum
confeſsi

confeſsi ſunt. Vidimus enim ſtellam eius in oriente, ideſt propriam; hanc enim creauit ipſe, vt ab ea oſtenderetur: Qua viſa illuminante Spiritu ſancto, quid ea ſignificaret, mox cognouerunt, & ad ipſum Dominum eadẽ ſtella ducente venerunt, & in Iudæa natum intellexerunt; Ambiguum eſt autem an in oriente exiſtentes ipſi ſuper Iudæam ſtellam viderint, an in oriente eam conſpexerint, quæ eos in Hieruſalem perduxerit; at ſecundam opinionem cõmuniter probant doctores. Hæc vero ſtella noua erat, atque ab alijs differebat, quæ creatæ aut penitus immobiles ſunt, aut motum continuum habent: vtrunque enim ipſa habuit, & ſtationem, & motum, ergo ad neutrãm illorum pertinet; mota eſt ab oriente in Bethleem, ſtetit ſupra locum vbi puer erat, &

adeo

adeo in meridie illuxit ſtella hæc, quã lux diurna non impediebat, vt ipſos etiam Solis radios proprio fulgore ſuperaret; hoc autem non agit ſyderis motus, ſed virtus quædam rationis plena. Itaque angelum fuiſſe, qui paſtoribus apparuerat, & nunc in figuram ſtellę translatus Magis ſe mõſtrarit, veriſimile eſſe mihi videtur. Se vero occultauit, ſiue ante ingreſſum in Hieruſalem, ſiue poſt, vt ducem itineris amittentes Magi, quoniam humanum requiſiuere auxilium, diuino iuſte carerent; aut ad ciuitatem Regiã confugere, ibiq; de Rege nato quærere cogerentur, vt eius natalis dies publicaretur, atque de loco etiam vaticinium impleretur; Et Iudæi nõ recipientes Chriſtum minus excuſarentur, quòd aduentus eius notitiam non habuerint, cum Magi Iudæis tẽ

pus,

pus, illis Iudæi ortus locum ostenderint. Quod audiens Hærodes miraculi nouitate valde perturbatus est, & tota simul ciuitas, quæ propter timorem illi fauere simulabat. O res mira, si vagientes cunæ tam superbũ terruerunt, quanto cum pudore, quo tremore, & pallore ante Iudicis tribunal ille se sistet? Turbãtur autem isti, & ille, quia de aduentu iusti gaudere iniqui non quæunt. Et congregatis populi primarijs interrogabat eos vbi Christus oriretur, vt eam ob causam interrogatis ipsis demonstraretur non ad suam, sed ad gentium salutem, & agnitionem diuina testimonia spectare. Illi vero Micheæ vaticinio admoniti ortus locum docẽt, & in Bethleem Iudæ eum nasci respõdent; Et tamen, quod profectò mirã dum est, ad Christum venerandum

non

non accesserunt, immo eum insectati sunt; Et sic ostenso alijs vitę fonte siccitate ipsi perierunt; cognito autē loco, tempus, quādo stella apparuit, à Magis ipsis clam accersitis cognoscere voluit Herodes, quia Iudæis fidem non habebat, cui inquirenti patefecerunt ij, vt ait Augustinus, in cęlo se vidisse stellam ignotam non ante paucos dies, sed fermè ante biennium, atque illis admirātibus ipsam, cuius etiam esset, postea indicatum fuisse, Regis Iudæorum; Chrisostomus quoque inquit ratione colligi, quòd stella ipsa multo ante apparuerit. nam ob longissimum iter non poterant Magi puero nato assistere, nā si quando is ortus est, stella ab eis visa fuisset, nequaquam illum in fascijs inuenire potuissent; Fulgentius tamen ait stellam hanc nūquàm antea

apparuisse,

apparuisse, quia eam puer iste creauit, & Magis ad se venientibus eam ducem præeuntem destinauit. Et cũ dixisset illis, *Ite & interrogate diligenter de puero, vt & ego veniens eum adorem*, falsum obsequium spondet, vt eos decipiat; se. n. cum veneratione prosequi velle fingebat, quem interficere cupiebat, sed nesciebat ipse, quòd simulata sanctitas duplex est iniquitas. Itaque Magi eum cum audissent, ecce stella iterum comparuit, quia auxilium refutantes humanum, vt diuinum recuperarent, digni habiti fuerunt, quæ præiuit, & uiam monstrauit, vsque dum supra Pueri caput staret, Et ipsi repererunt, quem ipsa testabatur, nec loquendo ostendere poterat: & sic magno cum gaudio ad tugurium, ac diuersoriũ, in quo ortus est Christus, peruenere, cumque in

 Do-

Domum ingreſſi fuiſſent, puerum cũ eius matre forte tunc ſedente & ſuper genua eum habente non in lecto aureo recumbente inuenerunt, & lætitia inexplicabili ſunt affecti, quia deſiderio ſuo fraudati non ſunt, nec inanem laborem illum ſuſceperunt; Verum Ioſephus tunc aberat diuina voluntate ſic iubente, ne pater eius crederetur, nec aliqua gentibus ſuſpitio daretur Deum non eſſe, qui nato ſtatim ſaluatore, primitias ad reuerentiam ei exibendã miſerit. *Et procidentes*, ac proni inclinantes mente, & corpore humiliter genua puero flectunt, atque eum Deum magnopere venerantur, ſicut decebat, & Regem honorant. O Sanctiſſima Virgo, quo in mente tua exultabas gaudio, cum filium tuum nuper à te genitum, ac vili veſtel indutum tanto honore decorari,

corari,ac Regem,& Deum verum ha beri perſpiciebas? licèt te ſolam ſine ancilla, ſine ornamento aliquo in uentam fuiſſe cerneres? Quid dicā de mira Magorum fide, an quicquā incredibilius cogitare valemus? Nē pe quòd in eo ſtatu paruulum Deum verum & Regem tātopere coluerint illi,ac diuinitatē cognouerint, quid nos oportet dicere, niſi quòd diuino numine admodum afflati fuerint, & vere duces ac primitiæ nobis exſtiterint? non. n.eorum animus tam humilis,ac demiſſus fuiſſet,niſi quid prę ter hominem maius in eorum cogita tionem cecidiſſet; Nam diadema illi impoſitum non erat,nō ſignum aliquod magni Regis eos mouebat,nec deterrebat illos & locus humilis & mater eius vix vnam tunicam habēs, quia nobilitatem in pariētis Virgini-

tate, & parturientis nobilitatem in nascentis diuinitate intuebātur. Vnde dicere debemus eos & stellæ testimonio contentos, & à Spiritu Sācto edoctos fuisse, ac forte in oculis pueri quandam latentem vim, ac fulgentem maiestatē animaduertisse, vt neque loci, neque habitus, neq; status humilis rationem habuerint. Sed tria singuli puero Iesu obtulerūt, aurum, Thus, & myrrham; nam si aurum dūtaxat detulissent, videri poterant paupertati matris consulere voluisse, vt haberet ipsa vnde puerum alere posset; at hæc tria afferentes mysterij aliquid muneribus illis declararunt. Tria.n. cognita esse a Magis de Christo opinari debemus, cùm in eo Trinitatem maximo cultu venerantes, tùm eum Regem; & Deum sed mortalem significantes; & Christi regiam pote-

poteſtatem, ac diuinam maieſtatem reuerentes, humanamque mortalitatem colentes; Nam vbi dixerunt: vbi eſt qui natus eſt, ecce humanitas, Rex Iudeorum, ecce regia poteſtas, venimus adorare, ecce diuinitas; per aurum. n. regia poteſtas, per Thus quod in ſacrificijs Deo incenditur, diuina poteſtas, per myrrham qua mortuorum corpora condiri ſolent, humana mortalitas deſignatur: Item aurum quaſi magno regi ſoluitur; Thus vt Deo offertur, Myrrha tanquam pro ſalute omnium obituro præbetur: Vnuſquiſque autem eorum hæc tria largitus eſt, quod myſterio congruit, quia verus imitator Chriſti eum & Deum, & Regem, & paſſum fuiſſe confiteri debet; D. tamē Auguſtinus inquit ex eo quòd tria offerunt, Trinitatem intelligi. ex illo

vero ꝙ tres ſunt & ſinguli ſingula tribuunt in trinitate vnitatem declarari. Cur autem Magi primi vt venerarentur, atque puerum Deum colerent, digni iudicati fuerint, eam opinor rationem extitiſſe, quod teſtimonijs ab alienigenis, & hoſtibus datis maior fides adhibeatur; nam ſi Iudæi priores hoc officio functi fuiſſent, cognationem ſuam iactare, atque oſtentare reputati fuiſſent. Tandem Magi reuerentia ſingulari adhibita, ac peracto omni obſequio cum puero pedes oſculati fuiſſent, magno exilientes gaudio diſceſſerunt; Et cum de reditu deliberarent, à Domino in ſomnis reſponſum tulerunt, ne ad Herodem reuerterentur, quòd cognita ueritate retro commeare non liceat; at illi aliud iter capientes in regionem ſuam profecti ſunt, quoniam cum in

fidelitate Iudæorum miſcendi, non erant. Quo documento admonemur nos omnẽ ſpem noſtram in Deo collocare, ac priora vitæ veſtigia prorſus relinquere, aliumq́ue vitæ curſũ tenere debere; cum autem domum ſe recepiſſent, Deum magis quàm antea colere perſeuerarũt, & cõcionantes ipſi multos erudierunt; Denique cum S. Thomas ad prouinciam illam acceſſiſſet, ei ſe adiunxerũt, & baptiſmate abluti in prędicatione facti sũt adiutores. Cæterum huius noui Regis figura fuit Salomon, qui in ſede ex ebore candidiſſimo conſtituta, & auro puriſſimo veſtita ſedebat, quem vniuerſi Reges conſpicere cupiebãt, muneraque ei pretioſiſſima afferebãt nec non Regina Saba talia ei dona dedit, qualia nunquam in Hieruſalẽ viſa fuerunt; ſedes illa non ne eſt ſan

ctissima Virgo Maria, in qua de Ebore fabricata candidissimo Virginalis munditiæ castitatem, & auro puro charitatem omnium virtutum matrẽ designante Iesus Christus vera sapiẽtia residebat? Maria. n. propter castitatem virginalem, eburnea, & propter charitatem perfectissimam auro induta dicitur; Et pulchre cum virginitate charitas coniungitur, quia sine ea nihil coram Deo virginitas æstimatur. Quæ Beatissima virgo post Magorũ discessum usque ad quadragesimum diem permanens in diuersorio lactentem puerum summa solicitudine, ac diligentia gubernabat, & in eo incredibili se iucũditate oblectabat, quam D. Augustinus suauiter alloquitur inquiens: lacte mater ale Christum, & eũ qui te talem creauit, vt ipse in te fieret, quique tibi


mu-

munus dedit fœcũditatis, cõceptus & donum virginitatis non abstulit natus. Et nihilominus tamen Iudæi nunquam eum ueneratum illuc profecti sunt. Audistis, fratres charissimi quemadmodum Magi licet paruulũ in Tugurio male comptum, & veste matrem vili indutam uiderint, quo tamen honore eum prosecuti sint, & quę munera obtulerint, vt constet aliter de puero illos sensisse, ac conspexerunt, quod in eis & stellæ indicium, & splẽdor quidam diuinus animas eorum illustrans efficere potuit, quæ ipsorum illustratio magnũ fuit Iudęorum cæcitatis testimonium: in terra enim eorum Magi requirebãt, quod ipsi in sua non agnoscebant; Qui quidem Christũ visuri non erãt nisi a propria terra lõge recessissent, vt nos etiam intelligamus, nisi ter-

renis affectibus nos ipſos exuerimus conſpectum eius nõ intuituros eſſe; Magorum ergo perſonam eorumq; fidem imitemur, & tandiu Chriſtum quæramns, vt eũ reperire valeamus, atque lux fidei noſtrę ad hoc aſſequẽdum velut ſtella ſe nobis ducem præbeat, & Chriſto fidelem noſtram in eo diuinitatis,& humanitatis confeſſionem offeramus; Hęc autem munera,ſapientiæ ſcilicet ſplẽdorem auro deſignatum,orationem Thure,quod Deo incenditur expreſſam, abſtinentiam a vitijs eximiam myrrha ſignificatam demus; ſciamns autem diſciplinam ſapientiæ Chriſtianæ in vera ac voluntaria humilitate conſiſtere, quã Dominus Ieſus Chriſtus ab vtero matris ad crucis perpeſsionem vſque elegit,& docuit, quamque eius exemplo ſeruare pro viribus debemus

mus; largiemur etiã dona Deo, aurũ, cum externa fortunæ bona pauperibus erogabimus; Thus, cum orationem fide feruenti mens noſtra Deo fundet, illiq; ſe deuotam exhibebit; Myrrham, cum carnem noſtram abſtinentia & cõtinentia domabimus, vt in his tribus eleemoſyna, oratio, ieiunitasque ſignificetur. Qui autem aurum de cordis Theſauro promit, is vniuerſorum Regem agnoſcit, qui Myrrham defert, vnigenitum Dei filium ſibi hominis naturam coniunxiſſe credit, Qui thure eũ veneratur, nullam re maieſtati paternæ imparẽ eſſe confitetur. Denique, fratres chariſsimi, hæc tria munera Deo afferamus, quæ in nobis exiſtunt, primum animam noſtram, quæ auro deſignatur; ſicut enim eo nihil pulchrius & pretioſius eſt, ſic anima noſtra nihil nobilius aut pulchrius eſſe in conſpe

ctu Dei reputatur. Deinde corpus nostrum, quod per Myrrham innuitur, quæ cum amara sit, illud quoque cruciatibus, & afflictionibus amarũ fieri necesse est; Demum actiones animæ, & corporis simul quæ p Thus significantur; nam sicut id odorem nõ profert, nisi cremetur, sic actiones vitæ nostræ nisi afflictationum igne torqueantur, Deo afflare suauitatem nequeunt, quas & honestas, & omnino sanctas esse decet: Agnoscamus etiam in ipsis Magis & nos vocatos esse, fideique initia memoria teneamus; Et diem hunc festum sacratum perpetuo honoremus, ac celebremus, atque præclaris virtutum exercitationibus Iesum Christum in cęlo venerantes prouocemus, ut nobis fauere, atq; regni cælestis consortes nos esse velit, qui viuit, & regnat semper gloriosus. Amen.



EIVSDEM

In Conuersionem

SANCTI PAVLLI.



Irari uos, fratres charissimi, nõ me fugit, cur ego de conuersione D. Paulli, in qua & misericordiæ magnitudo, & gratię efficacitas commendatur, sermonem habere velim, cum hodie concio insolita sit: Sed si quis perpenderit, quàm magna mutatio facta sit, quàm manifesta, vt exagitator eorũ, qui Christum magna atque fideli deuotione colunt, & uenerantur, atque in il-

in illos ſęuitiam adhibens,ſtatim cõcionator ſummus euaſerit, & quæ peccatoribus ſe ad Chriſtum cõuertendi documenta dederit; diem hũc feſtum cõuer ſionis Paulli,quæ adeo mirabilis exſtitit, ac miraculi nomine inſigniter ornanda, vt nemo ſit, qui digne illam explicare queat,dun taxat ab Eccleſia ſolẽnem agi,& nullorum aliorum celebrari merito iudicabit;ac me ad tanti viri exemplũ, & ad ſimilem virtutem, ſimileq́ue factum vos vna mecum excitare pro viribus conantem non reprehendet, opinor,nec vituperabit. Sed imprimis vos ſcire decet,vt nonnulli exiſtimant doctores,Saulum ante de Ieſu Chriſto quatuor praua ſenſiſſe, primum eum non eſſe verum Deum, at purum hominem; deinde non Saluatorem Mundi fuiſſe,ſed deceptorem;

tertio

tertio illum à mortuis non ſurrexiſſe; denique non eſſe malorum,& bonorum Iudicem. Qui erroribus his imbutus cædes,& crudelitatem in diſcipulos Domini anhelans, vt Lucas ait & mane rapiens, ſicut de illo prædixerat Iacob, inquiens: Beniamin lupus rapax mane prædam rapit, & veſperi eſcas diuidet, profectus eſt ad Principem ſacerdotum ſponte, non vocatus, quodamque animi ardore, non autem ſecundum ſcientiam incitatus; ac flagitauit litteras in Damaſcum ad Synagogas, vt ſi reperiſſet, qui Chriſtum ſequerentur, eiusque auxilium implorarent;(pauci.n. adhuc erant) eos vinciret, conſtringeretque, & in Hyeruſalem duceret: Videte, quo ille munere fungebatur, vt Satellitum dux eſſet, nec honoris rationem ſui, cum eſſet nobilis, haberet,

ret, abundantius, vt ipſe ait, paterno rum inſtitutorum ſuorum defenſor exiſtens, quàm par erat; Et contigit, quod ei bonũ fuit ac ſalubre, vt Damaſco appropinquaret, non in ciuitate, ſed ante illam, quia non crediſſent multi, ſed potius irriſiſſent; Et lux ſtatim fulſit, à qua cæcus factus atque proſtratus; nam vt interiori luce cor eius ſplenderet, exterior illa ſubtracta eſt lux; in eo.n.tempore, vt ait Auguſtinus, Deum videbat, cætera minime, audiuit vocẽ, *Saule Saule*, quid me inſectaris. κατ' ἔμφασιν, inquiẽs nec fideles ſuos ait aut membra, & increpãs interrogat. Qui reſpondit. *Quis es Domine?* (illico dominatum confitetur) Deus an Angelus? ignotum.n.exagitabat, ideo miſericordiã conſecutus eſt. Et ille; *Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu oppugnas, vt hominẽ,*

Durum

Durum est tibi contra stimulum calcitrare; quibus verbis nonnulli sentiunt quatuor errores illos Saulo eripi, eosq́; coargui; cum enim inquit, *Ego sum*, diuinitatis nomen esse; Deus namq; proprie ipsum, esse, habet, nostrum autem, esse, à Deo nobis tributum est; dicens, *Iesus*, ideſt Saluator, ostendit nisi credentem, & obedientem saluari neminem: cũ ait, *Nazarenus*, ideſt florens, indicat corpus suum floruisse surgendo; Denique *stimulus* sententiam illam duram significat, quam in iudicio Iudex bonorum & malorum feret. Et ille fulgore tremens, ac stupens; nõ enim in cælo Iesum esse arbitrabatur, ait, Domine quid me vis facere? iam enim se ad obediendum præparat, atque ex lupo ouis formatur; Indica quæso voluntatem tuam, &

ego parebo; nam haud ex necessita te,sed ex animo sincero,atque volũtate bona ad fidem accessit, vt discatur, quòd non solus vocatus Saulum adduxit, sed eius etiam voluntas; Deus enim nolentes non cogit, sed volentes trahit. Quanquam secundum Augustinum dicemus contra eos,qui clamare solent, credere vel non credere liberum esse; Saulum in se ipso Christum cogentem, & postea docentem, ferientẽ prius, & post consolantem agnouisse; nã ipse cæcitate percussus,quę si pœna corporis non fuisset, postea non sanaretur; illustratio enim totius orbis facta est; ad euangelium tractus fuit;qui postea in eo plus omnibus, qui solo verbo vocati fuere,laborauit; Et quem maior timor ad charitatem impulit, bonumq; fecit, eius

per-

perfecta charitas deinceps timorem penitus omisit. Et Dominus inquit, ciuitatem intra, vbi quid tibi agendum sit, cognosces; jubetur enim ingredi, vt fidem discat, quam oppugnabat, & superbia arguitur, vt nemo alium indignum iudicet, à quo doceatur, quod ignorat; Comites autem eius claro lumine stupidi non ceciderunt, audiebant quidem Sauli vocem, loquẽtis vero cum eo faciem haud intuebantur. At Saulus exsurrexit, ac spõte se erexit, & apertos habens oculos nihil tamen videbat; in corpore enim experiebatur, quod patiebatur in anima; quia sicut oculus apertus sine videndi actione, sic lex sine fide Christi inutilis est; Vnde eum cæcatum fidei se committere oportuit. Sed socij manus illius sumentes Dama-

ſcum introduxerunt eum, vbi triduum non vidit ipſe, in quo triduo doctores communiter opinantur illum à Deo illuſtratum cæleſtia ſcrutatum eſſe, quando uſque ad tertiũ cælum raptus fuit, & illi beatæ curiæ interfuit, vidiſſeq; Deum ſicuti eſt, ac nouiſſe ſecreta, euãgeliumq; didiciſſe, vt ipſemet Paullus teſtatur, vbi facta eſt tanta ab huius vitæ ſenſibus mentis alienatio, vt ſiue in corpore ſiue extra corpus hoc acciderit, ideſt vtrum in vehementiori ſtupore mens ab hac vita in aliam manente corporis vinculo translata fuerit, an omnino diſſolutio facta, qualis in vera morte contingit, ſe neſcire fateatur; Et quamuis dicat Deus Moyſi, nemo poteſt faciẽ meamvidere, & viuere; poteſt tamen, vt dixi, mens humana ex hac

vita

vita ad angelicam traduci, antequã mors cõmunis obeatur: Nec comedit, nec bibit, quoniam mæstus Deũ precabatur, vt sibi peccata condonaret; ob oppugnatam enim ecclesiam se mirum in modum pœna dignum existimabat; aut illa visione cælesti valde sustẽtatus, quod mihi verisimilius esse videtur. Cum autem Damasci Ananias, idest gratia Domini existeret, eum nomine vocauit Dominus (quod familiaritatis indicium fuit,) qui promptus existens mandatum ad Saulum otantẽ habuit; mitem enim eum fecit Dominus formidandum nemini, qui Ananiam in visione perspexit, (vter que enim alteri ostenditur, vt prius sibi inuicem noti sint, quàm se aspiciant) responsum autem Domino dedit Ananias tãquam ouis lupum

timens se multa de viro hoc facinora ab eo commissa audisse, qui omnes nomen tuum inuocantes vinculis astringendi potestatem habet, nec voluntate caret; nam tristis fama lupo antecesserat, vt ouis audito eius nomine non perturbari non posset; Replicauit Dominus inquient: vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt nomen meum vbiq; diuulget, & in conspectu Regum; demonstrabo enim illi quanta pro nomine meo celebrando, illustrandoq; sustinere, ac tolerare illi opus sit. Et vere vas electum; integer.n. carne & virgo Paullus extitit, ac multis afflictionibus periculum de eo faciendum fuit. Quem Deus ante mundi creationem elegit, vt is sanctus esset per bona opera videlicet, non quia talis futurus erat; &

vt tempore gratiæ in cõſpectu eius ſine macula, & incorruptus exiſteret; & quem in adoptionem filiorũ voluntate.ſ. gratuita, ideſt in eum credentium per Ieſum Chriſtum, non per merita, ſola gratia ante deſtinauit. Nam eliguntur, qui non ſunt, nec errat elector, vt ait D. Auguſtinus, Eligit tamen, & electos quos eligendos creaturus eſt, apud ſemetipſum non in natura ſua, ſed in præſentia ſua habet; vel non in natura eorum qui nondum erant, ſed in præſcientia ſua, quia nouit omnes ac ſi exiſterent: Et ne forte ante conſtitutionem mundi ex ope ribus præcognitis, vt Pelagiani veri tati aduerſantes diſputant, electio putaretur eſſe, additum eſt, ſi autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non eſſet. Et Ananias

ad Saulum adiuit, & mandatum cō-fecit inquiēs se à Domino Iesu, qui ei in itinere apparuit, missum fuisse, vt ipse videat, ac spiritu sancto affletur; Et statim cadētibus quasi squamis, quæ vehementem eius cæcitatem præseferebant, visum recuperauit; Et qui non credebat Christum tertio die surgendo mortem deuicisse, exemplo suo instructus tenebras tridui luce recepta expulit, atq; dissipauit: Et Isaiæ vaticinium impletum est, quòd lupus cum agno, idest Saulus cum Anania habitabit; Denique baptismate ablutus, & de lupo factus agnus, ac de Saulo Paullus, duplici cibo sumpto corroboratus est; & continuo in Synagogis prædicare cœpit Iesum Christum filium Dei, & hominem esse, sententiæ mutationem non erubescens,

vbi patet veritas, vt omnes qui audiebant infideles myſterium ignorantes valde ſtuperent, quòd is, qui omnes nomen Ieſu implorantes oppugnabat, nunc illud prædicatione ſua omnibus notum faciat. Saulus autẽ quotidie magis roborabatur, & Iudæos confutabat Ieſum Nazarenum vere eſſe Chriſtum in lege promiſſum, affirmans: Tale exordium electi vaſis extitit. Figura autem huius Saul fuit Dauidem inſectãs; In Dauide enim Chriſtus erat, & in Saule Saulus effingebatur: Qui certe præcipuo quodam dolore angitur inquiens, ſi ſua præeuntia merita examinentur, ſe apoſtolorum eſſe minimum ſcilicet tempore, non dignitate deinceps ac labore prædicationeq; qui etiam dignus non ſit, vt apoſtolus nuncupetur, quia ec-

clesiam

clesiam valde insectatus est, (quod testimonium ab inimico dictũ maiorem firmitatem habet) se tamen gratiã Dei esse id quod est, scilicet Apostolus; ante enim iniquitate sua infidelis erat, & gratiam eius in se vacuam non extitisse, quia mentẽ postea gratia dignã certe exhibuit; immo eum laborasse, quia ad plures prouincias, & vrbes penetrauit, quàm alij apostoli, abundantius, quia etiam de lucro manuum suarũ vixit, nec minus euangelio satisfecit: addit autem nõ se solum, at gratiam Dei secum, quia cum libero arbitrio laboribus perfunctum fuisse. Et quoniam certũ est Christũ quatenus hominem misericordia motum nulla alia de causa ad nos venisse, nisi vt peccatores saluos reddat, Paullus se illorum primũ esse, idest

peio-

peiorem ijs, qui in lege fatetur, quia oppugnator fuit, quo prior nõ erat; nemo enim inter insectatores illo acrior fuit, ergo nec inter peccatores peior; Primus igitur non tempore, sed iniquitatis magnitudine, quia Deum est execratus, & in sanctos contumeliosus fuit; sed ideo misericordiam se consecutum fuisse ait, idest remissionem non ob merita sua, at vt in se primo, idest summo peccatore; vel in se primo, idest maxime Christus Iesus omnem, ac perfectam patientiam ostẽderet ad instruendum, vt de grauitate peccatorum desperet eorum nemo, qui sunt credituri, vt vitam æternam habeant; ac talem se relaxationem adeptum fuisse, quia ignorans & minime credulus omnia cõmisit; abundasse autem gratiam, quia vnà cum

mise-

ericordia fidem, & dilectionem dona consecutus sit; nam sine fi- & charitate remissio delictorum fecta nõ donatur. O beate Paul qui confessus es, Quis te vnquã itari poterit? certe fides tua ple- est atque perfecta, qua omnia bo & ipsammet fidem à Deo profi- i credis. Quare effecit Deus, vt lus posita illa tunica sceleribus, cædibus maculata, ac superbiæ na, humilitatis tunica induere- , & de Saulo euaderet Paullus, o nomine, vt ait Augustinus, mi- us & modicus, sicut autem Hie nymus, mirabilis vel electus signi atur: Chrisost. vero rationem sa- aptam affert, cur ex Saulo Paul- dictus sit, & quare spiritus San- us nomen eius mutauit, Et ait, emadmodum Dominus seruum

merca-

mercatus nomen etiam mutat, vt dominationem in ſeruum demonſtrat, ita etiam vbi captiuum Dominus Saulum fecit, nomen ei aliud impoſuiſſe, vt inde Paullus Dominum habere diſceret; nominum.n. impoſitio dominatus ſignum eſt ac præcipuum, ſed ad tempus, non ſtatim hoc egiſſe; nam ſi, mox vt relictis iudæis ad nos ſe tranſtulit, aliud nomen ſortitus eſſet, minus manifeſta eius fuiſſet cõuerſio, & ad fidem acceſſus; ac nemo exagitatorem fidelium eſſe cõcionatorem, & Chriſtum annunciare ſciuiſſet, quod perſpicuum poſtea factum eſt: Quandoquidem hoc Iudęos vehementer cruciabat, quòd doctor ſuus, qui olim pro eis ſtabat, nunc ſe illis opponeret. Quamobrem ne ſubita nominis mutatio voluntatem mutatã

occul-

occultaret, multo tempore ei primum nomen fuit: hinc enim omnes intelligebant illum existere, qui in cunctos Christum Dominum sequentes insultaret; post notitiam autem rei Paullus appellari cœpit; Et quòd hæc vera esse causa videatur, ipse testatur inquiens se de facie ecclesijs Iudeæ ignotum fuisse, quare? quia fidelium nullus eũ cernere audebat, quòd eos vexaret, tãtùm illos audiuisse, quòd is qui aliquando ipsos insectatus fuisset, nũc fidem nunciat Christi atq; promulgat; Nonnulli tamen à Sergio Paullo proconsule nomẽ accepisse Paullum aiunt, qui ei fidem in Christũ, & prædicatione sua, & miraculo persuasit cæcitate Elymæ mago inflicta, qui proconsulem ipsum à fide auocare conabatur. Cuius laudes

des innumerabiles non attingam, nec admirabilia facta commemorabo; quis enim in hoc dicendi genere Chrisostomo par esse potest? ad imitationem tantùm sanctissimi huius viri pro viribus vos cohortabor; eum enim ante oculos exemplum ponere debemus: Nam sicut ille in sua ad Deum conuersione statim se obedientem præstitit, ita & nos Dei mandatis parere, & nō obtorpescere debemus; Et quemadmodum is amoris in Deum ardore, ac feruore omnia propter Christū ferebat ac sustinebat, quę tāta sunt, vt ad ea enumeranda idonei non simus, sic nos ex toto corde Christū diligere & amare, atque eius præcepta, consiliaq; exequi, atque cuncta pro ipso perpeti, mūdumq;, ac terrena vniuersa contemnere velle stu-

dea-


deamus; Et quoniam aliqui dicere non erubeſcũt, quòd cuilibet Paullum imitari non licet, nec integrum eſt; ipſe enim apud Deum nimis gratioſus erat, & ſemper prędicationi, atque orationi operam dabat, nec vnquam feſſus erat; Et in carcerem coniectus, nec vinculis, nec dolore prohibebatur, quin ſummis laudibus Deum celebraret; Et quòd in diligẽdis inimicis ſuis omnes vicit, & in affligentes eum beneficia non mediocria contulit, tanta charitate præditus, vt nemo talem aſſecutus ſit, dicimus nos ſimiles eſſe poſſe, nolle autem; cur enim nos aſsidue orare non valemus, cum nos nõ lateat orationem cum Deo colloquium exiſtere? cur non & ipſi inimicos noſtros amore proſequi, & illecebras libidinum, ac volupta-
tum

tum fugere, & totam mentem nostram, atque cogitationem in Christo figere possumus? verum hoc culpa nostra, & uitæ huius desiderio contingit; nam fide plena, qualis in Paullo viguit, præditi non sumus; nec à Deo petimus, vt fidem, spem, & charitatem nobis augeat. Quòd si statuerimus Christum sincero animo, integrisque sensibus penitus sequi, vitia cuncta & scelera in odium omnino veniant, oportet, & amor mundi procul à nobis absit, assiduitas vero in contemplatione actionũ Christi nobis iucundissima sit; erogatio fortunarum nostrarum in pauperes frequens existat; Paullus. n. quia egentibus omnia distribuerat, ita inops erat, vt aliquando esuriret: Ieiunitas etiã à nobis familiaris habeatur: Denique humilitas bonorũ

omnium mater, quemadmodum ab illo, ita à nobis perpetuo colatur, vt ne vestigiũ quidem ullum in nobis superbiæ exstet; cum nos hac propensissima in Deum voluntate erimus; cum cęlestia semper meditabimur, atque alienissimam ab honoribus, atq; diuitijs, illecebraque peccandi blandæque voluptatis animũ habuerimus; si Paullum non ęquabimus, profectò ad eum proximè accedemus; Et qui illius exemplo ad Deum venerandum, colendumque & gloria immortali afficiẽdum nosmet conuerterimus, tam gratũ Iesu Christo fore obsequium nostrũ sperare debemus, vt ille in regno cælesti à nobis Paullum videri permittat. Interim tamen dum hac luce fruimur; eius conuersionem, quæ totum terrarum orbẽ illuminauit, deuo-

deuoti celebrabimus; eumque pre
cari non intermittemus, vt nobis ip
ſe aduocatus ſit apud Dominum no
ſtrum Ieſum Chriſtum, quo ille
patriæ cæleſtis participes nos
efficiat, atque vnà cum ipſo
met Paullo cohæredes
ſuos eſſe velit; qui
viuit, & re-
gnat
ſempiternis ſeculis
Glorioſus
Amen.





EIVSDEM

In Purificationem

B. MARIAE VIRGINIS.



Agnus nobis hodie Fratres chariſſimi, humilitatis D.N. Ieſu Chriſti, & eius ſanctiſſimæ matris exemplum proponitur, immo maximum & ſtuporẽ mouens, quòd ij, qui legi minime debebant, atque addicti etant, ſe tamen ei ſubijcere voluerint, & Chriſtus in membris ſuis legem obſeruari ſiuerit; vt eos redimeret, qui ſub legę erãt, ac Deos ęfficeret; Inquit.n. D.Lucas, *Poſtquã imple-*

impleti sunt dies purgationis eius, Mariæ: *S. Secundum legem Moysi* lex postulabat, vt mulier quæ marem suscepto semine pepererat; septē diebus mūda non esset, & octauo die puer circunsideretur; ac post dies septem hominū cōsors esset, & cum eis versaretur, triginta tamē tribus diebus quod ad ingressum templi & sacrorum tactum attinet, adhuc munda non existeret, quod supra illos septē intelligendum est, ita vt quadraginta diebus mulieris purgatio durare debeat, quę marem pepererit, quod in femina geminatur, & tunc illa tēplum intrabat. In quo videte Spiritus sancti sapientiam; satis.n.erat dixisse: Mulier si filium peperit; sed addens, suscepto semine, Virginem Sāctam excipere voluit, quæ nullius seminis interuentu filium in lucē edi-

derat. Cur autem post quadraginta dies Mater Christi ad templum purganda accesserit, respondetut, sicut plenitudo gratiæ a Christo in matrē deriuatur, sic decuisse, vt mater ad humilitatem filij se conformaret; humilibus. n. Deus gratiam præstat: Et sicut Christus minime obligatus voluit tamen circuncidi, aliaque legis onera subire, vt nobis humilitatis, & obedientiæ exemplum præberet; & Iudęis calumniandi occasionem auferret, sic beata virgo licet non propter necessitatem, propter præceptum tamen legis omnia obseruare debuit; & vt aliarum mulierum morem exprimeret, atque effingeret, exemploque doceret, purgationem peragere voluit. At quod amplius est, hoc ab ea fieri oportuit ne murmuris ac ruinæ ansa Iudæis

dare-

daretur; cui.n.notum hoc erat, ipsā Virginem Mariam sine semine pepe risse, præsertim cum ab initio natalis sui Christum Iudæi nunquam co gnoscere voluerint? Verum duplex legis præceptum erat, generale alte rum ab omnibus obseruandum, vt purgationis tempore cōpleto puer ad templum afferretur, & pro eo fie ret sacrificium; singulare alterum, vt primogenita tam ex hominibus quam ex iumentis Domino dicaren tur. Quod ad primogenita pertinet, trigesimo tertio die post circun cisum Christum, inquit Lucas. Tule runt illum in Hierusalem, & stite runt eum.i.obtulerunt, ac domino consecrarunt, quod fieri ipse permi sit, vt templum sanctum redderet, ac veterem legem approbaret, eamq; in se ipso terminaret, & nos a vincu

lo legis solueret; demum, vt dixi, exẽ plum humilitatis seipsum pręstaret, quia omnis mas vterum aperiẽs Domino sanctus vocabitur. i. Domino dedicabitur, sicut iuxta morem soliti natalis loquitur S. Lucas; hominis autem & pecoris primogenitũ significat, quod vtrunque Domino dicari sanctum, atque ideo sacerdotis esse præceptum est; ita tamen, vt is pro hominis primogenito quinq; sidorum pretio contentus esset, vt doctores aiunt, & omne animal immundum redimi iuberet; ex eo. n. tẽpore quo primogenita Aegyptiorum interficit Dominus, Iudæorum filios seruans, omnia sibi primogenita vindicauit, offerriq́ue præcepit. Hoc autem legis statutum, vbi dicitur, omne mihi primogenitum sanctifica, in solo Christo singulari qua

dam

dam ratione dissimilique locum habere videtur; ipse namque inexplicabili modo cōceptus, & editus virginalem vterum non ante à connubio reseratum aperuit post partum materni corporis castimoniam mirabiliter seruans; vnde vere sanctus à Gabriele archangelo appellatus est, quasi decretũ hoc ad ipsum duntaxat pertinens; inquit enim, quod nascetur ex te sanctum, filius Dei vocabitur, proprie sanctus existens; ceteros autem sanctos nuncupari euãgelium statuit tanquam huiusmodi nomen sortitos, quòd illi Domino Deo offerrentur; Quo cerimoniarum genere vterentur sacerdotes, Lucas non narrat, sed verisimile est Mariam Virginem candelã siue cereum igne accensum in manibus gestasse, dum ad altare acceedũt,

& puerum offerunt; Cuius exemplo fortè adducta ecclesia cereos cō secrat, & in supplicatione. Et quoad euangelium perlectum sit, accensos perferri iubet. quod innuebat Simeon postea canens lumen ad reuelationem. licet nonnulli opinentur, vt ipsa veterem Romanorū morem februa 12. dies celebrandi abrogaret, quibus populus circa sepulcra accensis facibus sacrificia faciebat. *Et vt darent hostiam*, inquit Lucas, quemadmodum in lege scriptū est par turturum, aut duos pullos columbarum, vnum pro agno in holocaustum, alterum pro peccato, qui sacerdotis commodis, atque vtilitati seruiebat, orantis pro ea, quæ mūdabatur: Pauperum autem, & corū qui diuitijs non abundabant, hæc hostia erat, & qui agnum offerre nō

poterant; Vel fortè id accidit, quòd Christus, qui erat agnus Dei in mundo natus, semetipsum pro mundi vita holocaustum oblaturus erat; Et quia vtraque hostia ęque conditori accepta est; columba enim, quia cũ gregalibus volat suis, actiuæ vitæ frequentiam indicat, Turtur vero solitudine gaudens contemplationis fastigium demõstrat, consultò Lucas, an turtures, an pulli columbarum pro Domino oblati sint, non explicauit, ne alterum viuendi ordinem alteri pręferret, sed vtrunq; sequendum doceret: Credendum tamen magis est, quia Christus, & mater pauperrimi erant, eos quia minoris veneunt, pullos columbarum emisse. Cur autem pulli potius, & non columbæ simplices, sicut turtures in sacrificijs Domino offerri permit-

te-

tebantur? respondet D. Bernardus, & rationem reddit inquiens, licet aliàs columba spiritum Sanctum significare soleat, quia tamen libidinosa auis est, non decuisse eam offerri, nisi ea ætate, quæ libidinem nesciat; Turturis vero non designari ætatem, quoniã castitas eius agnoscitur, quæ vno consorte in quacũque ætate contenta alterum eo amisso respuit, in hominibus numerosas nuptias arguens: Ac mirum est, quãdo Maria virgo tẽplum adiuit, agnũ emendi facultatem ei nõ fuisse, quẽ pro filio offerret, cum aurum multum ei à Magis tributum fuisset, Verum credere licet nobis illam vt potè pauperes admodum amantem, ac voluntatem filij agnoscentem totũ in eos erogasse, & manibus proprijs ea quæ ad victum suppeditabant, sibi

bi paraſſe. Merito igitur columbam, quæ ſimplicitatem, & turturē, quæ caſtitatem indicant, deferri permiſit, quia ſimplices, & pudicæ fideliū actiones Domino gratum ſacrificiū exhibent; nam ab homine conſtante ex anima & corpore, vtriuſq; māſuetudinem, & caſtitatem à nobis poſcit Deus, alioquin fictor erit ille innocentiæ velo ſimulationem tegens; triplici autem ratione hæc oblatio præcepta erat, vt & infans Domino conſecraretur, & commēdaretur diuinæ cuſtodiæ, & gratiarum actio Deo ageretur, à quo tale donum parentes acceperunt; tertia tantùm in Chriſto locum habuit; beata enim virgo Deo gratias agere debuit, quę ſingulari priuilegio eum concepit, & peperit. Quo autem loco conſtiterit in templum ingreſſa

licet à doctoribus, quos vidi, nō explicetur, verisimile nihilominus existit, se cum diuitibus non coniunxisse, quòd quamuis generosa & nobilis, veste tamen vili induta esset, nec cum virginibus, quia sponsum habebat; at cum pauperibus, ac simplicibus mulieribus se copulasse, vt prædictio illa, sicut lilium inter spinas impleretur. licet alij tantum quinq; personas Christum, matrem Iosephum, Annam, ac Symeonem affuisse affirment: Voluit ergo Christus propter nos sisti, vt exhibere nos ipsos disceremus, & consecrare Deo; Atque cum diues existeret, pro nobis pauper fieri, vt sua nos inopia diuites ac præsertim fide redderemur, atque diuitiarum suarum participes, & regni cælorum hæredes essemus. O immensam benignitatē,

ac Deibonitatem, atque clementiã; quis vnquam cogitatione incredibilem illius erga nos amorem assequi valeat? Itaque Dominũ imitemur, quatenus pro viribus nobis licet, & nos quoque voluntariam paupertatem amemus. Quòd autem omnis ætas, nedum angeli, & sexus nato puero testimonium tribuerit, ac sicut ab omnium sęculorũ fidelibus præsagiebatur, sic veniens omnium sanctorum voce celebratus fuerit, & laudibus affectus. Ecce Simeon inter sacerdotes celebris, homo iustus, qui non suam sed populi gratiã requirebat, & timoratus timore Domini, qui Iustitiæ, ceterarumq; virtutum custos est; habitat enim Deus in ijs, qui eum timent, iustitiamq; seruant; erat expectans consolationem Israel, mundanam felicitatem
non

non expectabat, & quatenus fide, & ſpe magna præditus erat, fiduciam promiſsi rectam habebat, & reſponſum mente acceperat non ſe ante mortem carnis viſurum, ideſt experturum eſſe, quam Chriſtum Domini videret & oculis cerneret, vt hinc coniecturam facere debeamus, quãto ſancti veteris teſtamenti viri ſumptæ a Chriſto carnis myſterium percipiendi deſiderio arderẽt. Et cum Spiritus ſanctus in eo domiciliũ haberet, à quo & Iuſtus effectus eſt atque illuminatus, venit in ſpiritu in templum, eadem enim ſpiritus Sancti gratia adiutus, qua ipſe olim eũ aduenturum ante didicerat, nunc venientem agnouit, & cum introducerent Puerum in templum, vt ſolitum morem ſeruarẽt, accepit eũ in vlnas ſuas, Senior infantem Chri

ſtum,

ſtum, quem prius in ſinu matris ab
ea genua flectente mirum inmodū
fuiſſe veneratum cenſeri poteſt; Innocentiā Chriſtianæ infantię accipit,vt quemadmodum aquila renouetur, ac Iuſtitiam legis in gratiā fidei euāgelicę mutandā eſſe innuat.
O vere felices manus, q̄ meruerūt,
vt Ieſum attrectarent, ò beata brachia, quæ eum amplexatæ ſunt; Ac
quanto gaudio exilierit Symeon,
quis diiudicare valet,cum quodam
modo ſenectus aufugeret, & Iuuenis robur,atque fortitudo adeſſet,
dum eum geſtabat,a quo ipſe portabatur & regebatur?Si ergo nos quoque volumus Ieſum tenere, ſi manibus amplexari eum cupimus, omni
labore nitamur, vt ducem habeamus Spiritum, & continenter ad tēplum accedamus, vt quidquid in

nobis est boni, si quid tamē est, eius gratiæ & non meritis nostris ascribamus. *Et benedixit Deum* pro tantis beneficijs illi gratias agēs, & quod promissa sibi facta veritatem sortita sint & vt consolationē Israel oculis perspiceret, dignus habitus fuerit, *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, inquiens, vt eum Deum confiteatur; quasi dicat, antequam Christum in manibus haberem, clausus eram, & ex vinculis eripi nequibam; modo dimittis. i. dimitte, vt mortem non videam, qui vitam oculis aspexi, *Secundum verbum tuum*. i. cum ad promissorum finem peruenerim *in pace*: addit, quia post debellatum hostē, & nos patri suo reconciliatos, sanctorum in pace ad cælestem patriā facta est translatio; nec de hoc seculo in pace quisquā decedit, nisi, qui

Deum

Deum in Christo mundum sibi reconciliasse intelligit: *Quia viderunt oculi mei*, ait, *salutare tuum*, Beati certe oculi tui Symeon non solum corporei, sed & qui illuminati Spiritus Domini fulgore in carne verbũ cognouerunt, Felicissimus tu totus, qui penè primus tantopere apud Christum gratiosus fuisti, qui donò tam admirabili affectus fuisti; Salutare namque quod oculis percipisti, ipse Iesus est, quo nomine salus significatur. *Quod parasti.* s. ante originem mundi; Sagacitatem digni ac venerandi senis animaduertamus, antequam dignus beata uisione videretur, solatium Israel præstolabatur, postquam aũt impetrauit, quod sperabat, se populorum salutem cõspexisse exclamat; infantis. n. inexplicabilis splendor illum illustrauit, vt

quę euentura erant, ferè temporis momento sibi nota fierent. Ideo inquit, *Ante faciem omnium populorum.* quòd carnis à Christo sumptio cunctis ante oculos versatura esset. Hoc autem salutare gentium lumen existere, quòd gentes ante Christi aduentum in tenebris iacebant, Christus autem adueniens sedentibus in tenebris lux factus sit, quam candela illa accensa significabat, in qua sicut erat filũ, cera ignis, ita in Chr̄o caro & anima & diuinitas ipsa existebat, *Et gloriã plebis Israel*, quia ab eis non tantum veneratus est, sed ex illis etiam ortus, quãuis vt Deus prę esset. Et mirabantur pater & mater de ijs, quæ de illo dicebantur tã ab Angelo quam a multitudine cælestis exercitus, nec nõ a pastoribus & ab ipso Symeone, quia rerũ, quæ


cognitionem noſtram tranſcendũt, notitia, quotiens in memoriam veniebat, miracula in mente renouabat. Qui poſtea benedixit illis, & beatos eos eſſe prædicauit, Mariæque virgini prædixit eum ſtatutum fuiſſe & ſuperborum ruinam, & humilium ſalutem, qui in eum credentes a peccatis liberati ſe erexerunt. Quàm autem conſtanter viſioni illi fidem habuerit, ex hoc conijcere licet, fratres cariſſimi, qđ ipſe hoc corporis vinculo diſſolui nolebat, antequam Chriſtum videret, non ignorabat. n. quã beati eius oculi forent, qui eum aſpexiſſent: mox autem vt Deus votis ſuis, atq; optatis reſpondit, continuo ad limbum patrum proficiſci cõcupiuit; exploratum. n. illi erat ſaluatorem eſſe natũ, quem in manibus habue-

rat,ac se redemptum iri; Nos quoq; religiosi conemur, sicut ille perfectus fuit, & vitam patienter degit, mortem tandem desiderans, tales nos esse; Iustos videlicet, vt proximos sicut nos ipsos ex corde amemus, Et sic timoratos, vt visione nos etiam digni simus, & spiritus sancti in nobis domicilio; si enim virtutis opera exercuerimus, & deposita uetustate vitæ nouam induerimus, Iesus in sinu & cōplexu nostro erit, nec senis illius felicitati, ac beatitati inuidere nobis opus erit, inquit. enim Christus: beati qui non viderunt, & crediderunt; Et quoniam in hoc cantico Symeon Christum gloriosum reddit, eum & pacem, & salutem, & lumē, & gloriam appellās, primum quia medius est; alterum, quia redemptor, tertium, quia do

ctor, quartum quia præmiorum tributor, vt illius commendatio breuiter comprehendatur, ideo id in fine precum ſemper canitur; læti ergo hymnum hunc cantemus, & à Domino obtinere nitamur, cum ipſum carneis oculis cernere non potuerimus, vt in cæleſti patria oculis cordis eum videre, illoque perfecte perfrui valeamus, Qui viuit &c.

EIVSDEM

In diem Cinerum.



Atis iam, ac multũ bacchati ſumus, & voluptatum illecebris hactenus deliniti, fratres chariſſimi, nunc dies hic, & horum quadraginta dierum tempus ieiunio dedi-

& puerum offerunt; Cuius exemplo fortè adducta ecclesia cereos cõsecrat, & in supplicatione. Et quoad euangelium perlectum sit, accensos perferri iubet. quod innuebat Simeon postea canens lumen ad reuelationem. licet nonnulli opinentur, vt ipsa veterem Romanorũ morem februa 12. dies celebrandi abrogaret, quibus populus circa sepulcra accensis facibus sacrificia faciebat. *Et vt darent hostiam*, inquit Lucas, quemadmodum in lege scriptũ est par turturum, aut duos pullos columbarum, vnum pro agno in holocaustum, alterum pro peccato, qui sacerdotis commodis, atque vtilitati seruiebat, orantis pro ea, quæ mũdabatur: Pauperum autem, & eorũ qui diuitijs non abundabant, hæc hostia erat, & qui agnum offerre nõ pote-

poterant; Vel fortè id accidit, quòd Christus, qui erat agnus Dei in mundo natus, semetipsum pro mundi vita holocaustum oblaturus erat; Et quia vtraque hostia ęque conditori accepta est; columba enim, quia cũ gregalibus volat suis, actiuæ vitæ frequentiam indicat, Turtur vero solitudine gaudens contemplationis fastigium demõstrat, consultò Lucas, an turtures, an pulli columbarum pro Domino oblati sint, non explicauit, ne alterum viuendi ordinem alteri pręferret, sed vtrunq; sequendum doceret: Credendum tamen magis est, quia Christus, & mater pauperrimi erant, eos quia minoris veneunt, pullos columbarum emisse. Cur autem pulli potius, & non columbæ simplices, sicut turtures in sacrificijs Domino offerri permit-

te-

tebantur? respondet D. Bernardus, & rationem reddit inquiens, licet aliàs columba spiritum Sanctum significare soleat, quia tamen libidinosa auis est, non decuisse eam offerri, nisi ea ætate, quæ libidinem nesciat; Turturis vero non designari ætatem, quoniã castitas eius agnoscitur, quæ vno consorte in quacũque ætate contenta alterum eo amisso respuit, in hominibus numerosas nuptias arguens: Ac mirum est, quãdo Maria virgo tẽplum adiuit, agnũ emendi facultatem ei nõ fuisse, quẽ pro filio offerret, cum aurum multum ei à Magis tributum fuisset, Verum credere licet nobis illam vt potè pauperes admodum amantem, ac voluntatem filij agnoscentem totũ in eos erogasse, & manibus proprijs ea quæ ad victum suppeditabant, si-

bi paraſſe. Merito igitur columbam, quæ ſimplicitatem, & turturē, quæ caſtitatem indicant, deferri permiſit, quia ſimplices, & pudicæ fideliū actiones Domino gratum ſacrificiū exhibent; nam ab homine conſtante ex anima & corpore, vtriuſq; māſuetudinem, & caſtitatem à nobis poſcit Deus, alioquin fictor erit ille innocentiæ velo ſimulationem tegens; triplici autem ratione hæc oblatio præcepta erat, vt & infans Domino conſecraretur, & commēdaretur diuinæ cuſtodiæ, & gratiarum actio Deo ageretur, à quo tale donum parentes acceperunt; tertia tantùm in Chriſto locum habuit; beata enim virgo Deo gratias agere debuit, quę ſingulari priuilegio eum concepit, & peperit. Quo autem loco conſtiterit in templum ingreſſa

licet à doctoribus, quos vidi, nõ explicetur, verisimile nihilominus exi stit, se cum diuitibus non coniunxisse, quòd quamuis generosa & nobilis, veste tamen vili induta esset, nec cum virginibus, quia sponsum habe bat; at cum pauperibus, ac simplici bus mulieribus se copulasse, vt prædictio illa, sicut lilium inter spinas impleretur. licet alij tantum quinq; personas Christum, matrem Iosephum, Annam, ac Symeonem affuisse affirment: Voluit ergo Christus propter nos sisti, vt exhibere nos ipsos disceremus, & consecrare Deo; Atque cum diues existeret, pro nobis pauper fieri, vt sua nos inopia diuites ac præsertim fide redderemur, atque diuitiarum suarum participes, & regni cælorum hæredes essemus. O immensam benignitatẽ,

ac

ac Deibonitatem, atque clementiã; quis vnquam cogitatione incredibilem illius erga nos amorem assequi valeat? Itaque Dominũ imitemur, quatenus pro viribus nobis licet, & nos quoque voluntariam paupertatem amemus. Quòd autem omnis ætas, nedum angeli, & sexus nato puero teſtimonium tribuerit, ac ſicut ab omnium ſeculorũ fidelibus præſagiebatur, ſic veniens omnium ſanctorum voce celebratus fuerit, & laudibus affectus. Ecce Simeon inter ſacerdotes celebris, homo iuſtus, qui non ſuam ſed populi gratiã requirebat, & timoratus timore Domini, qui Iuſtitiæ, ceterarumq; virtutum cuſtos eſt; habitat enim Deus in ijs, qui eum timent, iuſtitiamq; ſeruant; erat expectans conſolationem Iſrael, mundanam felicitatem

non

ſtum, quem prius in ſinu matris ab ea genua flectente mirum inmodũ fuiſſe veneratum cenſeri poteſt; Innocentiã Chriſtianæ infantię accipit, vt quemadmodum aquila renouetur, ac Iuſtitiam legis in gratiã fidei euãgelicę mutandã eſſe innuat. O vere felices manus, q̃ meruerũt, vt Ieſum attrectarent, ò beata brachia, quæ eum amplexatæ ſunt; Ac quanto gaudio exilierit Symeon, quis diiudicare valet, cum quodam modo ſenectus aufugeret, & Iuuenis robur, atque fortitudo adeſſet, dum eum geſtabat, a quo ipſe porta batur & regebatur? Si ergo nos quoque volumus Ieſum tenere, ſi manibus amplexari eum cupimus, omni labore nitamur, vt ducem habeamus Spiritum, & continenter ad tẽplum accedamus, vt quidquid in

nobis est boni, si quid tamē est, eius gratiæ & non meritis nostris ascribamus. *Et benedixit Deum* pro tantis beneficijs illi gratias agēs, & quod promissa sibi facta veritatem sortita sint & vt consolationē Israel oculis perspiceret, dignus habitus fuerit, *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, inquiens, vt eum Deum confiteatur; quasi dicat, antequam Christum in manibus haberem, clausus eram, & ex vinculis eripi nequibam; modo dimittis. i. dimitte, vt mortem non videam, qui vitam oculis aspexi, *Secundum verbum tuum*. i. cum ad promissorum finem peruenerim *in pace:* addit, quia post debellatum hostē, & nos patri suo reconciliatos, sanctorum in pace ad cælestem patriā facta est translatio; nec de hoc seculo in pace quisquā decedit, nisi, qui

Deum

Deum in Christo mundum sibi reconciliasse intelligit: *Quia viderunt oculi mei*, ait, *salutare tuum*, Beati certe oculi tui Symeon non solum corporei, sed & qui illuminati Spiritus Domini fulgore in carne verbũ cognouerunt, Felicissimus tu totus, qui penè primus tantopere apud Christum gratiosus fuisti, qui donò tam admirabili affectus fuisti; Salutare namque quod oculis percipisti, ipse Iesus est, quo nomine salus significatur. *Quod parasti.* s. ante originem mundi; Sagacitatem digni ac venerandi senis animaduertamus, antequam dignus beata uisione videretur, solatium Israel præstolabatur, postquam aũt impetrauit, quod sperabat, se populorum salutem cõspexisse exclamat; infantis. n. inexplicabilis splendor illum illustrauit, vt

quę euentura erant, ferè temporis momento sibi nota fierent. Ideo inquit, *Ante faciem omnium populorum.* quòd carnis à Christo sumptio cunctis ante oculos versatura esset. Hoc autem salutare gentium lumen existere, quòd gentes ante Christi aduentum in tenebris iacebant, Christus autem adueniens sedentibus in tenebris lux factus sit, quam candela illa accensa significabat, in qua sicut erat filũ, cera ignis, ita in Chr̄o caro & anima & diuinitas ipsa existebat, *Et gloriã plebis Israel*, quia ab eis non tantum veneratus est, sed ex illis etiam ortus, quãuis vt Deus prę esset. Et mirabantur pater & mater de ijs, quæ de illo dicebantur tã ab Angelo quam a multitudine cælestis exercitus, nec nõ a pastoribus & ab ipso Symeone, quia rerũ, quæ


cognitionem nostram transcendũt, notitia, quotiens in memoriam veniebat, miracula in mente renouabat. Qui postea benedixit illis, & beatos eos esse prædicauit, Mariæque virgini prædixit eum statutum fuisse & superborum ruinam, & humilium salutem, qui in eum credentes a peccatis liberati se erexerunt. Quàm autem constanter visioni illi fidem habuerit, ex hoc conijcere licet, fratres carissimi, qđ ipse hoc corporis vinculo dissolui nolebat, antequam Christum videret, non ignorabat. n. quã beati eius oculi forent, qui eum aspexissent: mox autem vt Deus votis suis, atq; optatis respondit, continuo ad limbum patrum proficisci cõcupiuit; exploratum. n. illi erat saluatorem esse natũ, quem in manibus habue-

rat,ac se redemptum iri; Nos quoq; religiosi conemur, sicut ille perfectus fuit, & vitam patienter degit, mortem tandem desiderans, tales nos esse; Iustos videlicet, vt proximos sicut nos ipsos ex corde amemus, Et sic timoratos, vt visione nos etiam digni simus, & spiritus sancti in nobis domicilio; si enim virtutis opera exercuerimus, & deposita uetustate vitæ nouam induerimus, Iesus in sinu & cōplexu nostro erit, nec senis illius felicitati, ac beatitati inuidere nobis opus erit, inquit. enim Christus: beati qui non viderunt, & crediderunt; Et quoniam in hoc cantico Symeon Christum glo riosum reddit, eum & pacem, & salutem, & lumē, & gloriam appellās, primum quia medius est; alterum, quia redemptor, tertium, quia do

ctor, quartum quia præmiorum tributor, vt illius commendatio breuiter comprehendatur, ideo id in fine precum ſemper canitur; læti ergo hymnum hunc cantemus, & à Domino obtinere nitamur, cum ipſum carneis oculis cernere non potuerimus, vt in cæleſti patria oculis cordis eum videre, illoque perfecte perfrui valeamus, Qui viuit &c.

EIVSDEM

In diem Cinerum.



Atis iam, ac multũ bacchati ſumus, & volupta tum illecebris hactenus deliniti, fratres chariſſimi, nunc dies hic, & horum quadraginta dierum tempus ieiunio dedi-

catum admonet, vt crapulam exhalemus ac resipiscamus; Quin etiam Turcæ illius dictum ad memoriam reuocemus, qui Romæ dies aliquot commoratus cum hodie casu ad ecclesiam accessisset, & cinerem a Sacerdote imponi capitibus nostris intuitus esset, postea nos luxui amplius operam non dare, ad suos profectus narrauit eis se miraculum in Italia vidisse, quòd quadam die nos cinere conspersi ex valde stultis sapientes euadamus; Et vtinam ille diuinasset; non enim ad vomitum facile rediremus. Sed ecclesia mater nostra hoc pie statuit, quò illam omnium virtutum præcipuam humilitatem nobis ante oculos ponat, & vt nos, qui cinis & puluis sumus, in puluerem, sicut Adamo dixit Dominus, reuersuros esse in memoriam re-

digat

digat; In qua cogitatione si versaremur, fratres charissimi, a malis declinaremus; vitiaque multa & grauia fugeremus. Ac certe qui Deo gratus esse cupit, humilitatem concupiscat, & amet, exerceatque, oportet, Beatæ Mariæ virginis exemplo, quę adeo humilis fuit, vt digna fuerit, quæ Deum, & hominem pareret, vitam mortalibus ederet, paradysum aperiret. hoc autem postulat humilitas ipsa, vt nihil in nobis boni esse arbitremur, & si quid extat, totum à Deo Opt. Max. agnoscamus, vt alios etiam semper pluris faciamus. Qui enim se proximo præponit, vt aliquando eum cõtemnat, necesse est. Vnde tota disciplinę Christianæ sapientia in vera & voluntaria humilitate consistit, non in astutia disputandi, non in laudis, & gloriæ appetitu;

in quo hypocritæ ideſt ſimulatores in euangelio quod nũc audiſtis, valde arguuntur; quos imitari nobis Chriſtus Dominus prohibet inquiens: cum ieiunatis; Nam ſupra de oratione ſermonem longum habuit, & quoniam ſine ieiunitate illa infirma eſt; dixit enim Chriſtus diſcipulis ſuis ſine vtraque dæmonia eijci non poſſe; ideo de Ieiunio verba facit, dicens, *Cum illi operam datis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes*, non dixit, *eſſe*, quia iſti quidem ſimulatores fallaciſſime ſe hominibus venditant, qui vero naturaliter & aſſidue ieiunium exercent, non fiunt, ſed vere triſtes ſunt; non enim fieri poteſt, vt is hilaris ſit, qui in ieiunitate verſatur. *Hypocritæ autem exterminant*. nõ proprie dictum, vt ait Hieronymus; exterminantur namque exules; ſed de-

demoliuntur; quemadmodum vero ego interpretor, pallore facies suas obscurant, vt tristitiam indicent, & læto forte animo luctum in vultu patefaciunt, vt ab hominibus ieiunitati operam nauare censeantur; vnde mercedē eis quam optabant, per solutam esse ait Christus, laudem scilicet, & gloriam, quam ab hominibus expetunt, At quid de ijs dicemus, qui ieiunium fugiunt, & tamē pallore vultum suum pingunt, vt ieiunij signum ostendant, nonne iniquiores multo sunt, & iactantiæ suæ grauissimas pœnas dare debent, qui gloriantes in sordibus nedum in nitore rerum corporearum se Deo seruire fingentes homines fallunt? sed Christus nos instruit, ne in hos perniciosos errores incidamus, inquiēs *Tu cum ieiunas, vnge caput tuum,* mo-

re Palestinorum, qui diebus festis hoc efficiebant, *Et faciem tuam laua,* perinde ac dicat, fac vt, ieiunitatem dum exerces, lætum te & hilarẽ mẽte demõstres, & mundicitia cor ornes, (vngere.n.ad lętitiam, lauare ad mũditiam spectat, & alibi a cibo abstinere vnctis capitibus turpissimũ esse cuncti iudicarẽt) ne hominibus ieiunus esse videaris, sed patri tuo qui est in abscondito idest qui in cęlis est, vel qui in corde tuo ob fidem tuam habitat, & ipse reddet tibi, satis enim tibi esse debet, vt qui conscientiam tuam scrutatur; te ipse remuneret. Verum notãdum est, sicut ait Chrisostomus, in eleemosina non simpliciter hoc posuisse, sed illam coram hominibus non esse tribuendam dixisse, hoc addito vt ab eis videamur; In ieiunio & oratione
 ni-

nihil tale addidisse, quia fieri nō possit, vt eleemosina prorsus lateat, oratio autem & Ieiunitas cælari queāt. De quo ieiunio nō nulla afferre mihi propositum est, licet de illo doctores copiose loquantur. Ac Ieiunium quinque modis considerari potest, ut ad animā, ad corpus, quod naturæ ieiunium quidam vocant, & ad pœnitentem pertinet, atque vt illud ordinat ecclesia sācta, & vt morale est; Verum de hoc vltimo dicere omittemus, in libera. n. cuiusque volūtate a cibo & potu siue propter salutem corporis, siue aliam ob causam rationi consonam abstinere situm est. Illud ad animam, & spiritū spectans verum est & magnum ieiunium ab iniquitatibus scilicet & sceleribus, & ab illicitis sæculi voluptatibus abstinere, vt ait Isaias, sol-

ue colligationes; abalienatio enim a prauis actionibus vera est & perfecta ieiunitas sed, Fratres mei carissimi, parum est a peccatis duntaxat cauere; nisi accedant opera bona, vt frange, hoc vero ieiunium semper exercendum est, & omni tempore valde vtile; De illo ad corpus pertinente siue naturali scire vos volo hanc à cibo, potuque abstinentiam sanis maxime congruere, & ijs, qui pane cælesti cupiunt ali: si enim mentem constantem reddere, eamque expiare desideramus, carnem domemus, eamque spiritui subijciamus oportet; non enim Moyses Deum, nec Daniel visiones vidisset, si animum eorum perspicacem non effecisset ieiunium, animi enim propugnaculum bonum est, & vitæ castigatio; Scutum etiam est ad militandum

dum contra dæmones; tentationes enim remouet, sacerdotem quoque perficit; nam citra ieiunium sacra celebrare non licet, castitatis verũ lumen accendit, & sobrietatem comitatur; deniq; diuitias nihilifacit, Superbiam spernit, atque humilitatem commendat. Quid plura? at vt vno verbo comprehendam, Ieiunium est angelorum similitudo, qui cum eis libenter habitant, qui animam ipso expiant. Sed dicet aliquis Ieiunitatem ferre nequeo, an satiare te victu, & corpus cibis delicatis onerare vales? à delicijs saltem abstine, hoc enim non minimum erit, nec à Ieiunio valde distãs opus, qđ Dæmonum quoque furorem mitigare potest. Ac si ieiunium tolerare nequis, amplius & copiosius in pauperes eroga. Quare, fratres mei, noli-

nolite excusationes afferre præsertim ei, qui corda nouit, & vos ex eorum numero eximere, qui ieiunio operam dare debent: nemo enim ignorat ebrietatem non suscipere Dominum, at Spiritum sanctum fugare (ebrietatis nomine singulas affectiones mentem perturbantes appello) sed Ieiunitatem amate, quæ omnes sanctos ad regnum cæleste perduxit; Et cur illam non diligamus, cum etiam sanitatem maxime tueatur? Sed animaduertite eorum non probari Ieiunium, qui ad cænã se præparant, in qua magnę reliquię fiant. Quod ad pœnitentes attinet, ij maxime abstinere debent a cibis, qui delectant & a potu, quo irã Dei placent, & a Deo impetrent, vt sibi eorum peccata cõdonentur, quod exercebat Dauid dicẽs, Genua mea

infirmata ſunt à Ieiunio, & humilẽ reddebam in ieiunio animam meã; De quo Ioelem hodie legimus inquientem: cõuertimini in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu; Et cũ pœnitens ad miſericordiam conſequendam, & peccatorum veniam obtinendam ieiunitatem ferre, & plorare debeat, à laude humana caueat, alioquin oleum, & operam perderet. Ieiunia vero ab eccleſia indicta diligenter obſeruare debemus, imprimis horum quadraginta dierum ieiunium, quod à lege, & à prophetis, atque ab euangelio nobis pręcipitur; Nam Ignatius ait à D. Ioanne Euangeliſta mandatum hoc accepiſſe, nec eccleſia onus hoc ſuſcepiſſet, niſi à ſpiritu Sancto & apoſtolis edocta fuiſſet, Qui ergo hoc tempore ieiunio operam

non nauat, nisi infirma, & ægra vale
tudine is fuerit, maxime se peccare
certo sciat. Quàm vero antiquum
donum existat ieiunium, ex hoc per
spici potest, quòd hoc primum mã
datum accepit Adam, & Eua, De li
gno scientiæ boni, & mali ne come
datis, quia moriemini. Hæc vox, ne
Edatis, vt ait D. Basilius, quem D.
Augustinus valde probat, ieiunij,
& abstinentiæ præceprum fuit: Nã
si Eua à ligno ieiuna fuisset, & Mari
tum non prouocasset, eo nunc non
indigeremus. Et quando ieiunita-
te missa è paradyso excidimus, rur-
sus ieiunium strenue exerceamus,
quò ad ipsum reuerti queamus:
Et quoniam illud sine oratione ani
mam perfecte nutrire nõ potest, &
sine eleemosyna parum valet, ideo
cũ Dominus Iesus Christus de elee
mo-

mosina supra dixerit inanem gloriam prohibens, de illa, & de diuitiarum contemptu sermonem repetit dicens: Nolite thesaurizare vobis in terra vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, vbi nobis cõsilium siue prçceptum dat, vt eleemosinam, ac misericordiam pauperibus tribuamus, & in hoc opere conficiendo vtilitatem ostẽdit, nec non timorem eijcit inopiç, qui impediat, ne erogemus, Verum tria ponit, metalla ab çrugine, vestos à tinea consumi, alia quæ nec æruginem nec tineam metuunt, vt lapides pretiosos à furibus rapi posse; si autem thesauros nostros in cçlo condamus non corporeo, quod trãsibit, sed in eo, quod semper manet, erit ibi & cor nostrum, perinde ac dicat, & si nihil eorum eue-


niat quæ diximus, non paruam tamen iacturam faciemus, si his terrenis atque inferioribus valde affixi ex cælestibus decidamus. Quid ergo satius est in terra ne sepelire pecuniam siue bona tua, vbi seruandi incertus est euentus, an in cælo, vbi certa est custodia? at certe maxima est amentia illic thesauros nostros relinquere, vnde simus discessuri, & illuc non præmittere, quo profecturi sumus. Ergo, fratres charissimi, fortunas nostras, atq; copias illic collocemus, vbi patriam habituri sumus; si autem cupimus, vt oratio nostra ad Deum perueniat ac volet, duabus illam alis muniamus, ieiunio & eleemosina; Et cũ ieiunitati damus operam, vngamus caput, idest mentem reficiamus, & conscientiam lauemus, vt illa coram

ram Deo munda sit; nam sine conscientia lauta & nitida, quæ apud Deum gratiosa est, misericordiæ opus ad obtinendam peccatorum nostrorum veniam idoneum non erit. Et ebrietatem fugiamus; non enim ieiunitas, & oratio animam ab ea inquinatam conseruare puram valet. Vitemus etiam superbiam, quam ęrugo indicat, quòd ea virtutem decore spoliet, & inuidiam, quę omne studium lacerat, & conficit, sicut tinea vestes rodit, fugiamusq́; hęreticos, & dæmones, qui tanquam fures nihil aliud tentant, quam vt mentem nostram à Deo atque à rebus cælestibus auocent. Et quoniam vnusquisq; illuc peruenire cupit, vbi diuitias suas seruasse nouit. Et beati sunt, qui eas in cælo reposuerunt, vt semper

ibi animum habeant, ſemperq́; illuc cogitatione aſpirent, vbi res amata exiſtit; nos quoque theſauros noſtros in cæleſti regno condamus, cæleſtiaq́; diligamus, quo.n. eos præmiſerimus, illuc & affectus noſter, & cor ſequetur. Denique animum noſtrum omnino Chriſto dicemus, atque in eo ſpem noſtrã fidem & charitate fulti figamus, & ipſe mercedem non paruam nobis tribuet actionum noſtrarum, atque in cæleſti patria ſecum nos habitare permittet, atque illius cohæredes eſſe, qui viuit & regnat æternis ſeculis. Amẽ.



EIVS-



EIVSDEM

In Primã Dominicam Quadrageſimæ.

AVdiſtis, fratres mei cariſſimi, Euangelium modo recitatũ nobis memoria valde tenẽdum, quia admirabile, & arcanis rebus plenum eſt, ex quo conſtat Dominum Ieſum Chriſtum poſt baptiſma à Ioanne ſuſceptum, ſe à Dæmone tentari permiſiſſe ac voluiſſe, vt ad tentationes noſtras ſuperandas non modo nobis opem atque auxilium ferret, ſed exemplum etiam ad imitandum proponeret; futurum

enim erat,vt tẽtationes nobis quoque iminerent,poſtquàm abluti eſſemus, atque illis prę́ſertim animo, & cogitatione ad cęleſtem patriam aſsidue aſpirantibus, quibus ſemper Dæmon inuidit. O miram Ieſu Chriſti;erga nos charitatem qui nihil non ſuſtinuit, ac tolerauit,vt ad omnia fortiter, ac ſtrenue ferenda nos inſtrueret. Inquit ergo D. Mattheus. *Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu*, haud dubium, quin à Spiritu ſancto, non inuitus, non captus, ſed pugnandi cum Dæmone voluntatem habens; ſpiritus enim quos implet, illos ad pugnam mittit, & robur eis præbet. D. autem Lucas ait, quòd agebatur ſpiritu in deſertum, ideſt impellebatur, vnde innuit hominem in tentationem ſeipſum immittere non debere. Nam

D. Marcus inquit, quòd spiritus eũ expulit in desertum, solitudinem videlicet illam, quæ inter Hierico, & Hierusalẽ existit, vbi à Christo Dæmon victus est, in quo latrones habitabant, qui hominem illum spoliauerũt, & in quo Adam exulauit. *Vt tentaretur à diabolo*, nam ductus est, vt Dæmonem prouocaret, non verbo, sed opere, quærens solitudinem, qua Dęmon delectatur, qui in vrbibus esse non vult, quia concordia ciuium eum tristem reddit; quique in homines inuadit, vt eos tentet; nã sanctis maxime infestus est, quoniam ei victoria quam de illis reportat, optata magis, & iucunda existit; accedere vero ad Christum non audebat; nouerat enim Dæmõ eum Ieiunio operam dare, & fame non laborare, ideo ipse Iesus cõtra

eum progressus est. Tribus autem modis à Dæmone tentatio exercetur, suasione, delectatione, & consensu, in his duobus extremis facile labimur; solus Christus illo suggerente tentari potuit, attamẽ eius mons minime conquassari, quia interius Diuinitati inhęrens haud cõcussa maneret; exterius tantum tẽtationes pati voluit, vt nobis vinceret; sed quales illæ fuerint, nescimus; & quia maiores erant, quàm vt litteris proderentur, ideo prætermissæ sunt. Nec indignum fuit eũ tentari, qui vt occideretur, in mũdum venerat; cur vero eas à nobis non auertat, multæ rationes afferuntur, primum quidem vt nos fortiores post baptisma factos esse discamus, deinde ne magnitudine donorum gloriemur; tertio vt Dæ-

mon

mon se à nobis penitus desertum esse experiatur, postremo, ut crediti nobis thesauri signum accipiamus; nō enim ipse nos aggrederetur tentans, nisi nos honore affectos esse cō spiceret. *Et cum Ieiunasset quadraginta diebus, et* 40. *noctibus*, non indigens erat enim Deus, sed nos instruens, ut quadragesimo nostro ieiunio modum statueret; (de quo numero doctores multa dicunt, quæ breuitatis gratia silentio à me prætermittuntur;) nā ultra quam Moyses & Helias non progressus est, ne carnis sumptio incredibilis uideretur: Et hæc vera humanitas tentandi occasio fuit; latebat enim potestas, infirmitas apparebat; Ieiunitatem autem fert, vt tentetur, tentationem uero sustinet, quia ieiunus est, & exemplum nobis tribuit, ostē-

dens

dens illis, qui se ad tentationum pugnas præparant, sobrietatem necessariam esse, & hoc opus ex virtute nauat Christus, at Moyses se diuino sermone sustentãs, & Helias fortissimo illo cibo munitus.

Postea esuriit, hominem naturæ suæ relinquens, & se Deum cælans, ac non tam cibum corporis, quàm animæ salutem desiderans, non ante, quia non esurire Dei erat; At sicut Dæmon omnes homines cæcabat, sic à Christo cæcus modo factus est; qui post quadraginta dies illum esurire intellexit, & per quadraginta non esurientem non cognouit, cum eum nõ esse filium Dei suspicatus est; nã magis ex eo quòd post tot dies non esurijt, perspicere debuit Deum esse, quam quòd post eos dies fame laboraret, homi-

nem esse: Moyses & Helias quadraginta dies ieiunium exercuerũt, & homines erant, sed fame vexabantur, ac sustinebant; iste autem non esurijt, postea ver o; esurire enim, & non comedere patientiæ humanæ erat; non esurire, diuinæ naturæ. *Et accedens tentator dixit, si filius Dei es*, Ante desperauerat Dæmon videns Christum ieiunitatem quadraginta dies tolerantem; at postquam esurientem cognouit, rursus sperare cœpit; Et sicut primum hominem in gula tentauit, cum ei suasit, vt cibum ligni vetitum ederet; Et in inani gloria, cum ei dixit: eritis sicut Dij; in auaritia & ambitione, inquiens, scientes bonum & malum; eodem ordine aggredi Christum volens succubuit, incepit.n. vnde vicerat, à gula, scilicet quia tẽ-
tatio

tatio hæc ab ineunte ætate præcipue occurrit homini, nisi.n.gula refrenetur, frustra contra alia vitia laboratur, dicens ei, si filius Dei es, vt cælesti verbo, & Ioānis testimonio renunciatus es: Dic, emphasis, solo iussu hoc ab eo effici posse significans, vt lapides isti, vel lapis, vt ait Lucas, panis fiat, ne fame crucieris. Sed quid sibi vult sermo hic? an quia cognouerat filium Dei esse venturum, sed infirmum corpore non arbitrabatur? aliud itaque explorantis est, aliud tentantis; Nam se Deo credere profitetur, at homini conatur illudere. Verum contrarijs tecum pugnas ò Dæmon; si enim eo iubente lapides fieri panes queunt, frustra tentas eum qui tanta potentia præditus est; sin hoc efficere nequit, frustra suspicaris, si filius

lius Dei es. *Respondens Iesus ait scriptum est*, scilicet in Deuteronomio; *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, vel vt D. Lucas ait, *in omni verbo Dei*, propositum enim erat Christo humilitate aduersarium superare, vnde eũ legis auctoritate, non virtutis potestate vicit, vt hominem maiori honore afficeret, & Dæmonem magis affligeret, qui non tanquam à Deo, sed tanquàm ab homine superaretur. Dissipator ergo tentationum Christus à natura panem non repellit, vnde respondet, non in solo pane, sed in omni verbo Dei, quòd homo quasi diuinæ pabulo lectionis deditus famem corporis negligat, alimentum verbi cælestis appetat; sicq; Moyses huic affixus animo panem non concupierit; nec Heliam

longioris fames ieiunij cõmouerit: Verum alij illa Deuteronomij verba aliter exponunt, inquientes hoc occasione Mãnæ dictum fuisse, quo Dominus Israelitas in solitudine pauit; dedit inquit Moyses, manna, vt ostenderet quòd non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, qđ de ore Dei exit, idest domini imperio, vt intelligatur illud omne, quo vt vita hominis sustẽtetur, ordinat, at iubet Deus, quemadmodum Mãna, quod panis non erat, Israelẽ nutriuit, & Heliseum herbis aluit, Ac Moysem & Heliam, Christumq; sine omni cibo sustentauit.

Tunc assumpsit eum in Sãctã ciuitatem. Hierusalem scilicet, quia ipsa propter templum cultui dicata esset diuino, vel propter sacramẽta nostræ redemptionis ibi peracta; Valent

quidem

quidem homines sancti, quandoq; à fame non vinci, post hanc carnis victoriam possunt cadere inani gloria capti; ideo tentare cœpit in ea; & quia permisit se assumi, non infirmitas fuit, sed patientia; in Dæmone vero superbia, qui voluntatem Saluatoris necessitatem esse putauerit; Ipsum autem spetie humana indutum apparuisse verisimile est, eumq; assumpsisse, vt ab omnibus ille conspiceretur, Dęmone vero nesciente sic Christum effecisse, vt à nemine videretur; nec mirum videri nobis debet, si se in Hierusalem, atque in montem à Dęmone duci siuit, qui se à membris eius cruci affigi permisit; alij ab ipso gestatum brachijs, alij manibus ductum esse sentiunt, qui sequebatur vt athleta ad tentationem sponte proficiscēs;

Nonnulli tamen translationem hãc corpoream non fuisse affirmant; videtur enim absurdum, inquiunt, ꝙ Christus Dæmonis ipsius humeris tanquàm vehiculo vsus fuerit, quẽ præcipitatorem sciebat, vel ei se ferendum permiserit, cuius insidias agnoscebat; a suo itaq; spiritu credẽdum est eum in desertum esse ductum, & supra pinnaculum, & supra montem translatum fuisse, vt vtrobiq; eum Dæmon tentaret, quasi per visionem hæc facta fuerint; at mihi magis Gregorij, & Hieronymi, nec non Glosæ arridet opinio, quòd corporeis sensibus completa hæc fuerint, quam confirmat Chrisostomus, vt supra dixi, siue quisquis fuerit operis imperfecti scriptor, inquiens, Dæmonem quidem sic assumpsisse Christum, vt ab om-

bus ille cerneretnr, ipſum vero ita geſsiſſe,vt à nemine conſpiceretur. *Et ſtatuit ſupra pinnaculum*,ſcilicet ſuper parietis,& tecti ſuperiorem partem; in paleſtina enim tecta plana exiſtunt. *Et dixit ei: ſi filius Dei es*,duabus his tentationibus hoc agit Dæmon, vt exploret. *Mitte te deorſum*; Hæc eſt Dæmonis vox,quæ ſemper homines cadere deſiderat,& perſuadere quidem poteſt, præcipitare vero nequit. *Scriptum eſt enim,quia angelis ſuis mandauit de te*. Verum ibi intelligitur de viro iuſto,ac ſancto,nō de capite Chriſto, quia Dei filius manibus angelorum non geſtatur, ſed eos ipſe magis portat; Male ergo ſcripturas interpretatur Dæmō, & vt aſtutus tacet, ſuper aſpidem; (*Ait ei rurſus Ieſus, non tentabis Dominum Deum tuum*) non dixit me do-

minum, quibus verbis vti poterat homo Dei à Dæmone tẽtatus, quoniam qui homines Dei tentatione affligit, Deum tentat: Dupliciter autem in ſcripturis hoc accipitur, primum quidem, cum quis ex arro ganti quadam fidentia citra neceſſitatem manifeſtiſsimo periculo ſe cõmittit confidens ſe a Deo ſeruatum iri; & qui ad erudiendum deſtinatus neglecta ſcripturæ lectione à Deo ſibi ſuggeri expectat, quod doceat, eo quòd Chriſtus apoſtolis dixerit, cum ſteteritis ante Reges, & præſides, nolite cogitare, quid loquamini; iſti enim experiri volunt, quàm ſit bonus, ac potens, & verax Deus; Tentat ergo quòd non ea ratione quam debent, auxilium Dei expectant; non tentant autem illi, qui neceſsitate aſtricti, neceſſariam

ſibi Dei opem exquirunt. Deinde cum ex diffidentia de Deo quidam ei non credunt, ſicut deberent, vt cum quis neceſsitate preſſus poten tiæ Dei non ſecure confidit, vt in ſo litudine Iſraelitæ feciſſe dicuntur; Itaque nemo Deum tentare debet, quando ratio illi dictat, quid agendum ſit, cum vero deficit ratio, ſe Deo non tentando, ſed deuote con fitendo commendare. *Iterum aſſumpſit eum Diabolus in montẽ excelſum, etc.* adhuc ambiguus de eo, quod explo rabat, an filius Dei eſſet; quòd Chri ſtus ita reſponſa dabat, vt ſe hominem eſſe indicaret, qui tentatione afflictabatur, attamen quaſi iam cer tior eum non eſſe filium: bis enim hoc recuſauerat Chriſtus, tanquam purum hominem tentauit; *Et oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eo-*

rum, non ipsa regna,& ciuitates eorum ac populos, sed partes terræ, in quibus vnumquodq; positũ erat, perinde ac dicat, ibi est Roma, illic gallia, & huiusmodi. *Gloriam eorum*, aurum videlicet, & argentum, ac lapides pretiosos, vt intelligat, aliquid autem ignotum Christo demõstrare nõ potuit, sed pompæ humanæ vanitatem, quam ipse diligebat. Aliqui dicunt Dæmonem Christo sensibiliter omnia regna mundi mõstrasse, quia eorum imagines nouo quodam modo obtulit faciens omnia per eas oculis eius, vt apparerẽt qua ratione eas falsas esse sciẽs Christus non deceptus est. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*. O arrogantem atque superbum, qui intolerantur se iactat, quasi in toto mundo potestatẽ habeat; sed is illa, quæ

in

in mundo inique fiunt, & diuitias furto, aut periurijs partas tradit; Verum ijs tantum, qui ab eo recipere volunt; Certè admiranda est Dæmonis amentia, qui regna terrena illi dare pollicebatur, qui suis fidelibus cælestia donat, Et ei gloriam mũdi, qui cælestis gloriæ dominus est. Ecce antiqua illius superbia, qui sicut in initio se similem Deo facere studuit, ita nunc diuinum cultum sibi vsurpare volebat inquiens, si *cadens*; ergo qui eum adoraturus est, ante corruit. *Tunc Iesus, vade Sathana,* tentationis enim finem facit, ne progrediatur; sed non (vt plerisq; arbitrantur, eadem sententia condemnatur Petrus, & Sathan, Petro enim dicitur, vade post me Sathana, idest sequere me, nec voluntati meæ aduersare; Dęmoni vero

dicitur, Vade Sathana, quaſi dicat, in ignem æternum proficiſcere; vt ſecundum quoſdam Codices, vade retro, ideſt reminiſcere quanta in gloria conditus fuiſti, & quantam in miſeriam incidiſti; Notandum autem eſt Chriſtum, in quem tentationis iniuriam intulit Dæmon inquiens: ſi filius Dei es, non perturbatum fuiſſe, nec illum increpaſſe; nunc vero, quòd is ſibi diuinum honorem arrogauerit, iratum expuliſſe illum his verbis, vade Sathana, vt doceat ipſe nos illius exemplo noſtras quidem magnanimo animo iniurias ferre; Deo vero impoſitas nec audiendo tolerare, quoniam proprias quempiam pati laudabile eſt, at Deo factas diſsimulare impium eſt, *Scriptum enim eſt Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, vnus

eſt Dominus Deus noſter, ipſa ſcilicet trinitas, quam magnopere venerari, & cui ſoli pietatis ſeruitutem vere debemus; nomine autem ſeruitutis cultus Deo debitus intelligitur, quàm ſcriptores, & eccleſiæ doctores λατρίαν vocāt; δουλίαν vero, quæ hominibus tribuitur. Dæmon autē nō quaſi præcepto obediens receſſit, & eū reliquit, ſed diuinitas Chriſti, & ſpiritus ſanctus in eo exiſtens ipſum eiecit, quod ad magnam conſolationem noſtram ſpectat, quia non tādiu homines Dei tentat, quā diu vult, ſed quandiu Chriſtus permittit; Et ſi eos pauliſper tentari ſinit, propter infirmam tamen naturam eum repellit. Poſt tentationē vero S. Angeli ſpiritibus immundis metuendi Chriſto vt victori miniſtrabant, & hac ratione magis ipſe

Dæmo-

Dæmonibus innoteſcebat quantus eſſet: ſic qui viriliter contra Dæmones pugnando triumphauerit, miniſterio angelorum, & conſortio dignus erit. Non dixit autem, deſcendentes, quia ad ei miniſtrandum in terris ſemper parati erant; Interim tamen præcipiente Domino abierant, vt Dæmoni Chriſtum tentandi daretur locus, qui viſis tot angelis ei appropinquare auſus non fuiſſet; In quo autem Angeli Chriſto miniſtrarent, ſcire nequimus, perſpicuum certe eſt non propter eius impotentiam, ſed propter poteſtatis honorem eos illi miniſtraſſe. Cæterum Lucas non eodem ordine tẽtationes has expoſuit, vnde incertum eſt, quid prius geſtum fuerit, nihil tamen refert, dum omnia facta fuiſſe pateat; poteſt tamen eſſe,

ratio, quia vna eſt de auaritia, de ſu
perbia altera, & frequenter vnũ vi-
tiũ ex altero oritur & è contra, vide
tur nihilominus magis cõſentaneũ
eſſe hiſtoriæ, quod Lucas ait; Mat-
theus vero narrat illas, ſicut aduer-
ſus Adamum exercuit Dæmon. Tri
bus præmiſſis tentationibus omnẽ
tentationẽ perfici, & eius radices
euelli conſtat; quia in gula, ſuꝑbia,
ſiue inani gloria, & auaritia omne
delicti genus cõtinetur: Teſtatur.n.
Ioannes omne quod in mundo ex-
tat, aut concupiſcentiam carnis eſ
ſe, aut oculorum concupiſcentiam
ſiue cupiditatem, aut ſuperbiam vi-
tæ, cui triplici telo ſic obſiſtimus
hoc remedio, vt ieiunio appetitum
carnis, inanem gloriam ſiue ſuper-
biam oratione, eleemoſina auari-
tiam repellamus. Cur autem Chri-
ſtus

ſtus tentari voluerit, multæ cauſſæ afferuntur, primum vt tentatione ſua nos à noſtris liberaret, ſicut morte ſua noſtram vindicauit. Deinde vt cautos nos redderet, ne ſcilicet aliquis quãtuncũq; ſanctus arroget ſibi tanquam à tentationibus immunis ſit, & ideo poſt baptiſma accepto Spiritu ſancto tentari voluit Chriſtus, vt oſtenderet ſanctis effectis, maioribus prę lijs decertãdum eſſe; tertio vt nobis exemplũ pugnandi daret, & animum, ne tẽtationibus præter ſpem in nos irruentibus perturbemur, dum Chriſtum tẽtationibus ſubiectum fuiſſe animaduertimus; quartò, vt Dęmonem ſuperaret, & vincendo eius audaciam reprimeret; Demum vt afflictis tentatione miſericordiam tribueret, & nobis de ſua miſeratio-

ne ſpem afferret. Dæmon autē ſex modis pręcipue tentat; bonis enim elationem, malis deſperationem, ocioſis luxuriam, negotiorum geſtoribus perturbationem, iuſtis crudelitatem, miſericordibus adulationem ſuadet; fallit vero quatuor pręſertim modis, primum cum bonum propter malum ſuggerit, v. g. homini flexibilem voluntatem habenti in conuentum religioſorum ingredi, quò ab eo deſciſcat; deinde cum malum pro bono, vt pro alienis rebus cōſeruandis peierare, tertio cum bonum tāquam nociuum diſſuadet alicui, videlicet orōnē & eleemoſinā, ne in inanē ille gloriam cadat: Denique cum alicui malum diſſuadet, vt peius ſequatur, videlicet uictus & ſomni intemperantiā, vt eum in abſtinentiam minime diſcretam


ſcretá quod pius eſt, trahat. Vnde, fratres cariſsimi, ſollicite nobis cauendum eſt, ne Dæmonum inſidijs capiamur; nouit enim ipſe, cui cupiditatem & auaritiam; cui gulę illecebras ſuggerat, quem incitatione luxurie inflammet, in quem virus inuidie figat. Et vbi cuiuſquã affectum ſcrutatur, & in quo animaduertit aliquem ſtudioſius verſãri, ibi anſam illi nocendi quærit. Vigilandum eſt igitur, quia nullus ſine tẽtatione futurus eſt, quamdiu viuit. Et qui ab vna liberatur, ſtatim aliam expectare debet, & ſic petere ab ea liberari, vt aliam etiam ſibi imminere neſcat; Demum hoc euangelio inſtruimur, vt reſponſa Chriſti memoria teneamus; præclare enim ita nobiſcum agetur, vt neque Dæmone ſuperemur per diffi-

den-

dentiam aut desperationem, nec per arrogantiam, nec per cupidita tem, siue appetitum, in quibus tribus magnam tentatio vim habet; Christumq́; assidue mente recolamus, qui tentationi subiectus esse voluit, vt in superandis nostris opem nobis ferret; Et ipse, si nos valide pugnauerimus eius auxilio nisi ac fulti, atque si vicerimus, post triumphum cælestia solatia nobis magnaq́; pręmia tribuet, qui viuit, & regnat semper Gloriosus. Amē.



EIVSDEM



EIVSDEM

In Dominicā Secūdā Quadragesimæ.

De Transfiguratione.



Vanti hunc transfigurationis D. N. Iesu Christi diem faciat ecclesia, fratres charissimi, ex eo perspicere possumus, quod heri & hodie legit euāgelium hoc, nec non octauo idus Augusti solenne hoc festum celebrat, Nec mirū nobis esse debet; nā Christus discipulis suis mysteriū ingens promulgauit, & ante oculos gloriæ regni sui imaginem proposuit, vt quoniā

rudes

rudes adhuc apoſtoli erant, aliquã illis conſolationem afferret, quo certius futura crederent. Itaque paullo ſupra dixi, ſunt de hic ſtanti bus, qui non guſtabunt mortem, donec filium hominis videant venientem in regnum ſuum. Vnde vo lens Chriſtus demonſtrare, quid ſit gloria illa, & Maieſtas, in qua ad iudicandum venturus eſt, in præſenti eis aperuit, ſicut ipſi percipere poterant, ne morte Domini iam dolerent; & tribus diſcipulis, quibus co ram transfiguratus eſt, gaudia æter nę promiſſionis oſtendit, qui regnũ ingredientem eum videbunt claritate illa fulgentem, in qua ipſe abſo luto iudicio ab omnibus ſanctis cõ ſpicietur. Non nominauit autem eos, qui montem conſcenſuri erãt, quia cæteri ſequi cõcupijſſent, exẽ-

plum illius gloriæ visuri, & ægre tu lissent contempti. Dicit igitur D. Mattheus. *& post sex dies assumpsit Petrum, Iacobum, & Io. fratrem eius.* Non statim, vt vehementiori appetitu inflammarentur, qui erant accessuri, sed post sextum diem gloriã illam merito monstrauit, quia post sex ætates ab omni labore quiescemus ac surgemus omnes; vel quia cum sex diebus totus perfecti numeri mundus hic, quem cernimus, factus sit, qui mundanas res omnes transcendit, montẽ excelsum ascen dere, & gloriam verbi Dei aspicere valet, Lucas autem dixit, (dies ferè octo) quia extremos etiam comple xus est, ideo contrarius non est, primum videlicet, quo pollicitus est, & vltimũ quo promissum exoluit: octauo enim corpora sanctorũ ad

glo-

gloriam immortalitatis consequendam surgent. Tres tantum assumpsit, quoniam ij potiores erant, & quorum nomina congruunt; Quisque enim Petrus debet esse idest in fide firmus; deinde Iacobus vitia supplantans; Demum Ioannes omnia diuinæ gratiæ ascribens contra vitæ superbiam, quæ ex virtutibus oriri solet. Et quia in ore duorum vel trium omne verbũ cõsistit, (animaduertite, fratres carissimi, quantum à vitiosa ęmulatione Mattheus & apostolorum chorus post acceptum spiritum sanctum liber fuit, qui sibi præpositos non occultat) in quibus electis de origine trium Sem, Cham, & Iaphet populi electio futura monstratur; vel tres tantum ducit; quia cũ pauci electi sint, qui nunc fidem sanctæ Trinitatis incor

rupta mente seruant, tunc æterno eius aspectu lætabuntur: nõ omnes propter Iudam, nam si solus ille vt inuidus relictus fuisset, ad maiorem malitiam fuisset prouocatus. *Et duxit eos in montem excelsum seorsum*, scilicet Tabor, qui, veniat lux, interpretatur; vt intelligant omnes, qui Deũ contemplari desiderant, ne in infimis voluptatibus iaceant, sed ad cælestia mente aspirent; ac discipuli discant diuinę claritatis gloriã non in hoc sæculo, sed in cælestis beatitudinis regno quærendam esse; *Et seorsum*, quia sancti viri ob feruorẽ fidei ac mentẽ in Deo fixam, & nũc animo ab impijs segregati sunt, & in futurum à malis omnino separabuntur. *Et transfiguratus est ante eos.* Qualis enim post iudicium electis cunctis appariturus est Christus, ta

lis tunc ab apostolis visus est, sed in ipso Iudicio à bonis, & à malis con spicietur serui formam habens, vt quem impij spreuere, Iudęi negaue runt, milites cruci affixerunt, Pylatus, Herodesque iudicauere, iudicē agnoscere nequeant; ne ergo quisquam arbitretur pristinam eum for mam amisisse, aut corpus verũ mutasse & sumpsisse sibi aereum, Quomodo autem cõtigerit, inquit Mattheus, quod eius facies vt sol splenduit, atq; eluxit; trãsfiguratio enim splendorem addidit, faciem nõ sub traxit; ideo immutatio figuræ non fuit, sed eadem forma manēte inexplicabilis claritas adiuncta est, quæ claritas gloriæ a diuinitate, & anima eius manauit non tanquam qualitas manens, sed transiens, sicut à sole aer illuminatur; Vnde fulgor il

le in corpore Christi tunc miraculo plenus fuit; quare nec claritatis dotem, sed eius similitudinem Christus accepit; Illam enim diuinitatis ipsius incomprehensam uisionem, quæ in æterna vita mundis corde seruatur, nullo modo adhuc mortali corpore circunsepti intueri poterãt; Denique nihil aliud fuit, quàm secundi aduẽtus prædictio, in quo Sole clarius Christus & sancti eius lucebunt. Lucas vero ait, dum oraret, quod facta est species vultus eius altera, nõ alia, feruor enim orationis & deuotio ad transfigurationem ac mentis stuporem præparatio exstitit. *Et vestimenta facta sunt alba sicut nix*, Vestium candor describitur, quæ fuerunt ita candidæ, vt fullo, inquit Marcus, candidiores facere nequeat, & gloriam eo-

rum

rum, qui ſurrecturi ſunt, ſignificant, propterea Angelus Dominum ſurrexiſſe nuncians veſte alba indutus apparuit. Sed dubium eſt, ſi facies domini ſplendida effecta eſt, vt ſol, & ſancti ſicut ſol fulgebunt, an Dñi & ſeruorũ claritas erit æqualis? nequaquã; at qm̃ nihil Sole dilucidius eſt, atq; nitidius, aliud exẽplum afferri non potuit. Aiunt tamen quidam, quòd ſicut claritas in corpore exiſtens Chriſti repræſentabat futuram corporis eius claritatẽ, ita claritas veſtimentorum illius futuram ſanctorum claritatem deſignat, quę à Chriſti claritate ſic ſuperabitur, vt niuis candor à ſolis ſplẽdore vincitur. *Et ecce apparuerunt Moyſes & Helias loquentes cum Ieſu.* Chriſtus Moyſem & Heliam in medium introducit; & quia turbæ ipſum aut

Heliam, aut vnum ex prophetis existere arbitrabantur, se cum eis ostēdit apostolis, quorum fidem augere volebat, vt inter Dominum ac seruos illi discrimen cernerent, & vt perspicerent sibi vitæ & mortis potestatem esse, qui Moysem iam mortuum & ab inferis excitatum, non quòd eius anima corpus suum receperit, sed sicut angeli apparent aliquo assumpto corpore, & Heliam qui nondum mortem perpessus fuerat, quique inde descenderat, quo ascenderat, cum eo loquentes de mysterio passionis forte, quem ipsi prędixerant, in medium protulerit, ex quo veteris & noui testamēti cōiunctio significatur, quòd quando surgent omnes, cum prophetis apostoli coniungētur; ergo Moyses, & Helias tāquam famuli in gloria do-

mino assederunt; & illorum vultus eum esse Moysem, hunc Heliam existere asseruerunt, vt maxima inter seruos & Dominum differentia intercederet; cognouerũt autem eos apostoli prædictæ claritatis illustratione, & ab illis cogniti sunt; & mutua visione vnusquisque lætatus est. Nam Moyses Petrum, Helias Ioannem virginem considerabat, & vterque Iacobum laudabat: ex quo conijcitur, quod in futura gloria alter alterum cognoscet, quem nunquã vidit: Lucas addit, *Visi in maiestate, & eius excessum dicebant*, quem completurus erat in Hierusalem; videlicet sumptæ carnis mysterium; nec non salutarem in cruce perpessionem; Petrus uero & socij somno opprimebantur, dum Christus oraret, infirmus enim erat, excitati autem

gloriam eius cernunt; Vel ſomnum ſtuporem illum vocat, qui eos vt pote mirabili illa viſione vehementius commotos oppreſſit; Et euigilantes eius maieſtatem intuiti ſunt; nemo enim niſi vigilans Chriſti gloriã videre poteſt. *Reſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum, bonum eſt nos hic eſſe*; cui non reſpondit Ieſus, oſtẽdens inordinatum eſſe quod cuperet, *Si uis, faciamus hic tria tabernacula tibi vnum, mihi vnũ, & Heliæ vnũ*. Quod ferui dum Petrum ad hoc dicendum impulit, id imprimis exſtitit, quòd ipſe audiuit Chriſtũ Hieroſolymam ire oportere, & adhuc pro eo timet; videbat autem illic multam quietẽ & ſolitudinem exſtare, cogitabatque ibi conuenientem manſionem & opportunum locum eſſe; vnde vult illic ſemper eſſe, & à monte in

me-

medium Iudęorum non descendere, ideo tabernaculorum meminit, & deuotionem obediētis serui ostē dit. Lucas autem Mattheo, & Marco contrarius non est addens, *& factum est, dum descenderent*, ait Petrus, quia ipsi hoc tacuerunt. Sed erras Petre, & vt Lucas & Marcus inquiunt, nescis quid dicas; noli quærere tabernaculum, cum vnum sit Euangelij, in quo & lex, & prophetæ continentur, si vero tria quæris, cur seruos cum Domino confers, qui comparādi non sunt? pone tria immo vnum patri, filioque, ac Spiritui sancto, vt quorum vna est diuinitas, vnum sit in pectore tuo tabernaculum; Errasti certe Petre, quia in terra electorum regnum constitui voluisti, ac te, sociosq; mortales esse oblitus es, & absque mortis gu-

stu

ſtu felicitatē, atque beatitudinem adipiſci cōcupiuiſti; non meminiſti te à domino electum fuiſſe, non vt tabernacula, ſed ut vniuerſalem Eccleſiam gubernatione tua regas, & vt diſcipuli tui, oues tuę, in eorū animo Chriſto tabernaculum collocēt? Exiſtimabat forſitan Petrus regni tēpus imminere, & ideo montis incola eſſe cupiebat; Sed ò Petre Chriſtum ibi commorari nō eſt bonum, non enim promiſſio tibi facta, ſi ibi manſiſſet, effectum aſſecuta fuiſſet, neque claues regni cæleſtis obtinuiſſes, aut tyranni mors deuicta fuiſſet. Animaduertite, fratres, ſi transfigurata, ac transformata Chriſti humanitas, duorumq́ue ſocietas Petrum ita oblectauit, ut eos obſequio retinere vellet, ne diſcederent, quanta erit felicitas, ac

beatitudo inter angelos visioni diuinæ perpetuo adesse, Deumque cõtemplari; Itaque cur mundum hũc animo & factis deserere, & ad hanc felicitatem adipiscendam festinare nolimus? Addit Marcus, *Erant enim timore exterriti*; hic autem timor erat, per quem à mente communi ad meliorem statum traducebãtur.

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obũbrauit eos, Nam legis obscuritas trãsierat; sicut enim fumus ab igne, sic nubes à luce proficiscitur; Verum quia nebula tranquillitatis signum est, futuræ mansionis quies per nubis operculum ostẽditur; ac nubes videtur lucida, & tamen umbra obscurat eos, vt qui corporeum è frondibus, aut tentorijs tabernaculum quærebant, nubis lucidæ vmbraculo tegantur, atque operiantur, atq;

intelligant electis non necessaria ta bernacula corporea, sed eos spiritus sancti gloria protegendos esse, in æterna patria. Nubes vero diui nitas erat illa, quã in monte discipu lis ostendit, & illos visus tanti boni priuauit. *Et Ecce vox de nube dicens, Hic ẽ filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quia Petrus imprudenter interrogauerat, dignus nõ fuit, vt à Christo responsum ferret, sed pater pro filio respondet; Et eius vox è cælo auditur de nube loquentis aut ad Moysem, & Heliam, qui filium Dei audire desiderabant, & videre eum, aut discipulos docẽtis; sic enim solet semper Deus apparere, sicut scriptum est, nubes & caligo in circuitu eius, quæ & testimonium det filio, & Petri errore ablato veritatem eum, & cæteros apo-

ſtolos doceat. Hic eſt filius meus, huic collocandum eſt tabernaculũ huic obtemperãdum, illi ſerui ſunt Moyſes & Helias vobiſcum in penetralibus cordis eorum Domino tabernaculum ponere ipſi debent, *In quo mihi complacui*, ideſt in quo conquieſco, quia omnia quæ ad patrem ſpectant, diligẽter exequitur, & eſt vna ipſius, & patris voluntas. *ipſum Audite*, vmbræ legis recedãt, & prophetarum typi, ſplendidum duntaxat Euangelij lumen ſectemini, vel vt eum ipſum oſtẽderet, quẽ Moyſes prædixerat; Sic Dominus vndique, è cælo patris vocem, è paradyſo Heliam, ex inferis Moyſem ex hominibus apoſtolos teſtes habuit. Notandum eſt, quòd ſicut in báptiſmate myſterium trinitatis declaratur, ſic in monte etiam, quia

glo-

gloriam eius, quam in ipſa ablutione confitemur credentes; quando ſurgemus, videntes laudabimus; Hic Spiritus Sanctus in nube lucida, illic in columba, quia qui modo fidē ſimplici, ac ſyncero animo ſeruat, tunc aperta viſione, quod crediderit, contemplabitur, & ea gratia, qua illuſtrabitur, in perpetuū protegetur. *Et Audientes ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde.* Triplici de cauſa pauore deterrentur, Et quia ſe erraſſe cognouerant ipſi, vel quia nubes eos lucida operuerat, aut Dei vocem audiuerant, qua audita prophetæ etiam fugerunt, tonitruum enim terribile fuit; Ac fragilitas humana maioris glorię conſpectum ferre nequiuit, totoque corpore & animo contremiſcens ad terram cadit: quoniam quāto quis

altiora

altiora quæsierit, tanto magis ad inferiora labitur. Quòd vero in faciẽ sancti apostoli ceciderint, sanctitatis indicium fuit, quia impij retro cadunt. Sed cũ in baptismate Christi nemo tale quid passus fuerit, quã do huiusmodi vox è cælo delapsa est, quomodo discipuli in monte deciderunt? Fratres mei charissimi, mirum vobis non videatur, solitudo, altitudo, & silentium multum erat, & transfiguratio maximam admirationem, ac lumen purum, & nubes mouit, ex quibus omnibus in eis stupiditas incredibilis orta est. *Et accessit Iesus, & tetigit, dixitque eis, surgite & nolite timere.* quia ipsi iacebant, & surgere nequibant, ipse clementer ad eos accedit, & illos attingit, vt tactu timorem fuget, debilitataque membra solida fiant, & quos sanos

manu reddiderat, sanauit & imperio, dixitq́, eis, *surgite*, metuere nolite; primum enim expellitur timor vt post doctrina tribuatur. *Leuantes autem oculos neminem viderunt nisi solum Iesum*. Et iure, ne si Moyses & Helias esse cum Domino perseuerasset, patris vox incerta videretur, cui testimonium dedisset potissimũ. Iesum ergo nube ablata vidẽt, Moysemq́ue & Heliam euanuisse, quoniam legis & prophetarũ postquã vmbra discessit, quæ apostolos velauerat, in euangelio vtrunque reperiretur. *Et descendentibus de monte* præcepit ne cui dicerent visionem donec filius hominis à mortuis resurgat; Futuri regni gloria ac triumphantis in monte demõstrata fuit; non vult tamen hoc coram populo prædicari, ne & propter rei magnitudi-

tudinem incredibile esset, & post tã tam gloriã apud animos rudes crux sequens ruinæ occasionem daret; Hoc etiam præcepit Iesus sciens discipulos imperfectos existere, qui nondum plene spiritum sanctũ participauerant; ne animi illorum qui non viderant, tristitia afficerentur, nec proditor futurus ad inuidiæ rabiẽ prouocaretur; nam si maiestas illius diuulgaretur, populi principibus sacerdotũ resistẽtes per perpessionis dispensationem impedirent, & sic humani generis redemptio retardaretur. Ecce quantum beatitudinis nostrę pignus habemus, fratres charissimi, à Domino Iesu Christo: Et quanquam nos intueri non potuerimus illam immortalitatis suæ gloriam, quam in monte apostolis demonstrauit, pollicetur ta-

men ipſe nobis, ſi mente eam contemplari non ceſſemus, atque apoſtolorum vitam imitari ſtudeamus, ſtatuamuſque omnia hæc terrena nihili facere, & nos puros ac ſinceros reddere, animoq́ue mũdos, omnia vitiorum genera fugere conantes, fore vt in cæleſti patria cum eis illa diuina viſione frui nobis liceat. At hoc nunquam profecto aſſequẽtur ij, quibus mundus arridet, fratres, vnde quid facturi ſumus? volumus ne nos tantæ beatitudinis eſſe participes? vtique dicemus omnes; expurgemus ergo vitam noſtram, innocẽtiam, munditiamque, & humilitatem colamus, mundana omnia reſpuamus, ac deſeramus, ſolitudinem amemus, vt animo tranquilliori cæleſtia meditari poſſimus; Deniquc ex prauis trãsfiguremus nos

in

in ſanctos, ac bonos viros, vt Ieſu Chriſto grati, atque accepti ſimus, & ipſe claritatis, ac immortalitatis ſuæ conſortes nos efficiet, & vt æterni regni potiamur læti, benigniſſime nobis largietur; Qui viuit & regnat ſemper benedictus, & glorioſus, Amen.

IN DOMINICAM Tertiam.

IN hoc euãgelio, fratres cariſſimi, apud Euangeliſtas tria hominum genera contineri animaduerto, quorum alteri ſempet doctrina Domini noſtri Ieſu Chriſti, & miracula fuere admirationi, vulgo ſci-

licet & turbis; alteri vero ſcilicet ſcribis,& Phariſeis,qui ex vita, doctrina,& exēplo, quod ipſe ſemper edidit ſanctitatis, eũ agnoſcere debuiſſent,ita fuere odio, vt veriti nõ fuerint Dæmonis poteſtati aſcribere, quæ alij vt diuina admirabãtur; tertiũ genus ponit Marcus inquiẽs Quòd cum audiſſent ſui,exierũt tenere illum; dicebant enim quoniã in furorem incidit; Et quia altitudinem orationis,quam audiebant,ac ſapientiam percipere non poterãt, quaſi aliena a ſenſu eum locutũ eſſe credebãt, & ideo eum furere & à Dæmone vexari aiebant, ac retinere volebãt ſui, vt in carcerem conijcerent ſiue cognati,ac propinqui, ſiue fratres. O ſtultitia eorum incredibilis, qui ſui officij putabant eſſe,cum de eo & ab eo,qui prius vi

tam

tam communem egit, atque coluit, insolita audirent, vt ipsum cohiberent tanquam mentis non compotem, cum debuissent in cælum tollere, vt potè qui eius innocentiam à puero cognouissent; Sed isti crassa ignorantia peccabant: illi vero grauius errantes inuidia agitabantur, dolebantque gloriam suam a Christi gloria obscurari: ideo manifestissima miracula calumniabãtur, quæ quia humanis viribus maiora erãt, Dęmoni, non diuinę virtuti ea attribuebant, Duo igitur hic capita prę cipue habentur; consolatio summa, quòd Christus Dæmonem eiecit, qui sensuum vsum homini ademerat; ac timor, quem nobis ipse incutit inquiens, Dæmonē non quiescere, sed redire eò vnde expulsus fuerat, si forte domicilium vacuum

reperiat,ſicut Iudęis cõtigit. Quod ad primnm attinet Lucas ait, *Erat Ieſus eijciens dæmonium & illud erat, mutum, & cum eieciſſet locutus eſt mutus* D. Mattheus hunc etiam cæcũ fuiſſe ait, in quo tria à Domino miracula eduntur; Nam cæcus videt, loquiturque mutus & à Dæmone poſſeſſus liberatur; quod tunc in vno homine geſtum, in conuerſione gentium quotidie efficitur, vt expulſo dæmone, & reiecto idolorum ſpurciſſimo cultu gentes ipſæ & lumen fidei aſpiciant, & in ore earum laudes domini aſsidue verſentur: Vnũ ergo ſanauit Chriſtus, vt futuræ humanæ ſalutis guſtum ante aliquem habeamus. Mutus autem proprie dicitur, qui nõ audit, nec loquitur, Mutus etiam dici poteſt, qui non credit, ac Dæmoni ſubiectus fidem

ipſam

ipſam non confitetur, nec Deũ laudat; vocatur autem Dæmon mutus ac ſurdus, quia efficit, & hanc homini affectionem infert, vt ab eo Dei verbum non audiatur, animę auditũ obtundens; idcircò ad nos Chriſtus profectus eſt, vt eum expellat, ac diuinum verbum nos auſcultemus. Quod miraculum cum multitudo populi, ac plebis admiraretur, ac pręconijs Deo maxime cõgruẽtibus illum efferrẽt, Phariſei & Scribæ vel negabant, vel falſa interpretatione peruertere conabantur, perinde ac non diuinitatis, ſed nequã ſpiritus opus extitiſſet: aiebant. n. eum virtute ipſius Beelzebub tale prodigium effeciſſe. Quod nomen interpretatur Idolum Muſcę, nam zebub muſcam ſignificat: huius vero nominis pars prima varie à va-

rijs

rijs nationibus profertur; aliquando Bel, quandoq; Beel, ab alijs Baal dicitur, cum tamen vnum ſit & hebreum, & Baal, quæ eſt germana lectio, Dominum ſignificet, quo nomine Dij gentium poſtea appellati ſunt, Bel vero non nulli a Belo Nini patre originem traxiſſe arbitrati ſunt, à cuius imagine poſtea idolorũ cultus ortus ſit. Et hæc hactenus *Et alij tentantes ſignum de cælo ab eo quærebant*. Quaſi dicerent, quanuis Dæmonem eieceris, non tamen eſt hoc diuinæ virtutis argumentum; non nondum enim prioribus miraculis ſimile quid vidimus; Moyſes per mare populum perduxit, Ioſue Solem in Gabaon retardauit, tu nihil horum geſſiſti, & quòd hæc a cælo ſigna quærerent, huiuſmodi cogitationes cõtra Chriſtum eos habuiſ

ſe

se perspicuum est: Hoc autem per anticipationem dictum est, à Luca; nam ex Mattheo constat, quãdo tale signum flagitauerint. *Ipse vero, vt vidit cogitationes eorum dixit*. Metu multitudinis pharisęi eorum suspitionem diuulgare non audebant, sed eam in animo versabant; Christus vero ad eorum cogitata respon dit, vt ipsi illius potẽtiæ credere co gerentur, qui cordis arcana nouisset. Et ratione vtitur non a scriptu ris, quia illi aliter exponerent, sed a cõmuni opinione sumpta inquiẽs. *Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur & Domus supra domum cadet.* idest ob discordias principũ inter se altercantium dissoluetur, & omnino interibit, sic ciuitas, & domus si ob contrarias inter se voluntates discors fuerit, profectò dissipabitur con-

concordia ciuitates, regnaq́ue ac domos firmat, atq; ſtabilit; ea enim paruæ res creſcunt, ſicut diſcordia dilabuntur; Addidit autem D. Mattheus, omnis ciuitas, vt Hieruſalem innuat, quæ poſtquam in Dominũ ſuum furore exarſit, & apoſtolos fugauit, poſt diuiſionem non ſtabit, ſicut paullo poſt illius excidium conſecutum eſt. *Si autem, & Sathanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnũ eius?* Et ſi Dæmon meo iuſſu Dæmonem ab hominibus eijcit, diſſenſio inter eos exiſtit, & eorum virtus perit, quia contra ſe pugnant, ergo regnum eius ſtare non poterit; illud enim inteſtino bello euerti neceſſe eſt, & ita mundi finis erit; ſed Dæmon ſibi ipſi non aduerſatur, nec ſatellitibus ſuis nocet, immo firmat regnum ſuum homines in poteſta-

te tenens, quod ad tentandum uos vſque ad finem ſæculi ſtabit, reſtat, quòd virtute diuina conculcem eũ atque conteram. Vel ſic, ſi diuiſus eſt; imbecillior eſt factus ac perit; ſi autem interit, quomodo alium expellere poteſt? Neceſſaria ergo cõcluſione eos arguit; vel ego in virtute Dei Dęmones eijcio, vel in Dæmonum principis auxilio, ſi primo modo, fruſtra me calumniamini, ſi ſecundo modo; regnum eius diuiſum eſt, nec ſtabit; & ideo ab illo regno diſcedite, quod vobis elegiſtis, dum in me non creditis. In quo regnum ſuum oſtendit eſſe perpetuũ, & ideo qui ſpem in Chriſto non ponunt, ſed in virtute principis Dęmonum eijcere eos opinantur, quod ad populum Iudæum ſpectat, quomodo eorum regnũ poteſt eſſe per-

perpetuum,

petuũ, quando à legis populo Chriſtus negatur? E ideo ecclesiæ regnũ in æternum manebit, quia fides indiuidua vnum corpus est. Regnum etiam Patris & Filij & Spiritus Sancti diuisum non est, ideo æterno tẽpore stabile permansurum est. Et quoniã huic rationi obijci potuisset, Dæmonem eijcere alium non ob discordiam inter eos existẽtem, sed ob mutuam potius concordiã, vt illi fraudulenta simulatione ignorantes homines derideant, alia ratione cum Dęmone se non communicare, immo ab illo dissidere argumentatur, vt inter ipsum & dæmones, quos expulit, collusio esse nequeat, inquiens. *Si ego in belzebub eijcio demonia, filij vestri in quo eijciunt?* Non dixit, discipuli mei, sed filij vestri eorum furorem mitigare volẽs;

à Iu-

a Iudæis enim ſecundum carnẽ orti ſunt, qui poteſtatẽ in ſpiritus nequam à Domino adepti fuerant; & in nomine Chriſti oppreſſos liberabant, cum ergo in nomine meo Dæmones conculcent, non ne amẽtia veſtra vel maxima eſt, dicere me a belzebub adiuuari, quaſi idẽ opus in me eandem cauſam non habeat? Itaque filij veſtri vos cõdemnabũt, qui ex uobis emanantes mihi obediunt; vel filios Iudæorum exorciſtas, ideſt adiuratores gentis illius ſignificat, qui per inuocationẽ Dei ex inſtitutione Salomonis, vt inquit Ioſephus lib. octauo antiquitatum c. 2. Dæmones expellebant; at quòd de apoſtolis dictum eſſet, hæc mihi magis arrideret opinio, quoniam ipſi iudices eorum erunt; aſſeſſores, enim exiſtent iudicãtes 12. tribus

Iſrael;

Israel; sed quando Christus hæc dicebat, nondum illi ad prædicandũ missi fuerant, quare hi exorcistę poterunt esse Iudęorum iudices, quia noluerũt in Christo laudare, quod in ipsis probarunt. *Porro si in digito Dei eijcio dæmonia profecto peruenit in vos regnum Dei*. Nunc demonstrat quòd eijcere dæmones magnæ sit virtutis,& non cuiuslibet; Quod.n. Lucas ait, in digito Dei, D. Mattheus in spiritu Dei inquit, ab eadẽ sententia non recedens,quin vbicũque digitum legerimus,spiritum debere intelligi docet, sic enim Spiritus Sanctus vocatur, quòd nos donorum participes faciat,quæ ab eo vnicuique siue angelorum siue hominum propria afferuntur; in nullis enim mẽbris nostris magis quã in digitis partitio apparet; vel Spiri-

tus Sanctus digitus appellatus est, quia filius manus & brachium patris dictus est, opera enim per eum pater cuncta nauat; sicut igitur digitus manui naturaliter cõnexus est, sic filio Spiritus Sanctus, & per eũ omnia filius opera efficit. In præsenti Dñs noster Iesus Christus humanitatis gratia se minorem dicere non recusat, quasi sine virtute Spiritus Sancti humana natura ad expulsionem Dæmonum idonea non existat. Profecto in vos peruenit regnũ Dei, vel se ipsum indicans ait; alibi enim regnum Dei intra vos est; vel regnum illud innuit, quod Ioãnes, & Christus ipse prædicarũt inquiẽtes, peccatorum vestrorum vos valde pœniteat: appropinquat enim cęlorum regnum, quo damnantur impij, & à fidelibus secernuntur; qui

iam delicta expiarunt; si ego homo existens Dęmones in spiritu diuino expello, humana natura in me ditior facta est, & in vos aduenit regnũ Dei, perinde ac dicat, si vobis prospera cuncta eueniunt, cur vestra bona respuitis? aliqui in vos idest contra vos exponunt, quia im pijs, & perfidis secũdus Christi aduentus horribilis erit, ac prior expo sitio mihi magis arridet, *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet*. Exemplo vtitur manifesto intueri volentibus, ostendens se huius sæculi principẽ virtute sibi insita vicisse, quem fortem nuncupat, quòd naturaliter ob antiquam tyrannidem ille talis existat, cuius causa fuit hominum ignauia, atque socordia; ante enim saluatoris aduentum alienos Dei greges

sci-

ſcilicet rapiens maxima violentia vtebatur, & atrium ideſt mundum cuſtodiebat, cuius imperio vſque ad Chriſti aduentum pacifico potitus eſt, quia in animis infideliũ nullo contradicente requieſcebat. *Si autem fortior eo ſuperuenerit, auferet arma, in quibus confidebat.* Sed Chriſtus fortiori potentia victor omnes liberãdo ſuperauit ipſum, atque expulit, armaque abſtulit, quæ ſunt omnes ſpecies nequitiæ, ac peccatorum, quibus confidens cõtra homines plurimum valuit; nam Iudęi, qui ab eo ignorantia & errore irriti tenebantur, ab apoſtolis ad veritatis notitiam adducti fuerant, & id quod à Chriſto fieri cœptum eſt, & ex parte factum, ab eis perfectum fuit. Diſtribuit ſpolia ideſt homines à dæmone decepto fideles exhi

bens cuſtodiæ angelorum, ad eorũ ſalutem, quod eſt triumphantis inſigne; diripuit domum, vt ait Mattheus, quia erutos à laqueis illos, quos ſuos fore præuidit, eccleſię cõciliauit, atque coniunxit, & ſic tertiam rationem affert; illi enim oſtẽdere volebant, quòd non propria virtute, ipſe vero probat quòd non ſolum virtute ſua expulerit, ſed fortem etiam alligauerit, ſicut ait Mattheus, & ex geſtis patet, adimens illi poteſtatem fidelium voluntatem impediendi, ne ſe Chriſtum ſequantur, quo enim modo Principe non victo hi qui ſubiecti ſunt dæmones direpti ſcilicet cum poteſtate fuerunt? prædicere etiam videtur ſe non dæmones ſolum expulſurum, & eorum machinationes diſſoluturum eſſe, ſed vniuerſi orbis terrarũ

errorem

errorem erepturum. *Qui non est mecum contra me est, Et qui non colligit mecum dispergit.* Quarta ratio, Ego homines Deo offerre volo, Dęmon oppositum conatur; Et ego veni, vt filios Dei ab eo dispersos congregẽ, & is cum mecum non sit, dispergere tentat, quomodo ergo qui mihi aduersatur, virtutẽ mihi ministrat? nam si quis non adiuuans aduersarius est, multo magis qui obsistit; ac videtur hic occulte Iudæos significare cum Dæmone eos coniungẽs, ac statuẽs; ipsi enim non modo mala ei omnia machinabãtur, Verum etiam dispergebant, ac dissipabant eos, quos ille cogebat. Quare de ipso Dæmone penitus hæc intelligenda sunt, nõ de Hęreticis, ac Scismaticis, quia ille animas captiuas tenere cupit, Christus liberare. Ille

vacuam & ornatam, & locum commode paratum, tunc assumit alios septẽ spiritus nequiores, per quos Dæmonum & vitiorum vniuersitas intelligitur, vel quod ille habitatione illa commoda solus frui nolit, vel potius ne tam facile expellatur, & fiunt nouissima hominis peiora prioribus, quod de populo Iudæo dictum esse, & ad eum hæc omnia spectare, qui in vno homine representatur, satis expressit Mattheus, sic eueniet huic generationi pessimæ: Exiuit enim spiritus nequam à Iudęis, quando acceperunt legem, & agnum representantem Christum mactauerũt, cum in eis antea, dum ipsi secundum Aegyptiorum ritum vitam degerent; habitaret Dęmon; Et ambulauit per loca arida idest gentium solitudines, quæ cum po-

ſtea credidiſſent, non inuenta habi tatione, ad Iudæos inquit Dei præſidio carentes, & nihil diuini in ſe continentes abibo; Et inuenit domum vacantem templum ſcilicet Iudęorum, qui Chriſtum hoſpitem recipere noluerunt, quorum animas nequiores Dęmones poſsidẽt; nam tunc Iudæi in prophetas ſæuitiam adhibuerunt; nunc vero ipſi Chriſto iniuriam maximã inferunt, multo magis praui facti, quia poſt Chriſti aduentum magis obſtinati fuerunt, quare propter ingratum eorum animum peccata duplicaue runt, atque peiora à Veſpaſiano, ac Tito, quo ad externas calamitates attinet, quàm à Rege Aegypti, Aſſyriorum, aut Antiochi paſsi ſunt, & à maiori quàm vnquàm antea Dæmonum numero diſcerpuntur.

Sed hæc nobis dicta esse, fratres cha-
rissimi, arbitremur, quia si nos illu-
strati, & à pristinis malis liberati de
nuo ad eadem scelera edenda reuer
timur, grauior deinde pœná, obse-
quentia crimina nobis infligetur;
Cauere igitur nos oportet, qui a Dę
monum tyrannide Christi virtute,
ac benignitate eruti sumus, ne rur-
sum hospitem ipsum accipiamus,
per loca enim arida ambulat, corda
scilicet iustorum explorans, si ibi
gressus nequitiæ suæ figere queat,
& præcipue vt eos possideat, à qui-
bus semel expulsus est, & in hoc ma
xime vigilat; quod si obtineret, quo
modo captiuos nos teneret, profe-
ctò alios nequiores assumeret, vt
maiori potentia nos custodiret, &
nouissima fierēt peiora prioribus,
quia post ablutionē grauiora sunt
delicta;

delicta; minus enim malũ eſt viam veritatis non agnoſcere, quàm agnitam reſpuere, retroq; nos cõmeare, ideſt quoad pœnam ſpectat, ignorã ter quã ſciẽter mala cõmittere: Nã ſi Chriſtus eũ fortem appellat, quo pacto tuti nos erimus, quem talem inertia, atque deſidia noſtra efficit, Et certe fortis ille eſt, vt leo, ſi eius ſuaſionem accipiamus, ſi vero auxilio Dei nixi ei reſiſtimus, vt formica debilis euadit. Capiamus igitur iter anguſtum, & latam viam fugiamus; vſque quo fratres in delitijs verſabimur? Virtutis gloria coruſcare conemur, vt futuris bonis poriamur, & aſsidue de pœnis inferorũ cogitemus; ſic enim à vitijs nos ipſos facile retrahemus, Et dæmoni ſpem in animis noſtris hoſpitiũ faciendi præcidemus, & Dominus

Iesus Christus nos cum eo prorsus esse, & colligere velle cognoscens non solum cõtra spiritum nequam opem nobis, & auxilium feret, sed vt cum eo regno cælesti fruamur, nobis benignissimus largietur. Qui viuit & regnat Gloriosus æternis sęculis Amen.

IN DOMINICAM Quartam.

DE QVINQVE PANIBVS.



Irabile D. N. Iesu Christi factum nobis hodie proponitur, fratres charissimi, qui videns miracula, quibus mundum regi constat, atque administrari, assiduitate

villa à nobis haberi, misericordia motus ex ijs, quæ opportuno tempore facienda præter vsitatum cursum, ordinemq; naturæ sibi reserua uit, quædam hodie edere voluit, vt non maiora, sed insolita conspiciētes nos stupor opprimeret, quibus quotidiana satietati, ac fastidio essent ; Quis enim est, qui dubitet, quin totius orbis terrarum gubernatio multo magis mira sit, quam virorum quinque millia satiasse? attamen nemo illam miratur licet dignam quam merito suspiciamus; hoc autem admirationē nobis mouet, non quia maius, sed quia rarissimum est. Sed D. Ioannem audiamus. *Abijt Iesus trans mare galileæ, quod est Tiberiadis.* Sicut maledicos ac feros repugnādo asperiores reddimus, cedendo facile mitigamus,

sic

ſic Chriſtus, Phariſęorum, ſcribarumq́; inuidiam, ac furorem vt extingueret, qui eum quotidie calumniabantur, & inſectabantur, abijt ſcilicet nauicula, vt ait Matth. trans mare, ideſt ſtagnum Tiberiadis ciuitatis prouinciæ Galileæ; more.n. Hebræorũ omnis cõgregatio aquarum mare nuncupatur, non autem timore mortis diſceſsit, ſed inimicis ſuis parcens, ne homicidium cũ homicidio coniungerent, ſimul & opportunum tempus patiendi expectans, quod ſequenti anno in feſto Paſcatis die futurum erat; nam hoc anno Ioannes imminẽte eodẽ feſto capite plexus eſt; cum enim, quod acciderat, hoc ſibi diſcipuli renuntiaſſent, receſsit in ſingulis rebus veram carnis ſumptionẽ declarans, ac vitãdæ temeritatis mor-

ti se vltro offerendi exemplum præbens; In desertum autem locum, vt inquiunt alij euãgelistæ, profectus est Christus, vt insectatores, & Herodis tyrannidem vitauerit magis quàm metuerit, hoc miraculum editurus, ne quis obijceret à proxima ciuitate panes sibi allatos fuisse; vel ingrediens solitudinem, vt credentium fidem exploraret, & an turbæ sequi vellent; Illæ vero sequentes non iumentis, aut vehiculis, sed pedibus quantam de salute sua curam adhiberent, demonstrabant, & mentis etiam ardorem. At pedestres eas dum præuenisse ait Marcus, apparet non in aliam maris ripam siue Iordanis discipulos cũ Christo nauigio peruenisse, sed proxima eius loca adijsse, quo indigenæ, & incolæ pedibus peruenire poterant, *&*

seque-

sequebatur multitudo magna, quia cæcorum illuminationem, ægrotorũ sanationem, solutamq; mutorum linguam, & alia signa aspiciebat; Atque amplius, quorum corpora sanabantur à Christo, eorum etiam animas ab eo maculis abstergi scire nos oportet; & quãquam doctrina admirabili potiebatur turba, signis tamẽ, quia mente hebes erat, magis mouebatur: Quæ autem signa fuerint, dicere mittit Ioannes in narrandis Domini sermonibus operam suam nauans. *Subijt ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis*. Propter signum quod erat facturus, erudiens nos, vt omni perturbatione vacemus, apta est enim ad philosophiam solitudo; aliquando solus ascendit Christus, vt ostendat eos, qui Deo frui volunt, omni

cura & ſolicitudine carere debere. *Erat autem proximum feſtus dies Iudæorum,* ad quem properantibus omnibus Hieroſolymam non modo ipſe non abijt, ſed diſcipulos ſecum ducit, vt occaſione à nequitia Iudęorum capta paulatim legem ſolueret. *Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, et vidiſſet quia multitudo magna veniſſet ad eum.* Vt diſceremus nos ꝙ huc atque illuc oculos non erigebat, ſed attentus diſcipulis diligenter loquens ſedebat, & ad ſeipſum eos conuertens: & cum turbā aſpexiſſet, quam eſurientem agnouit, & miſericordia captus paſcere volebat nō ſolum vt bonus, ſed etiam vt potens: Quid enim profuiſſet bonitas, vbi non erat panis quo turbæ veſcerentur, niſi affuiſſet poteſtas? ieiunę illæ profectò remanſiſſent.

Dixit

Dixit ad Philippum, ſed cæteri Euangeliſtę: aiunt apoſtolos ante Chriſto ſuggeſsiſſe, vt eas dimitteret, quibus ille reſponderit, quod turbę nō neceſſe haberent diſcedere, at illis ipſi cibos ſuppeditarent, eos inducere volens, vt ipſi dicerent, quot panes haberent, & ſic ex eorum confeſsione panum quantitate audita magnum appareret miraculū; Deinde viſa multitudine Philippo dixit, quod Ioānes ait, & alij pręter miſerunt. *Vnde ememus panes, vt mā ducent hi?* interrogat vt diſcipulo propriam tarditatem, & ignorantiam ſuam demonſtret, quam ipſe in ſe perpendere non valebat. Quare autem prę ceteris Philippum tentauerit, ideſt eius fidem explorauerit, hæc ratio in promptu eſt, quia Philippus libenter diſcebat, ſępiuſ-

que quęrebat; sed nō adeo erat acu tus, vt altiora intelligere ac percipere posset, quod ex eo patet, quia saluatorem diu secutus, & varia diuinitatis signa conspicatus, ac tam verbis quàm rebus ad cognitionē eius tractus vltimo ferè tempore ad Iesum dixit: ostende nobis patrem; tanquam ergo rudiorem ad sublimiora ingenio consequenda, & ad fidem vocans, & roborans interro gat eum, sicut ait Ioanes, tentans, ipse enim sciebat quid esset facturus; *Unde ememus*, vt inopiàm discipulorum ostenderet, illud enim *vnde* artificiose dictum est, quasi di cat, qua pecunia; nam qui omnem illis colligendę pecuniæ viam præclusisset, ad illud interrogando eos vult allicere vt inquiant, si multitudinem hanc pascere voluerit, cum

nihil

nihil discipulis esse sciat, oportebit ipsum inexplicabili sua virtute ac potestate, vt Dominum alimēta producere. Hoc enim solum reliquum erat ad quod illos prouocabat. Non ignorans igitur Dominus quid Philippus esset dicturus, sed certissime sciens inuenit eum humanis affectionibus valde subiectum esse, qui respondit; *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis vt vnusquisque modicum quid accipiat*, quanquā ex Marco constat eum ex ore ceterorum locutum esse, qui dixerunt, eamus, & emanus, & Luca, nisi forte eamus, & emamus, quę verba præ stupore dicta esse opinamur, valde tamen se hebetem indicat; nā de Christo si perfecte ipse sēsisset, de eius largitate minime diffideret; ideo eū erudiebat Christus;

nam si simpliciter miraculum edidisset, non fuisset omnibus ita manifestum; nunc autem Philippum prius confiteri inopiam cogit Christus, vt ille certius miraculi magnitudinem discat, & huiusmodi interrogatione in certissimam signi cognitionem inducatur. Sed & Andream similem Philippo inuenit licet altius de illo contemplantem, qui dixit, *Est puer vnus hic qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces, sed quid inter tantos?* Andreas, vt opinor, Heliseum viginti panibus hordeaceis centum homines pauisse audiuerat, mente igitur excogitauit aliquid excelsum, sed ad summũ peruenire nequiuit; nam credebat Christum de paucioribus pauciora, & plura de pluribus esse gesturum; at fallebatur; perinde enim

ei, & pluribus, & paucioribus tur-
bas alere facile erat; quia subiecta
materia non indigebat. Sed ne
earum rerum creatio ab eius sa-
pientia aliena esse videretur, ad
miraculum prodendum ipsis vtitur
Dominus contra Manicheos panes
& omnia à Deo malo creata esse in-
quientes: ex mente tamen cætero-
rum, vt alij Euangelistæ tradunt:
Andreas hoc quoque dixisse vide-
tur. Considerate obsecro, vos fra-
tres carissimi, vnà mecum; quæ &
quanta illi viri mirabiles comede-
bant, Et quàm vilis eorum mensa
esset, & quantopere escam contem
nerent; duodecim enim existentes
quinque tantum panes, & duos pi-
sces secum afferebant; Et quod ca
put est, iussi ea tradere, non repli-
cant, quomodo famem nostram de

pellemus? sed obediunt; totã enim viuendi rationem ac vim in rerum humanarum corporearumq; contemptione ponebant, & ijs quæ ad Spiritum spectabant, addicti erant; vnde nos ab eis exemplum sumere oportet, vt licet pauca nobis extẽt, indigentibus tamen aliquid tribuere, & eorum in omnibus quoad fieri potest; abstinentiã imitari debemus. Dixit Iesus *Facite homines discumbere*; Nondum apparentibus panibus eos discũbere iussit idest more antiquo humi iacendo comedere; erat enim fœnum idest viridis herba multa ibi, vt discas ea, quæ non sunt tanquam existentia, ei subiecta esse, nec tamen apostoli mirati sunt, etiam si nihil parati esset; sed ante miraculum credere cæperunt, & qui antea diffidebant, vt

igno-

ignorarẽt omnino vnde turbis prò uiderent, iam eas per quinquagenos, vt Lucas ait, ac quinquagenos, & centenos, vt Marcus, qui tamẽ inter ſe non diſsident, quia alter partem, alter totum dixit, fidenter diſcumbere iubent. *Diſcubuerunt ergo viri quaſi quinque millia.* Soli viri numerantur, quia conſuetudinem legis ſequebatur; ſic enim Moyſes à viginti annis populũ numerauit, ac mulierum, & paruulorum mentionem non fecit. *Et cum gratias egiſſet diſtribuit diſcumbẽtibus* ceteri addunt, & fregit. Hic orauit Chriſtus tanquam humana carne indutus, vt erudiat eos qui comedere incipiunt, antequam menſam attingant, gratias Deo, qui cibum nobis ſuppeditat, agere debere; Et quoniam multa turba aderat, oporte-

bat ei suaderi, quod donum hoc à voluntate, ac benignitate Dei proficisceretur: Et ideo cum occulte aliquod patrabat miraculum, oratione supersedebat, sed coràm multis munus hoc orandi obibat, ne ipsi Deo aduersari videretur. At caue ne indigentiam fuisse suspicere, quòd in rebus minoribus Deo gratias egerit, nã si oratione eguisset, in maioribus huiusmodi officio longe magis functus fuisset. Distribuit igitur, & fregit, quia si panes integri extissent, & non in frusta discerpti, & in segetem multiplicẽ diuisi atque distracti turbas, ac pueros, & feminas alere non poterant; nam frangente Domino seminarium ciborum factum fuit. Itaque non multiplicatis quinque panibus in plures fragmentis frag-

menta ſuccedunt, creſcit deinde materies: An in menſarũ loco an in manibus ſumentium; an in ore comedentium, veriſimile magis eſt in manibus primum Chriſti, deinde apoſtolorũ auctos fuiſſe panes, & piſces, Ait enim Auguſtinus, vnde qui multiplices ex paucis gra nis per conuerſionẽ .ſ. ſegetes procreat, inde in eius manibus, in qui bus poteſtas erat, quinque panes multiplicati ſunt, illi autem quinque ſemina erant, non quidem ter ræ mandata ſed ab eo multiplicata non per creationem videlicet, ſed per additionem extraneæ materiæ in panes conuerſę, qui terram crea uit. Fracti ſunt igitur, & poſiti panes ante diſcumbentes non iam quinque panes, ſed quod adiecerat qui creauerat id quod auctum erat.

Videre licet, fratres, quantum inter seruum, & Dominum discrimen intercedat; nam Prophetę dono prædit sub mensuram cadente miracula edebant, Christus autem absoluta potestate omnia supra quã dici queat, abundanter conficiebat: At de potu nulla fit mentio; dicendum igitur, cum Dei perfecta sint opera, panes illos, ac pisces cibum potumq; simul fuisse; ex illis enim suauis adeo emanabat liquor, vt edentes valde recrearit, nã si aqua è petra quanto magis è panibus, & piscibus liquor effluxit? *Vt autem impleti sunt, colligite quæ superauerunt fragmenta ne pereant.* Non fuit ostẽtatio hæc superuacanea, sed ne aliqui fuisse imaginationem existimarent quod factum est propterea ex subiecta materia miraculum patrauit

uit: Dedit autem non turbis, ſed diſcipulis fragmenta, vt ea ipſi diſtribuerent, quia hos maxime inſtruere volebat, qui totius orbis terræ magiſtri futuri erant; Turbis autem ſatiatis vnuſquiſq; apoſtolorum reliquijs cophinum ſuum implet, vt habeat, vnde gentibus cibum præbeat, vel ex ipſis panes illos poſtea multiplicatos, fuiſſe veros doceat; Et nos ſi paupertas coarctet, miraculum iſtud perpendentes animo non eſſe puſillo diſcamus. Verum, fratres mei cariſſimi, non eſt cur panum multitudinē tantum admiremur, ſed certā exuperantiam ſuſpicere nos oportet; cum neque magis neque minus reliquiæ quā duodecim cophini iuxta apoſtolorum numerum extiterint; Et quomodo in tam vaſta ſo-

litudine nisi quinq; panes, & duo pisces reperti fuerint; *Illi homines cum vidissent quod fecerat Iesus signum, dicebant, quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum*, mirabantur, quia nondum eum esse Deum noue rant; carni enim dediti erant, & vt homines terreni percipiebant; nōdum enim fide fulti Dominum Pro phetam appellant; at iam profecerant cum ab alijs secernentes, nec falluntur, si eum Prophetam vocāt, cum Dominus se talem vocauerit inquiens: non capit Prophetā perire extra Hierusalem. Cum addunt (hic est vere Propheta) quia ostendunt eum ab alijs discretum esse; qui venturus est in mundum, patet quod principalem quēdā expectabant; Et vere Propheta; quia dum præsens aliquid docet, ange-

lus dicitur, dum futura prædicit, Propheta, quia verbum caro factũ est, angelorum, & Prophetarum est Dominus. Quid autem ex hoc miraculo innuere voluerit D. N. Iesus Christus strictim doctores sanctos imitantes attingamus. Quinque panes, libros quinque Moysis significant, pisces duo, vtrunq; testamentum, vel Prophetas, & Psalmos austerum legis saporem temperantes; siue personas duas reges, & Sacerdotes ad regendum populum electas, & constitutas indicant, quę quassatæ non defecerũt, in quibus Christus Rex, & Sacerdos significatur. Ordeacei vero fuerunt, quia ad vetus testamentũ, pertinebant; Lex enim vetus carni idest quinque corporis sensibus deditis lata fuit, & sicut ad medul-

lam

Iam ordei vix peruenitur; sic ad eius intelligentiam; vnde recte additur, quid inter tantos, quia lex vetus parum proficiebat, quoad Christus eam opere executus est, & docuit, quo pacto illa intelligenda esset. Discumbentibus autem turbis super fænũ, quia illę in terrenis rebus quiescebãt, p quinquagenos, & centenos iuxta Marcum, & postquam carnem suam, ac flores eius omnes domuerint, & sæculi voluptates contempserint, vt per quinquegenarij numeri pœnitẽtiã ad perfectũ centesimi culmen ascẽdant, frangitur Moysis lex cum Prophetis, & in frusta discerpitur, eiusque mysteria in medium proferuntur, vt quòd in pristino statu integrum minime nutriebat, in partes diuisum gentium multitudinẽ alat.

In-

Infringitur, inquam, vt dum illa exponitur, ex ea scripturæ multę emanent, ac libri multi componantur; nec noui panes à Christo creantur, quia antiquam scripturam ipse nō soluit, sed eam docuit, nec alia quā quæ scripta erant, prædicauit. Fragmenta autem idest res abditæ atq; arcanæ, quas populus communis non percipit, ab apostolis corde perfectis, & mundum spernentibus colliguntur. Virorum autem illorum quinq; millia iuxta numerum panum, qui perfecte sensibus corporis quinque dominantur, à Domino reficiuntur, quia tales legis præceptis instrui oportet; eorū vero qui mundum perfecte repudiarunt, quatuor millia propter euangelij doctrinā septem panibus nutriuntur idest septē donis afficiunt.

Apoſtoli ergo ante corruſcantis euangelij fulgorem niſi quinq; panes, & duos piſces habebant, qui in ſalſis aquis, & amaris fluctibus verſabantur. Non vero, fratres cariſſimi, ſequi Chriſtũ conemur eius exemplo egentibus pro virili ſubuenientes; atque mundi huius delicias, vt apoſtoli contemnamus, & Paſca celebremus ideſt à vitijs animum ad virtutes traducamus: Qui enim à prauis actionibus cauent, illi corporis quiete fruuntur: Qui vero à peruerſis etiam cogitationibus declinant, ad contemplandũ mentem quietam adhibere valent; Et illi panibus domini ſaturantur, qui quod auribus audiunt, opere exercent. Ac quinque corporis sẽſus Spiritui ſubijcere nitamur, vt fragméta quoq; cũ apoſtolis nobis colli-

colligere liceat, & mysteria illa secreta magis scrutari, Et Dñs Iesus Christus nobis dona sua libẽter tribuet, denique super mensam in regno suo, vt comedamus, ac bibamus largietur. Qui viuit, & regnat in æternũ benedictus. Amen.

Hic desunt Homiliæ duæ Dominica 5. & 6. Quadragesimæ casu omissæ infra fol. 339. positæ.

EIVSDEM

IN DOMINICAM

Paschatis Diem.



Andem, fratres charissimi, post expletum dierũ quadraginta ieiunium, & post sabbati tristitiam ad hunc sanctissimũ ac salutarem Paschatis diem læti peruenimus,

qui dies primarius dierum luce pri ma in eo lucescente, ideſt, dilucu- lo, & Domino cum triumpho ſur- gente, quòd mors ab eo deuicta eſt, ac Dæmoni regnum ablatum, per- fectus, & clarus exiſtit: Hunc co- lere, & venerari debemus ex ani- mo, & maxima cum lætitia, vt eius fructum aſſequamur, atque feſtum hoc celebrare, vt non ſolum ad me moriam reuocemus Chriſtum mor tuum fuiſſe ac ſurrexiſſe; ſed cetera etiam, quæ ad ſolēnem hunc diem ſpectant, non omittamus: Nam, vt inquit Apoſtolus, propter delicta noſtra Chriſtus Cruci affixus fuit, ſe autem à morte excitauit, vt nos iu- ſtos redderet. Ac tranſitus iſte, ſi- cut Paſcha, hębreum verbum ſigni ficat, de morte ad vitam, & de mor- tali vita ad immortalem in perpeſ-

ſione illa Domini, & reſurrectione ſacratus eſt; quod declarat etiam D. Ioannes inquiens: cum vidiſſet horam Ieſus appropinquare, vt trãſeat de hoc mundo ad patrem, &c. Sed quotienſcunq; Paſcha feſtum celebramus, num toties Chriſtus moritur? minime, ſed anniuerſaria quaſi ante oculos nobis eius quod geſtum eſt, proponitur recordatio. Hæc autem dies quàm ſit celebris, & gaudij plena, nos admonet eccleſia mater noſtra, quæ his ſeptem diebus ſequentibus canere nos Iubet; *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*; eſt enim vna ex ſeptem, & extra, atque appellatur octaua, in qua Synagoga terminatur, & eccleſia noſtra oritur, & ſabbatum Iudæorum feſtum in hãc ſolennem diem mutatum eſt; nam

ſicut ſabbato ſeruile munus Iudæis obire non licebat,ſic idem nos hac die dominica obſeruamus, quia vitijs non ſeruimus. Et Chriſtus hodie cum latrone Paradyſi ianuam reſerauit, quam effringere potuit nemo, & electorum ſuorum nullo apud inferos relicto oſtendit nobis hodie quid egit;ſurrexit enim Chriſtus Dominus noſter, & in ſe ipſo exemplum nobis edidit, vt ſperare diſcamus corporibus noſtris in fine ſęculi hoc idem eſſe euenturum. Carnē ergo ſurgere oportet, quia compoſiti actio eſt, nō tantum animæ,quæ corpori,vt materiæ forma coniungitur; non enim in ſola anima vltimus finis,beatitudo ſcilicet exiſtit, nec in hac vita propter varia fortunæ iacula haberi poteſt; Et omnes ſurgent, inquit D. Paullus,

lus, & D. Ioannes, omnes qui in mo numentis ſunt, vocem filij Dei audient; anima enim à corpore ſeparata in perfectione humanæ ſpetiei eſſe nequit; ergo carnem à Deo excitatam iri patet; quod naturale ſecundum quid erit, quatenus corporis ad coniunctionem cum anima inclinatio eſt, ſimpliciter miraculum in ſe continebit. Chriſtus autē quatenus Deus & homo cauſa eſt, vt nos ſurgamus, quia ſicut is diuina virtute ſe ipſum excitauit, ſic nos omnes ſuſcitabit, vt ait D. Paullus; Et noſtra reſurrectio cum illa Chriſti quatenus ad naturæ vitam ſpectat, ſimilitudinem habebit, in qua omnes ad Chriſtum conformati fuerunt, & ideo ad vitam immortalem ſurgent, licet inter ſanctos, & cęteros, quo ad dignitatē, & glo-

riam attinet, discrimen futurum sit. Sed scire oportet, quòd Christi resurrectio, quæ vita est noua, vitaq; in eum credentium, à diuinitate sine vllo medio, aliorum autẽ ab intermedio Christo homine surgente causam habet, & ipse ratione corporalis suæ dormientium primitiæ, & mortuorum primogenitus, idest non post quem alius, sed ante quem nullus, vocatur; Et quòd primus ille ex inferni tenebris in lucẽ surgendo emerserit, quare cum se suscitauit ipse, causa extitit, vt alij à mortuis excitentur, Et ostendit nobis vitam, quam eligere debeamus, quando digna dignis, & mala malis ad retribuendum venit. Dicit etiam Paullus Tubam fore causam, vt cuncti surgant, & non nulli addunt Deum angelorum, & præcipuè

puè Michaelis Archangeli à superioribus adiuti in collectione cinerum, & aliarum rerum ad reparandum corpus humanum parandarũ ministerio vsurum esse. Certissima est igitur eorum qui Christum sequuntur, fiducia diuinitus promissa, & eorum propria fides, scilicet quòd mortui surgãt; & veritas quę mentiri nequit, hoc pollicita est; Vera igitur promissio existit, præsertim cũ Christus in corpore suo hoc ostendere voluerit, quem decies apparuisse ab euãgelistis commemoratur, vt recitat Augustinus. Nam primum Iesus Mariæ Magdalenæ ad monumentum, quæ illum vidit, at non cognouit, eum enim horti cultorem credidit, & audiens se nomine appellari, Maria? statim apertis oculis eum agnouit, & ac-

currit, vt pedes attingeret, & dixit ei Iesus, Noli me tangere, nondū enim ascendi; nec Ioannes à ceteris Euangelistis discrepat illius tantum mentionem faciens, cum alij dicant alias cum ea mulieres fuisse; multo.n. hæc ceteris amore in Christum ardentior erat. Deinde eisdē mulieribus à monumento egrediētibus in itinere in cōspectum se dedit, quæ accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & eum valde veneratæ sunt: Quæ igitur sic quęrebant, quæ ita currebant, dominum surgentem, vt obuiam haberent, meruerunt; qui eis inquit, Auete, vt maledictum Euę in mulieribus solueretur, atq; ostenderet se omnibus iter virtutum inchoantibus, vt ad salutem perpetuam peruenire queant, adiuuando occurrere. Col-

ligi-

ligimus, & cum angelis collocutionem bis eas habuisse ad monumentum venientes, & vidisse angelum vnum, vt Mattheus, & Marcus aiunt; Et postea duos intuitas esse, vt Lucas, & Ioannes narrant; Et similiter conspexisse bis Dominum, semel quidem cum illum colentem hortum putauit Maria, & nunc iterum cum ipse illis in via obuiam prodiuit, vt eas repetitione firmaret, atq; à timore liberaret, ac recrearet, sed ibi Magdalenæ nō datur tangendi facultas, hic vero tangendi, & tenendi copia cō ceditur: Supra quidem negauit tactum Christus, quia clauso surrexit Sepulchro, vt immortale iam corpus factum esse doceret, quòd in monumento clausum mortuum erat; Tangendos vero pedes mulie

ribus nunc præbuit, vt se carnem veram habere patefaceret, quæ à mortalibus attingi posset: Et illa merito audit; Noli me tangere; quę sic in Sepulchro mortuum quę ris, vt eum cum patre ęqualem regnare nescias, ideſt quòd me hominem solum putas; at me patri ęqualem intellige, ascendam ad patrem, & tũc tange, ideſt crede. Vel nolo, vt ad me corpore venias, nec vt me sensu carnis agnoscas, ad sublimiora te differo, cum ad patrẽ ascendero; tunc me perfectius veriusque attinges, apprehensura ꝙ non tangis, & creditura quod non cernis. Volebat hęc mulier cum Christo sicut, & ante pasſionẽ versari, & præ gaudio nihil magnum cogitabat, quanuis caro Christi surgendo melior facta sit; ab hac er

gò opinione eam abducens ait, noli me tãgere, vt cum maxima veneratione loquatur; Nunc in fidei vertice cõstituta Christum tangit, & cum ea aliæ tenuerunt pedes; vt in capite Christi virum esse scirent, seipsas autẽ in pedibus Christi existere, & datum sibi virum sequi nõ pręire. Illæ vero nuntiauerunt fratribus, quia Dominum viderant, quibus non crediderunt illi; ratio est, quia mortalibus naturaliter surgendi miraculum incredibile est, ideo delirare visæ sunt. Tertio apparuit Petro, sed vbi, & quando, ab euangelistis expresse non dicitur, licet aliqui credant, quando à mulieribus admonitus ad monumentum cucurrit, quibus ipse credere visus est. Vt qui primus eum confessus est Christum, virorũ primus

mus surrexisse Dominum vt videret; dignus haberetur, quem ante Angelus, quemadmodum Marcus ait, nominatim expressit, vt consolaretur, ne ob trinam Magistri negationem desperaret; iam enim ipse inter discipulos venire non audebat, se indignum iudicans discipulum, quòd tali errore captus fuisset. Quarto duobus in Emaus, quam ciuitatem Nicopolim nunc appellamus, proficiscentibus, qui discentes Christo peregrini habitu induto cum eis accedēti, quòd sperabamus eum redempturum esse Israel, ostenderunt se non sperare, quem tamen ex pane fracto agnouerunt. Quinto pluribus in Hierusalem, vbi Thomas nō erat, qui primo turbati sunt, spiritum enim se videre arbitrabantur, vt Lucas ait,

gauisi postea valde sunt,vt ait Ioannes, & ostēdit manus & pedes,quò viderēt spiritum ossa carnemq; nō habere, sicut ipse, & vt dubitandi vulnus sanaret; Atque cum eis comedit, quod potestatis non indigētiæ fuit,vt eos faceret certiores idē corpus numero esse,quod in cruce fuerat,argumentum euidentissimū profectò eum surrexisse; Sextò vbi Thomas cum post dies octo vidit, de quo in sequenti sermone copiosè agetur; Septimo,quando ad mare Tyberiadis tertio se manifestauit Iesus, vt ait D. Ioannes. Octauo in monte Thabor Galileæ secundū Matthęum se in conspectum vndecim Dominus palam dedit, vt significaret se corpus, quod de communi humani generis terra nascendo sumpserat, surgendo super omnia

terrena suftulisse; Antecesit autē eis, quia Christus surrexit primitiæ dormientium; sequuntur autē Christi cultores, quia & suo ordine ad vitam de morte migrant, in sua spetie diuinitatem contemplantes; Et huic congruit, quòd galilea migratio exponitur. Addunt aliqui, & à quingētis fratribus eum visum fuisse, ex sententia Paulli; Et ibi gaudij nostri fontem, & salutis ęternæ originem præparatā; ac prius in Hierusalem latitantibus semel, aut bis apparuisse, in Galilea vero non in conclaui, at cum multa potestate eis viuentem signis multis se ostendisse. Nonò, quòd ait Marcus, Nouisime recumbentibus vndecim exprobrauit, &c. quia iam non erāt cum illo conuiuium inituri, Euthymius tamen ex mente græcorū ali-

ter

ter ſentit, vt Chriſtum exprobaſſe intelligat, quod dicit Lucas & Ioãnes, ipſa prima die, quòd nec Magdalenæ, nec duobus ex Emaus redeuntibus non crediderint; non autẽ ipſo aſcenſus die, cum iam quadraginta diebus vnà cum eis verſatus eſſet Ieſus, & apoſtoli Dominũ ſurrexiſſe perſuaſi fuiſſent: nec verbũ, nouiſsime, ſententiam hanc mutat, græce enim ὕστερον poſtea ſignificat; nec aduerſatur quod ait Ioannes Thomam non affuiſſe; numero.n. tũc vndecim apoſtolorum chorus nontinebatur, nec dicit Marcus poſtquàm hæc locutus eſt, ſed abſolute, poſtquàm locutus eſt, ſcilicet omnia verba à Die quo ſurrexit ordiens, vſque quo aſcendit; Quæ ſententia licet ab eccleſia probari non videatur, veriſimilis tamen eſt.

Decimò,

Decimò, quod Lucas, & Marcus commemorant ipſo die quo aſcendit; ſed omnia ſcripta non ſunt, ſicut Ioannes affirmat, crebro tamē cum illis Chriſtus erat, antequàm aſcenderet in cœlum; prima tamē die quinquies apparuit, quia pluribus indicijs admonendi erant Apoſtoli, ac diſcipuli, vt eum ſurrexiſſe crederent. Pie quoq; credunt multi doctores, licet Euāgeliſtę de hoc mentionem non faciant, Chriſtum ante omnes matri in mœrore aſsidue verſanti ſpecioſum apparuiſſe atque glorioſum, eiusq; totā mœroris acerbitatem ſummam in lætitiam ſtatim cōuertiſſe, qua perfuſa ſit ipſa, poſtquàm natum vidit, atque intuita eſt non ſolum in æternum victurum, ſed cælo terræq́;, cūctisq́; hominibus dominaturum eſ-

ſe,

ſe, ipſumq; illi narraſſe, quid is illo triduo geſſerit.

Qui vero reſurrectionem negāt, ſi non credunt ipſi Iob inquienti, ſcio quòd redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus pelle mea circundabor, & in carne mea videbo Deū Saluatorem meum, quem ego viſurus ſum, & non alius; nec euangeliſtis quatuor vna voce fatentibus Chriſtū à mortuis ſe excitaſſe; nec Paullo hoc affirmanti, ſi mortui nō reſurgunt, nec Chriſtum ſurrexiſſe, quòd ſi non ſuſcitauit ſe ipſe, inanē eſſe prædicationem ſuam & fidem, falſumq; ſe teſtem eſſe, quoniam teſtificatus eſt ipſe Deum excitaſſe Chriſtum, quæ nō excitauit, ſi mortui certe non ſurgunt; credant ſaltem Platoni reſurrectionem aſſerē-

ti, & herum quēdam Pamphylium reuixisse dicenti; qui & immortalitatem animę semper tutatus est: Verum Respondeant mihi isti, si non surrexit Christus, sed adhuc mortuus est, quomodo Apostoli in nomine eius tot edidere miracula? at inquient eos non edidisse; quomodo natio nostra cōgregata est? hoccne inficiari poterunt, quod sole clarius est? An Deum omnium rerum præpotentem negabunt? Dixit quidem impius in corde suo, non est Deus, vt ait Dauid, sed non palàm hoc eructauit; vnde negare Deum non valentibus respondemus eum esse, qui mortuos suscitet: si hoc posse Deum inficientur, ergo illius infinitæ potentiæ penitus derogāt. Itaque quo isti pacto se excusare queunt, cum hoc in seminibus, &

plãtis expresse intueantur, nisi corrumpantur, ac moriantur illę, aristas non parere? quod hoc exemplo argumentum euidentius afferri potest? At eorum insignis improbitas dogma hoc lædit, & animarũ immortalitatem atque iudicium tollit; Quare qui se surrecturos esse non credunt, inquinati illi pure viuere nequeunt, & incorruptibiles surgent, vt perpetuo vrantur; sin aliter, quomodo iustitia Dei seruaretur tot prauis felicissime, & tot bonis misere vitam in hoc mundo degentibus? & quomodo in comparãda virtute elaborare vellemus, si nullam laborum mercedem expectaremus? & quomodo à peccatis cessaremus, si nullum nobis supplicium pro male gestis imminere crederemus. Surrexit ergo Christus,

& res absoluta est, inquit Augustinus, corpus pependit in cruce, animam efflauit, in sepulcro positum est, Et Deus illud viuum exhibuit, cur mirantur, quare non credunt isti? Auctorem considerent, & dubitationem sibi tollent: Ac resurrectio erit, atque illud iudiciũ horribile manet, & nõ est fatum, vt quidam tueri nituntur: Et corpus surget, non enim surgeret homo, nam anima sola homo non est, sed corpus & anima; Si enim ea sola suscitaretur, dimidium animal, & non integrum exurgeret: Resurrectio enim proprie eius est, quod cecidit & dissolutum est, anima autem non dissoluitur sed corpus, & ideo si nõ est idem corpus, quod assumit anima, non diceretur resurrectio, sed noui corporis assumptio; opus est

ergo, vt à morte, & à cineribus, quãuis doctores in hoc varij sint, homo idem numero surgat, quod efficitur, cum eadem anima numero eidem corpori coniungitur, & aliter sentire hęresis esset, & perfectus exurgat capillis, & vnguibus ornatus, sanguine & necessarijs humoribus fultus, & ijs omnibus, quæ ad integritatem humanæ naturæ pertinent, quia homo absque naturæ humanę defectu surrecturus est, ac sine vlla membrorum diminutione, & Iuuenis ea ætate videlicet, qua cessante augumento extitisset, si natura non errasset, quæ defectio a potentia diuina supplebitur; etiã vterque sexus surget; Illæ autem actiones, quæ ad conseruandam naturæ humanæ perfectionem, vt comedere, bibere, dormire, spectant,

in ſurgendo neceſſariæ non erunt; quare ergo Chriſtus comedit inquit ille? vt poteſtatis fuit non egeſtatis. Quare cum cicatricibus ſurrexit, ſi vitia non ſurgunt? & hoc potentiæ fuit, non neceſsitatis:ſed Chriſtus hoc efficere voluit,vt quibuſdam dubitantibus cicatrices oſtendens,& carnem ſuam tangendam præbens omnem dubitationẽ tolleret, quòd nõ eſſet eiuſdem naturæ,& alterius glorię corpus eius. Sciẽdum eſt etiam corpora ſanctorum pati non poſſe, quia in corpore glorioſo nõ poterit eſſe mutatio contra diſpoſitionem, quę ab anima perficitur, cum humanum corpus, & quicquid in eo eſt, animæ ſubiectum erit, ſicut ipſa Deo ſubigetur; Damnatorum autem licet ipſi quoque incorruptibiles futuri

ſint, animæ & corpora perpetua pœna mulctabuntur, quia ex naturalibus principijs, quę humanum corpus conſequuntur, in eis erunt defectus illi, ſicut pondus, onus, perpeſsio, quos à beatorum corporibus gratia reſurrectionis arcebit; Et patientur ab igne, & non conſumentur, quia diuina Iuſtitia pœnæ illa æternæ addixit. Paueamus fratres cariſsimi, ne nos quoque æternæ morti deſtinemur, ac mentem & cogitationem omnino à perditis illis, & iniquis auertamus, qui dicere non formidant, ſicut ego multos audiui, ſe confiteri nolle, quòd nolint ipſi ad cælum aſcendere, & cũ pauperibus atque infantibus eſſe, ſed in partibus infernis cum regibus, & principibus verſari velint, ò vocem furialem; Verum pro viri-

bus bonos & iustos imitemur, qui gloriæ immutabilitate immutabũtur, nec omnino patientur, sed fulgebunt, & eorum corpora postquã à Deo excitata fuerint, lucida erũt, & sicut anima maioris claritatis extiterit secundum maius meritum, sic in corpore discrimen erit: Nã sicut Christi claritas in transfiguratione ab Apostolis oculis non gloriosis visa fuit, sic impij illi iustorũ maximam gloriam videntes quàm valde torquebuntur, & cruciabuntur, & quantus eorum gemitus erit ac stridor? Et quia communis est opinio, vt non modo vnusquisque actionum suarum notitiam sit habiturus, quia diuina vis in causa erit, vt cuncta siue praua, siue bona opera ad memoriam reuocentur; vnde singulorum conscientia tanquã

rerum gestarum cōmentarium existet; verum etiam vt quilibet tam facta propria quàm aliena intueatur; inquit enim Paullus, Illuminabit abscondita tenebrarum, idest gesta cogitationes, & malæ & bonę omnibus apertæ erunt & notæ, & præsertim beatis qui hoc ex instanti videbunt, quia in vno omnia cōspicient, quod etiam damnatis forte mira celeritate continget; quo pacto impij nō se corrodent, se cruciabunt, se affligent, cum tot ac tāta scelera sua omnibus nota esse perspicient? ipsi vero beatorū opera tantum bona, & digna merito tāta gloria cognoscēt? Vix lacrymas tenere queo, fratres charissimi, cū in hac meditatione versor, vt quæ commiserim cuncta, omnibus manifesta esse debeant. Sed nos qui

adhuc hac luce fruimur, gratias immortales Deo agamus, atq; habeamus, qui nobis tantum temporis tribuit, vt peccatorum nostrorum maculas ita eluere posſimus, vt Deus ea obliuiſcatur, ſicut Petro non nocuerunt delicta præterità, quia ei minime placuerunt, conemurq; tales nos ita præſtare, vt inter beatos numerare nos non recuſet Dominus noſter Ieſus Chriſtus, atque his dotibus ornare claritatis & agilitatis, cum ex hac vita migrauerimus. Interea hunc diem Paſchatis ſolēniter colamus, & in eo ſpetiem noſtri futuri ſtatus videntes lætemur, cum genus humanum poſt mortem ſurrecturum ſit, & ſuſcitati nos nūc per fidem in anima, iuſte & ſancte viuamus, vt corpore etiam ad æternam lætitiam ſurgamus,

mus, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, qui viuit & regnat gloriosus sempiternis sęculis. Amen.

EIVSDEM

In octauam Paschatis Diem.



Odie Festum Paschatis terminatur, fratres charissimi, octaua .n. dies Dominica in albis appellatur, ea, opinor, ratione, quòd candidatorum, seu neophytorum, vt tunc ij nominabantur, habitus more veterum commutabatur, id est eorum, qui septē diebus elapsis baptis-

baptiſmate denuo geniti ad fidem accedere ſolebant, & gratias Deo agebant, quòd per ablutionē ſummos hoſtes ſuos deuiciſſent, memoriam ſummi illius gaudij retinētes, quo iudęi merſo in mare Pharaone Domino canebant, qui equum & in eo ſedentem in profluentem deieciſſet, quos Petrus hortabatur, vt cum renati eſſent, & filij Dei facti, tales in moribus ſanctis atque operibus bonis verſantes euaderent, quales modo geniti infantes, ideſt innocentes, ac ſine dolo exiſterent, per ſapientiam tamen rationales: à qua conſuetudine cum hoc tempore receſſerimus, non abſurde tamē, qui deuote peccata ſua confeſsi ſunt, & feſtum Paſchatis ſolenne celebrantes panem cęleſtem comederunt, morem antiquum repreſen

tare videntur, ſi modo candorem in animo pro viribus ſeruare conẽtur, & toto corde, & tota mente Chriſtum D. noſtrum vere ſurrexiſſe fateantur, ſicut oportuit eum feciſſe, & propter diuinam iuſtitiam, quoniam is vſque ad mortem ſe humilem reddiderat, vt extolleretur, & glorioſus exurgeret, & vt fides noſtra, ac firma de illius diuinitate opinio cõfirmaretur, ac ſpes noſtra nos ſuſtentaret, ex quo ipſe ſurrexit, fore vt nos ſurgamus, ſi eius exemplum imitaremur, & in nouitate vitæ ambularemus; Denique vt nos iuſtos redderet, de quo hodie mirabilia, dum euangelium legeretur, audiſtis, & nos non nulla quoque dicemus. Vos autem fratres chariſsimi, obſecro, vt attente audiatis, præſertim cum in hoc ma

gnum contineatur miraculũ, quòd Christus ianuis clausis ad discipulos accesserit carne vera indutus; Inquit enim Ioannes, cum sero esset, & fores clausæ existerent, quia eos maxime timidos esse verisimile erat, aut ipse præstolaretur, vt omnes vnà forent; *Venit in medium Iesus*, at multi permouentur, quomodo corpus de sepulchro exurrexerit, & quo pacto Ianuas clausas intrarit; si rationem quærunt, quomodo caro vera introierit, & modũ percipiunt, mirabile non erit; si exemplum, non existet singulare. An isti adeo stupidi sunt, vt non intelligant eius opus esse, qui nihil non efficere potest, quique matris integritatem nascendo non violauit? Et moli corporis, in quo diuinitas existebat, clausas fores mini-
me

me resistere potuisse? Si hæc intelligere nequeunt, cur ingenij sui imbecillitatem non accusant? Et dixit: pax vobis, Quæ est ordinis tranquillitas in voluntate in hoc consistens, vt omnes ipsius appetitus motus in homine conquiescant, idest ne tumultuemini, pacem enim cū Deo, & nobiscum habere fons omnium bonorum est, & origo. *Et ostendit manus & latus*, quæ vulnerū vestigia seruauit, vt hæsitantium mentes sanaret, quemadmodum in antecedente ὁμιλίᾳ ex Luca dixi; primum enim perturbati sunt, postea gauisi sūt; vt inquit hic Io: Quia vero inexpugnabile cum Iudæis bellum eis erat, ideo repetit. *Pax vobis*, gemina est enim charitatis virtus. *Sicut me misit pater, ita mitto vos*, idest ea charitate vos prosequor,

inter

inter hostes, atq; insectatores vos mittens, qua me pater amplexus est, cum ad toleranda opprobria mortemq; obeundam misit: ordinauit enim orbis doctores, & mysteriorum ministros, atq; hinc necessarios eos spiritu sancto afflandos esse ostēdit, qui ad munus apostolicum exercendum mittuntur. *Hæc cum dixisset, insufflauit, & dixit accipite Spiritum sanctum.* Iste flatus corporeus spiritus sancti natura nō fuit, sed significatio non solum à patre, sed à filio etiam procedere siue emanare spiritum sanctum. Quis enim adeo amens esset, qui alium fuisse spiritum quem flans dedit, & alium quem post ascensum in cælum misit, esse diceret? Gregorius ait nunc datum discipulis in terra fuisse, vt diligatur proximus, è

cælo

cælo datum iri, vt diligatur Deus, atque colatur; Quidam autē Christum nos per flatum hunc ad eum suscipiēdum aptos reddidisse aiūt; nonnulli alij sæpe pollicitum fuisse inquiunt, cum is apud patrem foret, se spiritum Sanctum esse missurmm; nunc primitias promissi sui discipulis exoluisse, & arrham, atq; arrabonem tradidisse, vt hoc flatu, sicut ab initio creati sumus, sic renouemur, & ab eo spiritu in animis nostris formetur Christus Dominus: Dixit ergo qui mentiri nescit, accipite Spiritum sanctum, ergo dedit siue donauit; In die Pētecostes expressiorem gratiam ij habitantis in eis spiritus assecuti sunt; nequaquam tamen errabimus, opinor, si discipulos quādam potestatem accepisse dixerimus, non vt miracula

edant, sed vt peccata condonent; Et ideo magna est sacerdotum dignitas; inquit enim, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* ex quibus verbis confessionis præceptum faciẽdæ coràm sacerdote fundari videtur, vnde ad forum priuatũ spectat: post quinquaginta dies copiose postea, & palàm Spiritu sancto afflati, ac fulti fuerunt; vt non paucis prodesse, sed pluribus possent, Et signorum potestate præditi sunt, vt multos ad se allicerent, ac varietàte linguarum donati, quo alienigenis, & exteris nationibus diuinas Christi actiones prædicare valerent. Intueri ergo, vt ait Greg. libet nobis, quo modo discipuli ad tanta humilitatis onera vocati ad quantum gloriæ culmen euecti fuerint; Ecce nõ so-

lum ipsi securi existunt, sed princi-
patum cælestis iudicij assequũtur,
vt vice Dei quibusdã peccata astrin-
gant, quibusdam relaxent. In quo-
rum locum nunc Episcopi in Ec-
clesia successerunt, ac sacerdotes;
vt ligandi atque soluendi auctorita-
tem habeant. Ac grandis quidem
honor est, illius vero graue onus
est; Vnde cauete sacerdotes; vos.n.
alloquor; qui rectorum, ac pastorũ
gradum adipiscimini, ne in pericu-
lum, ac discrimen vocemini: Durũ
enim est, vt qui vitæ suæ moderari
nescit, alienæ iudex fiat; Nam licet
sacerdos propriam bene vitam co-
luerit, & cum virtute; de aliorum
tamen vita curam diligentius non
susceperit, se maximum in discrimẽ
venturum esse sciat, quandoque.n.
sacerdos non pro suis, sed pro actio-

 nibus

nibus nostris damnatur: Qui autē in hac periculi magnitudine versantur, & nihilominus operibus bonis nitent, ac præclara vita splendent, eos, fratres charissimi, summa beneuolētia prosequi debemus, & obseruantia, licet non valde nobiles fuerint, Et quāquam nec sacerdos, nec angelus in ijs, quæ à Deo nobis tributa sunt, aliquid efficiant, sed pater, & filius, & spiritus sanctus omnia dispensent; non enim iustum esset nos ab alterius malitia ad salutem nostram accedentes impediri, ac lædi; linguam tamen suā, & manum afferunt, ministriq; Dei sunt; quare eos colere, & quibuscunque in rebus possumus, iuuare debemus, Sed vt eò vnde declinauit, reuocetur oratio. Thomas nō erat cum eis quando venit Iesus;

nondum forte ex fuga regressus, & quanuis Lucas scribat illos de Emaus redeuntes congregatos vndecim reperisse, conijci tamen potest, quoddam fuisse interuallum, quo tūc Thomas abfuerit, & Iesus in medio steterit; Casu autem non accidit, vt electus ille discipulus tunc non adesset; diuina enim clementia miro modo effectum est, vt discipulus hæsitans dum in Magistri carne vulnera attingeret, in animis nostris infidelitatem sanaret, plus enim ait Gregor. infidelitas ipsa Thomæ ad fidem augendā quàm discipulorum credentium fides profuit, quia ille dum manu attrectans ad credendum trahitur, mēs nostra dubitatione omni post posita stabilis, & solida euadit; Thomas autem ob hoc accusatur, quòd

acprouidentia Thomas in infideli tatis crimen incidere permissus est, vt per exquisitam ipsius fidem Christi carnem à patre per filium ad vitā reuocatam fuisse credamus. Vos autē, sacerdotes, quibus est animarū cura, Domini clementiam considerate, ac perpendite, quemadmodum pro vna anima cicatrices ostēdit & accessit, vt saluum vnum reddat, & exemplum imitemini, ac decernite vobis negligendum non esse id, de quo exacte rationem redditurí sitis; non tamen statim, cum ipse solus quæsiuerit, & eum priuare noluerit Christus, ei se notum fecit, sed post dies octo, vt maiori incendatur desiderio à discipulis admonitus, & in posterū fidelissimus existat; adest & ait; Infer digitum tuum, & mitte in latus meum, & noli

?ret quem aſpiciebat, vt ſi forte oculos eius illuſos fuiſſe diceremus, manus illius deceptas eſſe dicere nequiremus: In manifeſta enim reſurrectione de aſpectu poteſt, de tactu dubitari nequit. Non tamen potuit perſuadere ijs, qui quærunt, & interrogant, quonam pacto corpus corruptioni minimè ſubiectum typis clauorum inſignitum eſſet, quibus reſpondemus, ne inſaniant; permiſsionis enim fuit, quòd Chriſtus ea ratione cicatrices, & clauorum foramina reſeruauit, vt diſcerēt, atque intelligerent eum ipſum fuiſſe, qui cruci affixus fuerat; potuiſſet quidem omnem maculam cuiuſq; cicatricis de corpore glorioſo, & claro effecto, quod excitauerat abſtergere; ſciebat vero quare in corpore retineret; Sicut enim Thomæ

nō credenti nisi attingeret, eas ostē dit, sic & inimicis suis eas ita demō strabit, vt illi nullo pacto euidentia signa inficiaturi sint, & veritas eos conuincens dicat, ecce hominem, quem in crucem egistis, vulnera quidem conspicitis, quæ inflixistis, & latus agnoscitis, quē aperuistis, nec tamen vnquam resipiscere voluistis; *Respondit Thomas, & dixit, Dominus meus, & Deus meus.* Thomas hominem tangebat, & Deum fatebatur, quem nec videbat, nec attingebat. Qui prius nō credebat, post latus ab eo tactum optimū se theologum declarat; nam duplicem naturam, & vnicam personam diseruit. Dominus meus humanā, Deus, diuinam, & vnam personam eundē Deum, & dominum inquiens. *Quia vidisti me, Thoma credidisti,*

Beati qui non viderunt, & crediderunt.
A generali visus sensu locutus est Dominus inquiens, quia vidisti, licet manu attigerit, beati qui non viderunt, in quam sententiam præcipue nos inclusi sumus, qui eum quẽ cernere hominem factum non potuimus, mente retinemus, atque intuemur, si tamen hanc fidem nostram operibus comprobemus; ille enim verè credit, qui ita se in præclaris actionibus exercet, vt totam suam fiduciã in Deo collocare præseferat. Vsus est autem præterito tempore, tãquam ille qui id, quod futurum erat iam factum præuidebat. Vnde non queo non valde irridere eos, qui inquiũt; vellem temporibus illis fuisse, & Christum miracula edentem conspexisse, si beatos illos appellat, qui nõ viderunt;

ergo tu beatus esse noluisses. nos vero credamus veritatis ipsius testimonio Saluatorẽ ab inferis redijsse, qui ideo primogenitus mortuorum dicitur, quia primus in lucem ex tenebris inferni prodierit; & quæcunque euangelistæ, & Paullus de eo scripserũt, ijs fidem adhibeamus, atque hanc cõsolationem nobis afferamus, quòd licet non viderimus Christum in terris versantẽ, beati erimus, si credentes firmissimè in præceptis suis exequendis diligentes erimus, mundumq; hunc odio habuerimus; Et quanquam Apostoli ea ratione beatiores fuerunt, quia vt viderent Christum carne indutum digni ab eo facti sunt, quem iusti omnes intueri optauerunt, coram enim eum conspicere magnum certe donum fuit, & in

hoc ij feliciores fuerunt. Nos tamen qui Christum non cernimus, & tamen in eum credimus, ratione fidei beatiores sumus, quæ Deo maximè grata est, & maius Dei donũ: Sed non oportet, fratres mei charissimi, adeo immergere nos in hęc terrena bona, vt diuina obliuiscamur, nam si velimus ex eorum numero vere esse, qui ad beatitudinem peruenire valeamus, & illius capaces esse, post ponere nos decet ea quæ à beatitate assequenda nos auocẽt, & animum ad cælestia, & sublimia penitus intendere, & ad hunc nobis optatissimum finem adipiscendum; Sicut toto corde, & tota mente si eum dilexerimus, ac nos eius bonitati, atque benignitati ipsos commiserimus, D. N. Iesus Christus se nobis eum esse largitu-

runi pollicitus est, Qui viuit, & regnat sempiternis sæculis. Amen.

EIVSDEM

In diem Ascensionis.



Odie, fratres charissimi, Ascẽsionem Domini celebremus, & solennem hunc diem agamus, atq; summis exultemus gaudijs, quòd Christus ascendens ad cælos penetrauit, & quò pręiuit caput nostrũ, spes est fore, vt corpus eò proueha-tur; Et sancte, ac pie hoc festum colamus, & nunc mente cum illo ascẽdamus, & cor nostrum sursum dirigamus, vt cum dies aduenerit eum,

&

& corpore sequamur; Sed ob oculos nostros versari debet hæc meditatio, quòd Christus corpus suum tanquam naturæ nostræ primitias Deo obtulit, & oblatum Donũ miratus pater manibus suis suscepit; & sic in Christo natura ipsa nostra, in sublime lata est, vt homo qui humili loco erat, vt vltra descendere nequiret, ad tam excelsam sedem eueheretur, vt altius ascendere nõ posset, quo quid admirabilius conspici potest, quando homo qui cõtemptus esse videbatur, nunc in cælo conspiciatur? Itaque reconciliatam hodie Deo humanam naturam esse, hodie humanum genus cęleste misericordiam adeptum esse perspicimus; videbatur enim nulla spes esse ipsam naturam humanã in gratia Dei fore, non quòd Deus in hu-
manus

manus esset, sed quia seruus negligentia, & ignauia obtorpesceret; nō quòd Dominus crudelis foret, at quia seruus contumax existeret: Verum ascensus Christi nobis effecit, vt qui digni terra non iudicabamur, hodie ad cælum elati simus, quiq; terrena nō merebamus, eius singulari beneficio digni existimati simus, vt non solum cęlestę regnum possideamus, sed vt cælorum fines transeamus, & ipsa regali sede decoremur. Surgens ergo Christus Dominus noster spem nobis certissimam attulit, ascendens gloriosos nos reddidit, & eius ascēsus catholicæ fidei confirmatio fuit, vt securi ex ijs, quæ tanta percepimus, sperare promissa discamus. Sed antequam ascendisset, quid euangelistæ narrēt, perpendamus: Inquit enim

Marcus,

Marcus: Nouissime recumbentibus illis vndecim simul congregatis, vt omnes testes essent, & enarrarent, quę communiter viderunt, apparuit & *Exprobrauit incredulitatẽ illorum*, quia ijs non crediderant, qui non actum surgentis, sed personam aspexerant; Increpauit autem eos, vt ait Greg. cum eos corpore relicturus esset, vt verba quæ discedens diceret, in animo auditorum arctius impressa remanerent; obiecit autem, vt credulitas sequatur, & duritiam (vt cor charitate plenũ succedat) licet græci nonnulli sero, die Paschatis id factum esse sentiant, vt supra dixi: postea admonẽs mandauit eis: Euntes prædicate euangelum omni creaturæ, cuius nomine intelligitur homo; siue credenti, ac non credenti, Eum videli-

cet qui crediderit ad horam mortis vſque perſeuerãs, & ablutus fuerit, ſaluum fore; ſin; damnatum iri: Credentes vero hæc ſigna dabunt, quòd Dæmones eijcient, vt nõ noceant corpori eorum quos vexant, & varijs loquentur linguis, vt ipſo Pentecoſtes die accidit; Serpentes tollent, vt Paullus; & venenum bibent, ſicut de Ioanne Euangeliſta fertur, ſuper ægros manus imponent, quod ad miracula perficienda ordinabatur, vt tactu hominis iuſti, ac ſancti infirmitas corporis auferret, & bene habebũt, quæ in initio eccleſiæ neceſſaria fuerunt, vt fides, ſcilicet creſceret: ea.n. miraculis fouẽda erat, nũc eccleſia ſpiritu edit ea, quibus animæ ſuſcitantur. Tunc aperuit illis ſenſum, vt ait Lucas, vt ſcripturas intelligerent, quo-

niam ſic ſcriptum eſt, quòd Chriſtũ pati oportebat, ideſt cruci affigi, & tertia die ſurgere; amiſiſſet enim fructum, quem patiendo afferebat ipſe, ſi vere ſe nõ ſuſcitaſſet; & peccatorum remiſsionẽ omnibus gentibus non ſingulis hominibus ab Hieruſalem ordiendo prædicari; quod ab Apoſtolis cœptum ante finem mundi complendum erit, vt apud omnes gentes, & nationes ecclesia ædificetur; Vos enim horum ideſt mortis, & reſurrectionis teſtes eſtis. Et ego mittam vobis ſpiritũ ſanctum, quem per prophetam Ioelem vobis pollicitus ſum. Sedete autem in ciuitate, quoad ex alto, id eſt ex cælo virtute, id eſt gratia ſpiritus ſancti tanquam armatura cæleſti induamini, ſicut actorum primo conueſcens pręcepit, vt promiſſum

patris expectarent, non dixit vero, quando, vt semper vigilarent; prædicationem enim illis ad acceptũ vsque ab eis spiritũ sanctum distulit. Quomodo autem cõscenderit, Lucas inquit, quòd Bethaniam versus, cum comedissent, eos eduxit foras, vt eum ascendentem aspicerẽt, quia inde scandere volebat; & fine facto dicendi ea etiam quæ actorũ primo narrantur, cępit, Marcus dicit assumptus est, & bene, quia & si propria virtute surrexit, à patre tamen, quia eadem patris, & filij virtus est, suscitatus dicitur, sic propria virtute ascendit, & tamen à patre assumptus est, cœpit inquã sua virtute non aliena, virtute primum diuina, deinde animæ beatæ & gloriosæ mouentis corpus, vt lubet, pedetentim propter matris, & disci-

pulorum

pulorum consolationem se attollere, & vidētibus illis ascēdere, quos tanta visione dignos statuebat, deinceps elatis manibus benedicentem eis, & bona exoptantem nubes lucida, & candida suscepit eum, nō vt vehiculum, sed vt diuinitatis signum, sicut gloria Dei Israel super tabernaculum in nube apparebat, qui ab oculis eorum carneis euanuit, quia claritate nubis circundatus vltra visus non est. Ascendit autem in iubilo: admiratio enim gaudij, quod verbis explicari nequit, Iubilum est, vt ait D. Augustinus, quomodo Apostoli admirati sunt in cælum scandere eum cernentes, quem mortuum luxerant, stupentesq; ac nihil dicentes: Vel lætitiā illā indicat Dauid, qua affecti sunt angelorum chori præeuntes, & ad

ſuperiores quidem clamantes, tollite portas, quia Chriſtus rex gloriæ, & poſt perpeſsionis triumphũ victor introibit; Inferioribus vero in voce tubæ, viri galilei quid ſtatis aſpicientes in cælum, hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis, ſic veniet in eadem forma, & ſubſtantia glorioſa, ſcilicet ad Iudicandum, ſicut eũ in cælum euntem vidiſtis; & licet ſe ab oculis eorum ſubtraxiſſet, adhuc tamen intuebantur, propterea duo aſtiterunt ſcilicet angeli, & ne tempus conſumerent, admonuerunt, vt in ciuitatem redirent. Tũc videntes mater, & omnes diſcipuli cadunt in terram admodum venerantes, & poſt diſceſſum lacrymas continere non valentes in Hieruſalem cum gaudio regreſsi ſunt, quia omnia myſteria in Chriſto comple

ta erant. Itaque ſi eum rediturum credimus, expectare debemus, & in oratione perſeuerare, ac nauare bona opera, ne nos aduentus eius improuiſos, atque imparatos adoriatur, atque offendat. Verum decuit Chriſtum, poſtquam ipſe ſurrexit, cælum aſcendere, cum immortalem vitam inchoauerit, & incorruptam, & in altum loco ſcilicet, & dignitate, & ſuper omnes cælos, & à patre ſuper omnem poteſtatem, ac principatum, & ſuper omne nomen conſtitutum eſſe, vt ait Paullus; non enim eum in terra loco videlicet corruptioni addicto remanere cõgruum fuiſſet: Et licet eius præſentia corporea priuati ſimus, cum diuinitas ſemper fidelibus adſit, abſentia tamẽ nobis magis prodeſt, qua fides noſtra roboratur, ac

ſpes fore, quoniam Chriſtus humanam naturam in cælo collocauit, vt illuc nos quoque ſuo tempore perueniamus; Denique animus noſter ad cæleſtia erigitur. Diſtulit nihilo minus aſcenſum Dominus, vt per quadraginta dies comprobaretur veritas, quòd is ſurrexerit: fuit autem noſtræ cauſa ſalutis dupliciter aſcenſus eius; quatenus ad nos attinet, mens noſtra in Chriſto amore inflammatur, & mirificè eum veneratur. Quatenus ad ipſum ſpectat, multa propter ſalutem noſtram geſſit, & primum viam nobis ad aſcendendum monſtrauit, vt ait Io. Vado ad parãdum locum ante eos iter pandens; nam quoniam ipſe caput eſt, quo præiuit, illuc mẽbra ſequi oportet: Cuius hoc eſt euidens argumentum, quòd animas ſanctorũ

patrum,

patrũ, & veterum pręsertim, quos ex inferis eduxerat, in cælum humanæ naturæ peregrinum scilicet locum secum duxit, vt ait Dauid, ascẽdens Christus in altum captiuam captiuitatem duxit, idest eos qui à Dæmone captiui detinebantur, vt pote victoria acquisitos; Deinde, vt pro populo deprecaretur, & ei aduocatus esset, vt quoniã in Christo Deus humanam extulit naturam, eorum etiam misereretur, pro quibus eandem Dei filius sumpsit. Demum vt in cælorum sede quasi Deus, & Dominus constitutus exin illos diuinis donis afficeret. Ascẽsio igitur Christi directe nostri ascẽsus causa fuit in capite nostro inchoata, cui membra cõiungi opus est. *Et sedet inquit Marcus à Dextris Dei,* primum quidem quatenus in

beati tudine

beatitudine patris, quæ illius dextera dicitur, incorruptus manet; Deinde quatenus cum patre regnat, & ab eo iudiciariam poteſtatem habet, quod vt Deo, & Dei filio conuenit; eandem ſcilicet naturam cũ patre, & eandem diuinitatis gloriã habere, vt naturę conuenientia ſit, perſonæ diſtinctio: Quatenus autẽ homo ob diuinitatẽ cum eo coniũctam, quæ è contrario naturæ diſtinctionem, & perſonæ vnitatem ſignificat, etiam hac ratione Dei filius eſt, & conſequenter ad dexterã patris ſedet: Denique ſecundum gratiam habitualem, vt Theologi inquiunt, quæ in Chriſto præ cęteris alijs hominibus abundatior eſt, adeo vt humana natura in ipſo cæteris beatior ſit, regiam, & iudiciariam poteſtatem habens, ſic quate-

nus

nus homo ſedet ad dexteram patris ideſt in bonis paternis potioribus, & in maiori præ cæteris beatitudine; Et ſoli Chriſto proprium hoc eſt, & nemini alij nec angelo, nec homini congruere poteſt. Hodie ergo Dies feſtus eſt D. N. I. Chriſti qui ad dexteram patris ſedere cœpit; eſt & Patriarcharum, ac Prophetarum animarumq; ſanctarum, quia hodie, & nõ ante, cęleſtem patriã intrauerunt: Eſt & noſter, quia humana natura cælos conſcendit; Et vbi fuere, & ſunt aſcẽſus Chriſti veſtigia, Sulpitius Epiſcopus Hieroſolymitanus ea nunquam pauimento ſtrata fuiſſe teſtatur; terram enim velut impreſsis veſtigijs eandem ſpetiem cuſtodire, quod & Beda confirmat, Et Iacobus Sacratus frater meus Archiepiſcopi Nico-

ſiæ in inſula Cypro olim vicarius, quo cum ad ſanctum ſepulchrum acceſsit, ſe ſaxum illud,& locum in quo Chriſtus aſcendens pedem fixit, vidiſſe ac veneratum fuiſſe aſſeruit, nunc Carpentoracti Epiſcopus; Et quia nos quoque aſcendere cupimus, atque in gloria Chriſtum conſpicere, mundi autem corde eum vident, munditiam menti noſtræ talem adhibeamus, vt illum ad nos venientem intueri liceat. At ſcire oportet, quòd vt ait D. Auguſtinus, cum Chriſto nō aſcendit ſuperbia, non enim opus eſt, ſi ſcandē di deſiderium nos tenet, vt merita propria nobis arrogemus; nam cū altus ſit Deus, ſi erigimus nos, fugit nos, ſi humilitatem ſequimur, ad nos accedit; non auaritia, non luxuria, nullum omnino vitium; &

ideo turpes, ac prauas actiones om nes fugere, appetitumq; terrenarũ rerum rationi obedientem præbere, ac nullam penitus ex illecebris mundi huius delectationem capere debemus; verum quia magni est animi, & valde fidelis sine mora, & facile credere, quæ sub aspectum non subijciuntur, atque eorum desiderio incendi, quæ oculi cernere nequeunt; tali mente studeamus erga Dominũ Nostrũ Iesum Christum præditos nos esse, vt eum surrexisse, & ascendisse minime ambigamus, & beati esse velimus, qui non vidimus, & credimus, & in eo meditationem nostram figamus, dum in hac vita spiritum ducimus, vt in cælestium ciuium numero reponamur; Nam si recte actiones Christi perpendamus, illæ eò spexe

runt

runt omnes, vt nos ipſe ab his terre ſtribus rebus auerteret, atque ad cæleſtia concupiſcenda, atque adipiſcenda animos noſtros prouocaret: Imitemur etiã Apoſtolos, qui tanto ex aſcenſu Chriſti gaudio affecti ſunt, adeoq; profecerunt, vt metu omni depoſito in diuinitatẽ ad dexteram patris cõſcendentem animum defixerint, atque intenderint eam continenter contemplantes, atque ex animis noſtris deletis omnibus maculis, ſtudeamus nos quoque ita mundi ſynceri, nitidiq; exiſtere, vt ad cælum aſcendere, Chriſtumq; Dominum noſtrum in dextera patris ſedentem intueri valeamus. Qui viuit ſempiternis ſæculis glorioſus, Amen.

EIVSDEM

EIVSDEM

In diem Pentecoſtes.



Odie, fratres chariſsimi, ſanctiſsimum & ſolennẽ admodum Pentecoſtes diem, ideſt, quinquageſimum ab eo die, quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſurrexit, atque ab illius aſcẽſu decimum colimus, & veneramur, ſicut Iudęus populus antiquus à die immolationis agni vſque ad datam quinquageſima die in Syna monte eis in igne legem illum obſeruabat. Hodie anniuerſarium illũ diem celebramus, quo Chriſtus ad diſcipulos ſpiritum ſanctum miſit, qui in eorum animos

est illapsus, atque in præparata sibi apostolorum suorum templa velut imber eos reddens sanctos, ac perpetuus consolator influxit; quemadmodum ante pollicitus illis fuerat Christus inquiens, nisi abiero, paraclytus non veniet ad vos, si autem discessero, illum ad vos mittã; nam ab eorum corporeis oculis abscesit forma Domini corporea, vt à spiritu sancto diuinitas eius in illorũ corda insinuaretur; quæ post illius discesionẽ adeo dilatata fuerunt, vt ad sustinendam diuini luminis magnitudinem robustiores multo facti fuerint, & ad intelligentiam veritatis aptiores, ac magis capaces. Quomodo autem ad eos spiritus sanctus accesserit, Lucas inquit, quòd cum essent discipuli omnes pariter in eodem loco, in cænaculo

culo ſcilicet factus eſt repente de cælo, vt ſignificaret ſpiritum cæleſtem eſſe, ſonus, ideſt locutio linguarum de ore apoſtolorum ſonans, tāquam aduenientis ſpiritus vehemētis, non vt, quemadmodum in lege, terreret, & repleuit totam domum, ideſt habitatores eius impleuit, diues eſt enim, vbi ſedebant, quia effecit, vt domus gloriæ ſuæ, luminis nitore fulgeret. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq́; ſuper ſingulos eorum* Sanctus ſpiritus in igne, quia peccatores expiat, illuminat, accendit & vrit, & linguis apparuit, ſed per ſe interius loquebatur; ardentes enim omnes quos repleuerat, & loquentes reddidit, & ſedit, vt potè, qui in ſanctis & humilibus requieſcit. *Et repleti ſunt Spiritu ſancto*, vt Ioelis vaticinium verum

euaderet inquientis: effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & vaticinabuntur filij veſtri, &c. Dubium autem nō eſt maieſtatem ſancti ſpiritus fuiſſe præſentem, cū rei geſtæ forma mirabilis fuerit; in ijs tamen quæ corporeis oculis viſa ſunt, diuinam eius naturam apparuiſſe nemo arbitretur; quæ patri, filioq; communis qualitatem muneris ſui, & operis qua voluit ſignificatione oſtendit, proprietatem vero in ſua diuinitate retinuit; fidelibus enim ſuis ſpiritus ſanctus affuit, atque per illius præſentiam in eorum vaſa non iam balſami odor, ſed ipſa ſacri natura vnguēti influxit, cuius odoratu latitudo totius orbis impleretur, Et qui ad eorum doctrinā appropinquarunt, participes Dei, atque capaces fuerunt. Sed quid

ad

ad perfectionem apostolorum addi poterat, cum ij in principio Euangelij afflati ſpiritu ſancto fuerint, nã eijciendi dæmones, & peccata condonandi poteſtatem acceperunt, quæ ſine ſpiritus ſancti aduocatione non fiebant, & qui in Chriſtum crediderant, infuſum in animos ſpiritum habebant? Nimirum in ijs fides erat; at conſtantia minimè; de Chriſto mirabilia prędicare, pro eo vſque ad mortẽ certare nequibant; nemo enim ante ſpiritus ſancti aduentum martyrij corona donatus fuit; & antequam conſolator cæleſtis viſitaret, quantum de magnitudine animi, quãtumq; de perfectione defuerit, ex his perſpici poteſt, quòd Thomas nondum hoc munere ditatus ſancti ſpiritus, fixuris clauorum, & cicatricibus ad creden-

dum diuinitatem incorruptam indiguit teſtibus; Ac Petrus numine hoc non adhuc afflatus vim vi repellendam exiſtimauit; Et ante aduentum ſpiritus ſancti alij ex diſcipulis ſub ipſo crucis tempore fugerunt, alij voce ancillæ territi ſunt; Vnde Ioannes, & Lucas inter ſe nō diſſentiunt, cum dicat ille, primo die quo Chriſtus ſurrexit, Apoſtolos ſpiritu ſancto donatos fuiſſe, & relaxandorum peccatorum gratiam & facultatem accepiſſe; Hic vero ſpiritum ſanctum quinquageſimo die veniſſe deſcribat; nam hi tunc virtutum omnium exercitationem dederũt, & cuncta donorum genera perceperunt, & quod magis neceſſarium erat, omnium linguarum diuerſitatem, vt Chriſtum annunciaturi nullo interprete indigerent, quo factũ

est, sic vt ait Hieronymus, vt Lycaones Paulum, & Barnabam suis audientes linguis loqui, Deos in homines conuersos esse crederent. Itaque post perceptam hanc amplam spiritus sancti gratiam ipsi verberibus cæsi ibant gaudentes, quia digni habiti fuerint, vt pro Christo contumelias sibi impositas æquo animo ferrent; Deus enim post munificentiam suam, & cumulare gratiam, & sapientiam augere, & constantiam firmare potest. Et sic Saluatoris promissio cōpleta est inquientis: Paraclytus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret &c. Et cum venerit paraclytus, quem mittam vobis à patre, ille testimonium perhibebit de me, Et alibi, ego rogabo patrem, & alium paraclytum dabit

vobis; Et rurſus ille me clarificabit, quia de meo accipiet: Docuit enim ſpiritus ſanctus quæcunq; eis dixerat Chriſtus percipere non valentibus, ſuggeſsit, quæcunque narrauerat Dominus, ſed obſcuritatis cauſa, ac mentis tarditate imbecillitateq; illi memoriæ mandare nequiuerunt: Iubemur enim non obliui ſci ſaluberrima monita ad gratiam pertinere. Sed cauendum eſt, fratres chariſsimi, ne in cogitationem veſtram cadat, cum auditis, mittã, quaſi de inferiori dixerit; mittente enim filio ſimul mittit & pater, cũ procedat & emanet à patre & filio; & eadem volũtate patris & filij ſpiritus venerit: Ille enim ſpiritus à filio mittitur, vt à ſapientia, & virtute ſpiritum Dei indiuiſam cum eadem virtute, & ſapientia naturã ha-

bentem mitti decet, Etenim filius à patre missus non ab eo segregatur in illo manens, & in semetipso eum habens, & spiritus sanctus missus à filio à patre egreditur non aliunde ad alia migrans. Cum vero ait, aliũ paraclytum dabit vobis, & se ipsum paraclytum esse ostendit, idest aduocatum & consolatorem, eo enim tunc tali fruebantur discipuli, qui miraculorum dulcedine, & prædicatione eos erigebat & consolabatur; sed alium spiritum nominauit non iuxta naturæ differentiam, sed secundum diuersitatem actionum; similis enim gloriæ, & eiusdem naturæ est ipse, & maiestatis socius; Denique inquit, ille me clarificabit, quia prouocans vos ad ea, quæ ad spiritum attinent, declarabit vobis, quomodo filius patri æqualis

ſit, quem ſecundum carnem vt homines noueratis; vel timorem auferens ad annuntiãdum gloriam meã toti mundo, vos incitabit, quò nõ mihi ſed hominibus proſit; Quia de meo accipiet, quia de patre, à quo ego; in hac enim trinitate de patre filius natus eſt, dę patre procedit ſpiritus ſanctus, & emanat: Qui autem ex nullo natus eſt, de nulloq; emanat, pater ſolus eſt.

Sed Synodus Florẽtina definit, vt hæc fidei veritas credatur, ſpiritum ſanctum ex patre, & filio eſſe æterno tempore, & naturam ſuam, & ſuum eſſe ſubſiſtens cum patre, & filio habere, & ex vtroque tãquam ab vno principio, & vnica ſpiratione æterno tempore procedere: Atque declarat id, quod ſancti patres, ac doctores aiunt ex patre per filiũ

procedere ſpiritum ſanctũ, ad hanc ſpectare intelligentiam, vt per hoc ſignificetur filium eſſe ſecundũ quidem græcos cauſam, ſecundum vero nos latinos principium ſubſiſtentiæ, ſicut & patrem: Et hoc ipſum, quod ſpiritus ſanctus emanet ex filio, eum à patre habere æterno tempore, à quo etiam genitus eſt; atq; additamentum illud, filioq; veritatis declarandæ gratia, & imminente tũc neceſsitate ipſi ſymbolo addi licuiſſe: Quàm inexplicabilis eſt redemptoris pietas? hominem ad cælum ſuſtulit, & terra cælum factũ eſt, Apoſtolis ad illud aſcendentibus ob copioſam ſpiritus ſancti gratiam in eos effuſum. Et Deum ad terras mittit, ex quo facile conijci poteſt, quanta de operis ſui inſtauratione auctori cura exiſtat. Sequi-

tur

tur Lucas; *Et cœperunt loqui varijs lin guis, &c.* Quicunque ſpiritu ſancto afflabatur, impletus linguis omniū nationum loquebatur, non illi duntaxat centum viginti in cænaculo exiſtentes; ſed dicet aliquis, quare ſi alicui datur ſpiritus ſanctus, varie non loquitur ille? quia impletum eſt, quod ſignificabatur; Nam illa Eccleſia parua varijs linguis ſermo nes ſuos explicabat, nunc à Solis or tu vſque ad occaſum Eccleſia magna omnium nationum linguis vtitur; ſicq; perfectum, atque ſolutum eſt promiſſum; ſicut enim anima in corpore hominis opus ſuum nauat, ſic in corpore Chriſti ſpiritus ſanctus: quod eccleſia in omnibus vnius corporis membris, hoc in tota eccleſia efficit ſpiritus ſanctus. Et quemadmodum qui ſpiritus ſancti

dono

dono tunc ornatus erat, etiam homo vnus ſermocinabatur omnibus linguis, ſic per omnes gentes nunc veritas ipſa permeat loquẽs, in qua conſtituti nos ſpiritum ſanctum habemus; vnde diem hunc tanquam veritatis corporis Chriſti membra celebrare debemus. Cum ergo quis replicat, ſpiritum ſanctum accepiſti, cur ſermones varios non habes, reſpondẽdum nobis eſt, nos in corpore Chriſti exiſtere ideſt, in eccleſia, quæ omnium linguam gentium adhibet; nihil enim aliud ſignificat Deus per præſentiam Spiritus ſancti niſi eccleſiam omnium gẽtium, ac nationum linguis prædicaturam eſſe. Addit Lucas. *Nonne iſti Galilæi ſunt? Et quomodo audiuimus vnuſquiſque lingua in qua nati ſumus?*

Quærit vnus Beda, vtrum ij qui

loque-

loquebantur, diuersis vniuscuiusq; linguæ sermonibus vterentur, ideſt modo hac modo illa loquentes, vt ſic omnes attingerent linguas; An potius ſermo eorum qualibet lingua pronunciatus ab vno quoque ſecundum linguam ſuam intelligeretur, ita vt apoſtolo vno in eccleſia docente ſilentibus alijs ſermo eius ad omnium auditum perueniret, hanc vim habens, vt cum diuerſarũ nationũ auditores eſſent, vnuſquiſque tamen ſermonem ab apoſtolo habitum perciperet. Hęc me ſecunda opinio certe delectat, quia Lucas etiam eam innuere videtur. Et maximum miraculum, & nunquam aliàs auditũ fuiſſe nemo eſt, qui ambigat. Ad venerationem igitur diei Pentecoſtes, qui libertatem, ac remiſsionem peccatorũ ſuppeditat,

omnes cōcordes excitemur, fratres charißimi exultantes, & honore ſpiritum ſanctum ſummo afficientes; à quo eccleſia noſtra ſancta redditur, & omnis anima rationalis imbuitur, is enim doctor ſanctus eſt, fons amoris, caſtitatis propugnaculum, & totius cauſa virtutis, vitam ſuppeditans, & vnicuiq; præſens, at iuxta fidei portionem vim ſuam diuidens. Quem ſi ad nos inuitare velimus, ita nos puri ſenſibus, & cogitationibus eſſe debemus, vt nos eius illuſtratione dignos præſtemus; ac ſi promereri cupimus, vt ad nos ingrediatur, noſq; illuminet, ab omni obtrectatione, omnique malitia liberos nos eſſe ſtudere oportet, animæq́ noſtræ ab appetitu carnis, & ſuperbiæ dominatione liberatæ domiciliū ornare; ac odo

ribus

ribus pretiosis castitatis, fidei, & charitatis, vt detractis omnibus vitijs, & virtutibus in animis nostris insitis in templum Dei mutemur, repleri nos decet; Tunc spiritum sanctum humiles, atque mansueti aduocabimus, qui, vt beatissimus hospes nitido delectatus hospitio in nobis perpetuo manebit, & cum vita functi erimus, in patria cælesti nos fouebit.

Interim magnum hunc festum diem hilariter, & lęte celebremus; Ego quidem non solum eum solennem ago, sed etiam, cum mysteria de resurrectione, de humani generis redemptione, de angelorum instauratione, & dæmonum eiectione, de Iudæorum confusione, de humanæ naturæ elatione, de certa, & generali in futurum surgendi, &

aſcendendi ſpe, de promiſsione ſancti ſpiritus, ac de illo hodie ad nos miſſo, qui fideles ſuos valde recreat, omnia completa ſint, eaque cuncta à me in ſermonibus meis breuiter tractata fuerint, operi meo finem impono, & immortali Deo gratias ago, habeoq́;, qui mihi largitus eſt, vt ad exitum lucubrationem meam perduxerim, quam ſi lectoribus haud diſplicere intexero, me hoc diuino ſpiritu afflatum eſſe arbitrabor, ſin minus; inſcitiæ & ignorantiæ meæ, nec non arrogantiæ, quod in ſanctiſsimorum, ac doctiſsimorum patrum meſſem irruere auſus fuerim, totum aſcribam. Sed cum ſemper ſpem in Chriſto omnem poſuerim, & me calamum ſcribæ velociter ſcribentis exiſtere, atque omne donum optimum, atq;

perfectum

perfectum à Domino Deo in me profectum esse existimauerim: spero futurum, vt Iesus Christus hos labores meos, vere opus suum foueat, & apud omnes etiam gratiosos, & iucundos reddat. Qui cum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat laudabilis, & gloriosus sempiternis sæculis.

Amen.



EIVSDEM

EIVSDEM

In Dominicã quintam de Passione.



Odie, fratres charissimi, diem hunc solennem agimus, in quo illius agni, qui pro nobis immolatus est, commemorationem auspicato incohamus, qui ab ecclesia matre nostra Dominica de Passione dies inscribitur: Nam etsi nec die hoc, nec sequentibus Dominus noster Iesus Christus passus fuerit, nisi parasceues die, tantas tamen insidias, iniuriasq; ei fecerunt, tantisq; verborum contumelijs Iudæi eum lacerarunt, & amplius percutere la-

pidibus voluerunt, sicut infra dicemus, vt illi quodammodo mortem afferrent; feruebat enim adeo illorum insania, vt certo consilio interficere Lazarum quanuis innocentē decernerent, quia multi illius causa credebant in Christū, quo eius memoriam penitus delerent; ipsi autē hac causa maximè impulsi sunt, quia miraculis Christi omni eorum gloriæ tenebras effundi videbant; Itaque tanta inuidia disrumpebantur, vt nihil aliud cogitarēt, ac dicerent, quàm vt circumueniamus iustum, quia contrarius est operibus nostris præsertim cum eis exprobraret Christus paullo supra de Abraā quem patrem appellabāt, quia eius opera non imitarentur, præterea adderet eos non habere Deum patrē, vt aiebant, quia eum diligerent, sed

Dæmo-

Dæmonem homicidam, atque mendacem, & propterea à veritate abhorrere; quem sermonem in hoc euangelio, cuius lectionem nunc audistis, diligenter persequitur. D. Ioannes inquiens.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Hoc verbum Christi magna fiducia nititur, cum hoc dicere queat nemo nisi Christus, qui peccatum nõ cõmisit; Quis me arguet, idest argumentis me conuincet, sicut vos, & patrem vestrum refello? nihil enim in me dep̃rehẽdetis, quod in vestrã reprehensionem incurrat; exquisite vitam, verba, & opera mea scrutemini, nihil omnino occurret, quod vos redarguere possitis. Quod cum ita sit, patet quòd propter virtutem me odio habetis, cum peccantes vobis odio esse deberent, si filij Dei

eſtis, vt gloriamini, quod vniuerſo etiam hominum generi dictum eſſe exiſtimandum eſt, nec non & Dæmoni. Sed, fratres chariſsimi, manſuetudinem Chriſti mecum, obſecro, admiremini, quòd ratione oſtẽdere non recuſet ſe peccatorem nõ eſſe, qui virtute diuina homines facere iuſtos poterat; & nos Chriſti imitatores eſſe pro viribus humanis contendamus, aç talem mundę cõſcientiæ fiduciã accipere, vt hæc dicere omnibus queamus. *Si veritatẽ dico vobis, quare non creditis mihi?* Si me verbũ, & veritatem patri coęternam dico, cur mihi fidem nõ adhibetis, niſi quia Dæmonis filij eſtis? nam ſupra dixi me Dei filium eſſe, atque à patre miſſum, & idipſum operibus comprobaui, quis vos faſcinauit, vt veritati non credatis? non poteſtis

à iugo

à iugo Dæmonis nisi filij Dei opera eripi. *Qui ex Deo est verba Dei audit, propterea non auditis, quia ex Deo non estis.* Qui ex Deo est, non natura, sed fide & imitatione, verba Dei audit, & amat, & recte credit, propterea non auditis, idest ea non intelligitis propter vitium, quia non estis ex Deo fide, licet natura, sed ex Dæmone, quem imitamini, si quidem audire verbũ Dei est eius præceptis obedire; non oportet naturam attendere, sed vitium, sunt enim natura ex Deo, & cuiuis homini cum cæteris creatis conuenit, non sunt, vitio. Dictum autem est hoc iudæis, quia non solum illi vitiosi (id enim omnibus commune est) sed quòd præcogniti etiam erant non credituri ea fide, qua à nexu peccatorum liberari possent. Examinet autem vnusquisq;

quifq; conſcientiam ſuam, ſi aure cordis verba Dei percipiat; ſunt.n. nonnulli, qui nec aure corporis, & ſunt qui aure corporis, ſed non mente, & ſunt, qui verba Dei ſuſcipiunt, ita vt flentes compũgantur, ſed poſt lacrymas ad iniquitatem redeunt, hi profecto nõ audiunt, quia ea opere complere contemnunt; verum hi tantum qui fide per dilectionem opera exercente, & operibus fidei coniunctis verba Dei audiunt; & hæc eſt perfectiſsima credẽdi ratio. *Reſponderunt, Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes?* Iracundi & præcipitis animi eſt indicium nolle correctionem lenẽ ferre, ſed illico ad contumelias, & iniurias ſe conuertere; Tales ſe Iudæi declarant, qui conuicti eſſe Dæmonis filij, nec veritati reſpondere

ſcientes ad conuitia confugiunt in quientes, non ne optime dicimus te Samaritanum eſſe, & dæmonium tenere? indicantes hæc aliàs ei exprobraſſe; Samaritanum eum appellantes tanquàm hominum nihili contumelioſe, vel tanquàm ritus Iudæorum non ſeruantem, vt pote ſabathi; Samaritani enim, qui decẽ tribubus in captiuitatem ductis terram eorum poſsidebant, Iudæis & populo Iſrael odio valde erant, quia perfectè more Iudæorum non viuebant, eorumq; legem tranſgrediebantur; Cur autem cum Samaritani futura ſæcula, & animæ immortalitatem negent, Chriſtum Samaritanum vocant, qui ſæpe docuit fore, vt nos omnes ſurgamus? Sed cum aſpernabantur, quia ille non docebat, quæ ipſi ſentiebant: Dæmoniũ

vero habere, siue insanire eum propter transcendentes humanam naturam illius sermones aiebant, quibus Deum esse patrem suum, & se de cælo descendisse asserebat; insania enim eis hęc videbatur; vel quia eorum cogitationes aperiebat; O obstinati Iudæi patre vestro Dæmone duriores filium Dei execramini, nec memoria tenetis, saltem vestrũ aliqui, quando rugientes dæmones clamabant, curante tempus venisti torquere nos filij altissimi? & quando se abijcientes ad pedes eius supplices rogabant, vt saltē eos in porcos truderet; non ne filium Dei negare vos pudet, quem Dęmones cōfitentur? *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me*; Primum silentio præterit, nam non negauit ipse se Samari

tanum, idest custodem esse, quia talem se esse nouerat; quia sicut ad ipsum pertinuit, vt redimeremur, sic spectat, vt seruemur, deniq; ipse est, qui ad saucium accessit; Secundum ita dicere, Ego dæmoniũ nec habui, nec habeo, nec habiturus sum, solius Iesu Christi vocem esse arbitror, quemadmodum dixit, venit princeps mũdi huius, & in me non habet quicquàm; possumus, & nos hoc dicere, sed perinde refellemur, ac inficiantes se insanire, ipsis factis se mentitos esse conuincuntur; nam sicut nullus est absque sordibus, & iustus super terram, sic nemo à Dæmonibus semper mundus est, cum etiam quæ leuia peccata existimantur, qui repẽtinam iram, ac detractionẽ opinati sunt esse Dæmonium, Dæmonibus tribuere non

dubita-

dubitauerint. At notandum est, fratres charissimi, vbi oportuit Christũ docere, & de humilitate eos admonere, vehementem quidem fuisse, in contumelijs vero ferendis mãsuetudine vsum; cum enim dicerẽt illi se Deum patrem, & Abraam habere, in eos aspere inuectus est; cum eum habere Dæmonium aiunt, lenissimum se præstare, vt nos quæ ad Deum spectant, maiorem in modũ defendere, atq; vlcisci, quæ ad nos, contemnere debere erudiat. Sed ne vobis arrogans videar, honore afficio patrem meum; Et profectò patrem honorauit eum vlciscens, & homicidas, ac mendaces non tolerans se veraces Dei filios appellari. Solus enim verissime patrem est veneratus: nam nullus spernenti, quæ in honore habet, honorem tribuit.

Et vos me ignominia affeciſtis, ſiue afficitis, quia non facitis, quæ decet; aſcribitis enim Dæmoni, quæ virtuti diuinę attribuere debetis; Quod non ſolum ijs dictum eſt, ſed omnibus Chriſto iniuriam facientibus, qui eſt iuſtitia, & contumeliã, ſapientię inferẽtibus, eo quod Chriſtus ſapientia ſit. Ne autem gloriæ cupidus videatur, addit, *Ego tanquã homo non quæro gloriam meam*, ſed Dei, Et ſalutem hominum, Hæc vero dixi; quia non decet vos Deum appellare patrem, cum homicidæ ſitis, & tamen à vobis ignominia appetitus ſum; ſed contumelia veſtra mihi curæ non eſt, illi pœnas dabitis, cuius gratia hæc audio, *Eſt qui quærat*, filij gloriam in quolibet eum ſuſcipiente pater, & iudicet, ideſt meam à veſtra gloriam diſcernat; Vos enim ſe

cundum hoc sæculum gloriamini; ego vero minime;à gloria igitur omnium hominum filij gloriam distinguit. Non credamus,fratres, quia homo factus est, eum nobis esse cõparãdum; nam homines nos sumus peccatores, ille sine peccato forma serui etiã indutus; Quis enim illud digne fari queat: In principio erat verbum? Vel aliter, si verum est, quod dicit filius, omnia mea esse tua, & ipsum iudicium patris esse patet. *Amen amen Dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum*. Fideliter dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit fide, & vita pura in perpetuum, non videbit, id est non experietur in æternum mortem, scilicet veram idest animę mortem siue damnationem,à qua vt nos

libe-

liberaret Christus venit (nam mors hæc, ideſt diſceſſus animæ à corpore migratio quædam eſt) quia vſque ad id tempus quis mortem non intuetur, quoad verbum Dei ſeruat: Cum autem quis torpens in obſeruando ſermone eum custodire negligit, ſtatim mortem in ſe ipſo experitur; Sic igitur nos à Saluatore instructi, prophetæ dicenti, Quis eſt qui viuet, & non videbit mortem? reſpondere valemus, qui Dei verbũ custodit, & ſeruat. *Nunc cognouimus, quia Dæmonium habes, Abraam, & prophetæ mortui ſunt, Et tu dicis ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum.* Sicut bonus accepta contumelia melior redditur, ſic malus accepto beneficio peior euadit: Nam Iudæi audita Chriſti prædicatione rurſus eum execrantur:

Sed

Sed vnde peccatum oriatur, philosophi à prauis iudicijs ortũ habere putant, hi autem qui sacris scripturis tanquam diuinis crediderunt, sic disputant, quęcunq; peccata præter rationem ab hominibus cõmittuntur, non sine Dæmonis auxilio perfici. Quare Iudæi existimabant Iesum illius virtute dixisse, quæ supra, quia dicti vim nõ perceperunt: Nã Christus mortem illam rationi inimicã, qua peccantes pereunt, indicauit, ab ijs non videri in ęternum, qui sermonem ipsius opere exercuerint, illi de communi morte dictum esse conijcientes, cum Abraam, & cæteri prophetę diem suum obierint, eũ aberrare arbitrati sunt dicentem neminem mori, qui mandata eius custodierit. At maligni illi sermonem confundentes dixerunt, non gusta-

bit,

bit, tanquam à Domino dictum, cũ tamen inter gustare, & videre non nihil sit discriminis: nã mortem sub gustum cadere illud docet, sunt de hic stantibus scilicet propè Iesum, qui non gustabũt mortẽ donec, &c. sub visum id, si quis præcepta mea perfecerit, mortem nunquam videbit. Et quoniam Dominus quatenus est panis viuus qui è cælo descẽdit, sub gustum cadit animam nutriens, quatenus sapientia existit, sub visum, propterea Dauid ait, Gustate & videte, quia suauis est Dominus, idest experimini, & non vos impleте; nunc enim per speculum veritatem cognoscimus, veniet tempus cum perfecte hoc suauitatis gustu truemini. *Nunquid tu maior patre nostro es Abraam, qui mortuus est, & prophetæ mortui sunt.* Iudæi cum minorem

no. em ipso Abraam ęstimabant, nō enim discernebant, quia nō illo solum, sed quolibet alio ex muliere orto, qui ex Virgine natus est, maior existat; Nec verum dicebant Abraā mortuum esse, quia ipse audiuit, & iussa custodiuit, & prophetæ pariter; mentiuntur ergo, quare? quia cum solam carnis mortem aspicerent, in sermone veritatis eorum animis caligo offusa erat. *Quem te ipsum facis*, quasi dicat, tu qui Carpentarij filius es, quo in numero te putas esse, quibus meritis te dignum, quamque te dignitatem retinere iudicas? Abraā corpore mortuus erat, anima autem viuebat: mors autem animæ in ęternū victurę, quàm corporis aliquando perituri multo maior est; Certe hæc fuerunt cæcatorum verba; non enim Iesus se fecit,

id quod est, sed ex patre accepit. *Si ego Glorifico me ipsum, Gloria mea nihil est, est pater qui glorificat me.* Ideo dicit hoc Christus eorum suspitioni respondens, sicut & supra, Et ostendit his verbis vitæ præsentis gloriam nihili pendendam esse; gloriam autẽ suam patri acceptã refert, inquiens, pater est qui me gloriosum efficit, in baptismate, vt patet, & in monte, & dum is pateretur, vox ad illum coràm turbis peruenit; prætcrea cum eum suscitasset pater, ad dexteram suę maiestatis collocauit. Verbum autem hoc Arriani, vt ait Augustinus, calumniantur, inquiẽtes, Ecce pater maior est, qui filium gloriosum reddit; Verum se non legisse simulant, quæ ait filius, quòd patri suo gloriam det immortalem, & ipsum honore summo decoret; *Quem*

dicitis, quia Deus vester est, & non cognouistis eum; ostendere enim volebat, quòd eum nec patrem esse, nec Deũ nouerant, quem si agnouissent, illũ quoque colerent, nec aduersus illũ clamarent Deum contemnẽtes, qui homicidium prohibuit; sed vos patrem Deum vestrum vocatis, vt bona terrena largiatur, ac frumento, oleoq́;, atque vino vos pingues red dat, spiritu vero ei seruire ignoratis. *Ego autem noui eum*, nec hoc arrogãs vobis videatur, quia veritati locus relinquẽdus est, nam si quemadmodum vos dicentes eum nosse, mentimini, ego quoq; si ipsum me igno rare affirmauero, mendax existam; sed illum bene cognitum habeo, quia ab illo missus sum; naturaliter enim eius cognitio mihi insita est; qualis enim ego sum, talis & pater

est;

eſt; & me,& ipſum noſco, cuius argumentum, atque indicium exiſtit, quia mandata eius exequor; ſermonem enim patris tanquam filius loquebatur, & ipſe erat patris verbũ; vel, vt quidam intelligunt, rationẽ ſubſtantiæ eius ſeruo; eadem enim ſubſtantiæ patris, & filij ratio eſt, quoniam patrem agnoſco.

Abraam pater veſter exultauit, vt videret Diem meum. Incertum an diẽ illum intellexerit, quo ad ſumendã carnem venturus erat, an diem Domini qui ortum, & occaſum neſcit; ſed ego non dubito quin pater Abraam totum perſpexerit; ait enim ſeruo, ſub fœmore meo manum pone, & iura. Quid iurare oportuit, niſi quòd Deum cæli carne indutũ aduenturum eſſe ab eo ſignificabatur? Vel diem Domini Abraam vi-

dit, cum tres Angelos trinitatem re presentantes hoſpitio accepit; vel diem crucis innuit Chriſtus, quem Abraam ante indicauit Iſaac filiũ, & arietem offerens, ex hoc demonſtrans ſe nõ inuitum ad patiendum acceſsiſſe; & eos ab Abraam alienos eſſe, ſi ex his dolorem hi capiũt, propter quæ exultauit, *Vidit & gauiſus eſt*, ſcilicet propter beneficium, quod à me vt à maiore accipit. Sed ſatius eſt, vt cum Cyrillo dicamus, quòd Abraam vidit diem Domini deſideratum, & lætitiæ plenum, quã do in placida, & trãquilla requiete poſitus filium Dei ſumpſiſſe carnẽ, & natum eſſe cognouit teſtificante ſibi Symeone, qui eum ſuper brachia acceperat, & cæteris patribus; quo dono affectus pacifice poſtea, ac tranquille quieuit; aut trunciantibus

tibus angelis, qui sanctos patres sæpe visitabant, Christi ortum, & propinquam liberationem esse; Et gauisus est illum diem tandem salutiferum aduenisse, quē vt videret, exultauerat, cum adhuc viuens promissum sibi factum, scilicet Christum ex se nasciturum lætus expectaret. O' Abraę felicitatem incredibilem: Quis est, fratres charissimi, qui considerans quale illud gaudium extiterit splendorem pijs mentibus lucentem intuentis, atque apud patrem manentem Deum perspicientis, cū is spe summa etiam sustentaretur filium Dei aliquando hominem factum iri, & tandem natum mente, & spiritu cognouerit, hominem nō admiretur? qui Deo ita gratus extiterit, vt tantis donis fuerit ornatus, atque admirabili illa visione dignus

habitus;

habitus; & eum imitari non deside-ret, vt à Deo talia dona adipiscatur? certe cum hæc animaduertimus, tã-tus nos ardor incendere deberet, vt cũ Paullo audacter diceremus, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Sed vt ad propositum nostrum reuertamur. *Dixerunt, quinquaginta annos nondum habes, & Abraam vidisti*. Iudæi hęc verba audientes carni penitus addicti oculos ab ea non deijciunt, dum aiunt, quinquaginta annos nõdum agis, & quomodo Abraam qui iam multos annos mortuus est, diẽ tuum vidit? Magna profecto Iudęorum misericordia commoueor, dũ eos in res terrenas adeo immersos fuisse perspicio, vt nihil supra hominem ipsi cogitarent; non debuerãt ipsi perpendere, Christum scire multis ante sæculis Abraam diem suum

obijsse, & aliud ipsum significare voluisse? Quidam per quinquaginta annos Iubileum eos innuere voluisse aiunt, in quo captiui manumittebantur, & empti fundi restituebantur; At potius, quod in buccam venit, ex eorum ore exisse dicendũ est. *Dixit ergo eis Iesus, Antequã Abraam fieret, ego sum.* Redemptor noster Iudæos à carnis intuitu dimouere, & ad contemplandam diuinitatem allicere studet. Ante, præteriti temporis est, *Sum*, vero præsentis. Et quia præteritum & futurum diuinitas nõ habet, sed semper est, non dixit, fieri, sed sum, iuxta illud, ego sum qui sum; ante ergo, & post Abraam esse habuit. Quia vero creatura est Abraam, fieret, verbo vsus est, nec hoc dixit, factus sum; nam in principio erat verbum; sed ista ęternitatis ver-

ba mentes infidelium Iudæorum su stinere non valentes, & quem perci pere non valebant, obruere quærebant. *Vnde tulerunt lapides, vt iacerēt in eum.* Tanta enim duritia, quò cō fugiat, nisi ad lapides? at postquam cuncta quæ ad eum spectabant, docendo perfecerat, quia isti lapides iaciunt, cum auscultare debuissent, eos quasi correctionem non suscipiētes deseruit Iesus, *&* *abscondit se*, non in angulo templi, aut post columnam, sed cælesti potestate se talem, vt videri non posset, insidias struentibus præbens per medium il lorum *Exiuit de templo*. Qui si diuinitatis suæ potentiam exercete voluisset, eos subitæ, ac repētinæ mor tis pœnas dare coegisset; at is qui ad patiendum venerat, nec iudicium, nec potentiam exercere volebat.

Magis

Magis igitur est commendanda sapientia; Et hac ratione fugit, quia nondum aderat eius hora, nec hoc genus mortis elegerat, & hoc tanquam homo obiuit. Verum vehllis à quorum lapideis cordibus Deus fugit. Audiltis quot exempla nobis suppeditet Dominus noster Iesus Christus, & mansuetudinis, & patientiæ, atque vitandæ inanis gloriæ, si eum imitari velimus; nam si examinemus, quibus conuicijs à Iudæis iactatus est, & quàm mansuete respondit, & se redargui non posse ostendit; ex quo constat eum innocentem, & omni prorsus peccato immunem, in crucem actum fuisse, quis nostrum conscientia conuictus non fateatur, si talia ei conuicia fierẽt, se non laturum esse, sed de vltione statim cogitaturum? Et tamẽ

qui

qui Deo gratus esse cupit, eum contumelias tolerare oportet. Quid de inani gloria dicam? est ne quisquam nostrum, qui in ea nō peccet? quomodo Christi vestigia persequemur, qui ait se gloriam propriam nō quærere? nam cum ipsa inanis gloria superbiæ propinquior sit, ex cuius apposito alia vitia multa oriuntur, ab ea cauere exemplo Christi debemus, si Dęmonem sequi nolimus, qui superbia è cælo decidit, & æterna morte perire. Quod ad ferendas etiam patiēter iniurias attinet, quid Christus nos docuit, cum è templo fugit, ne lapidibus obrueretur? nisi cum resistere etiam valeamus, vt irā superborū humiliter vitemus? Nec has malas cogitationes in mentes nostras cadere sinamus, tot enim lapidibus Christum percuteremus.

Sed

Sed, fratres mei charissimi, mãsueti simus, & patientes, nulli malum pro malo reddentes; animos potius iniuriam nobis facientium deuincire beneuolentia nitentes; Humilitatem amemus inanem gloriam maxime fugientes, vt cum Abraam, & cęteris sanctis patribus exultare quæamus, & diem videre illum suauem, quo Christus nos ad se accerset, vt eius gloriam, ac diuinitatem contemplemur;
Qui viuit, & regnat, sempiternis sæculis gloriosus.
Amen.



EIVSDEM

EIVSDEM

In Dominicã ſextam
In Ramis Palmarum.



Odie, fratres chariſsimi, dies eſt illorum ſeptem primus, in quibus maxima,& inexplicabilia myſteria tractãtur,& Hebdomada maior ab eccleſia nuncupatur; in qua Dominus Ieſus Chriſtus, omnia quæ de illo ſcripta erant, exequi voluit; ac ſummo mane imminente paſcali tempore, quo agnus immolabatur; ita enim lex præcipiebat, vt decima luna primi menſis agnus in vniuſcuiuſq; domo exiſteret vſq; ad decimam quartam eiuſdem, quãdo

vesperi occidebatur, Hierosolymã ascendit ante quinque dies, idest dicta decima luna, sicut verus agnus, & ex omni grege electus sine macula pro populi salute immolandus, quò ostenderet se ad patiendũ, mortemq; contemptam subeundam paratum esse; ac sic figuræ veritas responderet. Verum eo maiori apparatu, maioriq; claritate, ac magnificẽtia, quàm vnquã antea profectus est; ac tali pompa vrbem ingressus est, vt omnium quidem oculos, & cogitationes in se conuerteret; aduersarios vero incenderet, atque ira inflammaret. Et cum ex Ioannes supra constet illum in montem fugisse, ne Regem crearent, nunc se talẽ appellari nõ recusauit, vt aperte doceret se non terreni, sed ęterni in cælis imperij Regem esse, ad quod per

contemptum mortis esset peruenturus; Præterea se verum Deum esse, si prædictiones de illo prophetarũ nosse vellent, eiusq; gloriam agnoscere; si vero percipere nollent, maiores pœnas darent, quia tot miraculis fidem non adhibuissent: Et huius aduentus splendorem, & claritatem cum Euangelista præclare describat, obsecro vos, vt pro vestra humanitate attente audiatis. Inquit igitur. *Cum appropinquasset Hierosolymis, & venisset Betphage.* Egreditur de Hierico turbis inde multis sequẽtibus, & cæcis reddita sanitate, appropinquat Hierosolymæ, & Betphage venit, idest domum maxillarum, (pars enim in lege sacerdotum propria, fuit maxilla) qui erat paruus eorum vicus in montis Olïueti latere situs, ab Hierusalem mille pas

ſus diſtans. Marcus, & Lucas addũt, & Bethaniam iuxta codicem græcum, non quòd ad eam tunc accederet, quam tranſierat; in illa enim antecedente nocte pernoctauerat.

Tunc miſit diſcipulos duos dicens illis. Quidam Petrum, ac Philippum fuiſſe aiunt, quoniam hi primum fines Iudæorum tranſeuntes ad Chriſtũ gentes adduxerunt: Philippus quidem Samariam; Petrus vero ex gentibus Cornelium excipiens. *Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt,* ideſt in ciuitatem Hieruſalem, vt non nulli intelligunt, ſic appellatum, quia triplici muro cingebatur illa vt arx, ſiue per contemptionem, quia primũ à Romanis Pompeio imprimis imperatore in ſeruitutem redacta erat; deinde quia dignitate hac propter ſummi ſacerdotis Ieſu Chriſti occi-

ſionem priuanda erat, quæ & poſt quadraginta annos ab eiſdem Romanis funditus euerſa fuit; quæ cõtra vos eſt, ideſt è contra in conſpectu veſtro exiſtit; alij propter verbũ græcum κώμην ideſt vicum intelligebant Betphage; ſed ſi ibi tunc aderat Ieſus, quando eos iuſsit accedere, quomodo ipsã innuere poterat? *Et inuenietis aſinum, & pullum cum ea ſoluite, & adducite mihi.* Marcus, & Lucas pullum inquiunt, in quo nemo hominum ſedit, nec non Ioannes idem; at vbi vtrũq; intelligi poteſt, quemadmodum ait D. Auguſtinus, nulla repugnantia eſt, communis tamẽ opinio exiſtit Ieſum in pullo vectum fuiſſe, aſinam vero ſecutã eſſe; Turpe enim extitiſſet, vt ait Hieronymus, in paruo itineris ſpatio cum vtriuſque opera vſum fuiſſe; videtur

detur tamen ſecundum prophetam Chriſtum adhibuiſſe vtrunq; & fieri potuiſſe, vt in vtroq; Dominus ſederit. Matthæus de vtroq; meminit docens Iudæis non deſperandam ſalutem eſſe, ſi eos delictorum ſuorũ vere pœniteat. Nec dicite, Dominus noſter, vel Dominus tuus, His opus habet, vt intelligant ipſum dũtaxat Dominum eſſe non ſolum animalium, ſed omnium hominum; nã & peccatores ſui ſunt, conditione; voluntate autem ſua Dæmoni ſe addicunt; Maieſtatis enim nomen Dominus eſt, & in conſpectum multitudinis Rex erat venturus. *Et confeſtim dimittet eos*, vel intelligendum eſt animal, poſtquam in Hieruſalem ingreſſum eſt, à Chriſto ad Dominũ ſuum remiſſum eſſe; vel Dominum iumentorum auditis Chriſti verbis

obtumuisse, nequeuntem excellenti, ac forti eius virtuti resistere, & statim dimisisse eos, ac permisisse, vt discipuli auferrent, quod forte negassent, nisi diuina virtus eos coegisset; quare, fratres charissimi, non modicũ hoc fuisse existimare debemus; quis enim eis persuasit, ne contradicerent, immo potius silerent, atque concederent? certe admirabilia, & inaudita mihi vidẽtur ista, nihil eos dixisse, aut si responderint, cessisse statim, cum his indigere Dominum audiuerunt; qui si Christum ignorãtes libenter petita tradiderũt, quid nobis agendum est, an non libenter nostra impendamus requisiti? ergo quæ nos efficere decet, nunquam prætermittamus. *Hoc autem factum est, vt impleretur.* Quæritur cur cum Dominus pedibus in Galileam, Samariamq;

nariamq́; , & per totam Iudæam pe
ibus ambulauerit, nunc iumenta
dhibere voluit? non enim videtur
atio D. Matthæi, vt impleretur
uod à propheta dictum est, ad sol-
endam quæstionem satis esse; Opi
ior ego Dominum in hoc regni sui
pecimen dare voluisse, & se Messiã,
uem expectarent, ostendere; sicut
egiæ potestatis, & Magnificentiæ
ndicium fuit Domino iumentorũ
i vsum eorum cõcessisse solo iussu
dductos, sicut ipse discipulis euen-
urum prædixerat; Quod vero tam
ili iumento, & alieno vsus fuerit,
immæ humilitatis extitisse, cuius
irtute omnes ad se allicere vellet,
uod prædictum à Zacharia fuit, vt
udæi ad agnoscendum Regem suũ
xcitarentur, inquiente; *Ecce Rex*
uus venit tibi mansuetus sedens super

 asinam,

asinam & pullum. Ecce, vt ostenderet, quia ille de quo loquebatur, antequam nasceretur, iam erat Rex tuus; cum ergo eum videris, noli dicere, non habemus Regem, nisi Cæsarē, Venit tibi, si intellexeris, vt saluet te, sin; contra te. mansuetus, nō vt propter potentiam timeatur, sed propter mãsuetudinem ametur; vnde non sedet in curru aureo; nec in equum discordię & litis amatorem, sed in Asinam tranquillitatis & pacis amicam ascēdit, & postea in pullum: Vel intelligendum allegorice, quia sedebat in pręcordijs vtriusq;. *Euntes discipuli fecerunt sicut præcepit eis Iesus, & adduxerunt*. Discipuli autem obedientes duxerunt iumenta, nec officium hoc tanquam paruum recusarunt; sic nos quoque, fratres, decet infima opera plurimo cum af-

fectu, & studio aggredi sciētes, quicquid à nobis prętatur, vt Deo obsequamur, non esse minimum, sed in regno cęlorum valde dignum fore.
Et imposuerunt super eos vestimenta sua. Videre vtriusque personæ discrimē licet; Apostoli vestimenta sua asino imponunt, vt Iesus Christus mollius sedeat; Turba autē, quæ vilior est, pedibus asini substernit, ne in lapide offendat, & ne in foueam cadat: non solum autem Turbæ illæ quæ exierant ex Hierico, & propter miracula Christum sequebantur, cędebant ramos; Sed & ex Hierusalem plebs ac pueri, vt ait Ioānes, palmarum ramos gestantes ei obuiam prodierunt, quod erat lætitiæ argumentum, & victorem Regem ipso facto professi sunt; palma enim coronari solebant imperatores, qui ex hosti-

bus victoriam reportassent; In publicis quoque, & solennibus gaudijs palmarum ramos in manibus habere Iudæis mos fuit. Interrogemus Iudæos quis Rex in asina Hierosolymam vectus fuit, at non vtiq; alium quàm hũc solum dicere queunt; *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant Osanna,* quod verbum inquit Hieronymus in psalmo 117. declarari, cum dicitur, ò Domine saluum me fac, ò Domine bene prosperare, Benedictus qui venit in nomine Domini, benediximus vobis de domo Domini, secundum 70. interpretes, Symmachum tamen manifestius hoc verbũ quod totum est Hebreum, interpretatum fuisse, dicentem, obsecro domine saluum fac obsecro scilicet filium Dauid, vel filio Dauid salutem

affer,

affer, vt ſignificetur aduentum Chriſti mundi ſalutem exiſtere, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ſaluatore id ipſum comprobante, Ego veni in nomine patris mei, & non me recepiſtis, alius in nomine ſuo veniet, & eum excipietis. Marcus addit, Benedictum quod venit regnum patris noſtri, ideſt Chriſti regnum ſit benedictione Dei fauſtum, & felix Meſsiæ regnum. Cum vero rurſus repetitur, Oſanna in excelſis, ideſt ſalus in altiſsimis perſpicue oſtenditur, quòd non tantum ſalus exiſtat, ſed totius mundi terrena cæleſtibus iungens. Vel, vt ait Origenes, humanam Chriſti diſpenſationem laudãt in eo, quòd Oſanna filio Dauid dicebant, reſtitutionẽ autem in ſancta, in eo quòd dicebant, Oſanna in excelſis, Vnde & prophetę multoties

Christum Dauid nuncupāt, propter eius ex Dauide originem secundum carnem. Lucas vero, pax in cælo, & gloria in excelsis ait. *Et hæc hactenus iuxta Historiam.* Allegor. Christus duos discipulos mittit, ideſt prę dicatorum ordines duos, quia charitas non consistit in vno, quos Paullus explicat inquiens, Qui Petro in circuncisione auxilium tulit, etiam me inter gentes adiuuit; Qui profecti asinam multis peccatorum vinculis astrictam inuenerunt, & pullū lasciuum, quæ quia sub iugum missa fuerat, synagoga intelligitur; Pullus vero asinæ, gentium populus, in quo sederit Iesus, alius autem nemo vnquam, quia nullus ante Christum ad ecclesiam nationum populos vocauit; vel nullus doctor correctionis frenum imposuit, quod vel lin-

guam

guam à malo coerceret, vel eum in viam arctam ire cogeret: Soluerunt autem iuxta mãdatum Domini, per doctrinam & miracula, omnes enim Iudæi, & gentes ab apostolis liberati sunt, & adduxerunt, ideſt ad gloriam Christi illos conuerterũt. Qui autem cõtradixerunt, audito nomine Domini quieſcũt, quia magiſtri errorum, qui doctoribus in ſalutem gentium intuentibus obſiſtunt, tandiu opiniones ſuas tuentur, donec miraculis atteſtantibus veri poſſeſſoris virtus emineat. Et cum ante aduentum Christi Saluatoris nudi eſſent multis in eos dominatum vẽdicantibus, ſine operimento frigebant; poſtea vero quàm veſtibus apoſtolicis induti fuerunt, & ſtola immortalitatis per ablutionem donati; pulcrioresq; effecti, ſeſſorem

Dominum habuere. Vestis autem apostolorum, vel doctrina, vel scripturarum expositio intelligi potest, vel dogmatum ecclesię varietas, quibus si anima instructa, atque ornata non fuerit, sessore Domino frui nõ valet. Cædebant autem turbæ ramos, qui dicta & exempla patrum, quæ ad suam, & filiorum salutẽ spectant, inquirebant, sternebantq; in via, sicut martyres qui corpora sua in martyrium pro Christo tradiderunt, vel qui abstinentia corpus suũ domuerunt, vt praua recta facerent, & inæqualia ęquarẽt, quo securius, & rectius in cor credentiũ Christus Dæmonum, atque vitiorum victor illaberetur. Turbæ vero quæ ante ibant, & sequebantur, vtrunque populum significant, qui ante euangelium, & post euangelium Deo credidit;

dit; antecessit enim populus iudæorum, secutus est gentium, præieruntq; prophetæ, & apostoli secuti sunt; Et illi quidem de Christo venturo vaticinantes clamauerunt; Hi autem laudãtes de Christi aduentu iam completo clamant; Et voce cõfessionis consona, & clamore maximo resonant, Osanna filio Dauid, vel secundum Ioannem, Osanna benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel, scilicet Christus, non vt tributum exigat, aut armis exercitum instruat, sed vt mentes regat, & in regnum cælorum perducat; Quòd autem Rex esse voluerit, mera illius bonitas fuit, non potestatis augumẽtum; qui enim in terra Rex Iudæorũ appellatus est, in cælo Angelorum est Dominus.

Nos quoq; viam vitæ nostræ mu-

niamus ſanctos imitantes; ij enim velut arbores ſunt, ex quibus ille ramos amputat, qui eorum virtutem imitatur, ac doctorum ſcripta diligenter peruolutat. Et corpus ſpiritui ſeruire cogamus, Adducamus, & nos aſinum ad Ieſum, & ei veſtimenta virtutum imponamus, vt in nobis Chriſtus ſedeat, & domiciliũ habeat: Humilitatem etiam ex animo cõplectamur, ſi Chriſtum ſequi deſideramus, qui in omni apparatu ſuo eam demonſtrauit aſino tãtum contentus: Vtinam nonnulli Antiſtites noſtri hoc tempore illius exẽplum ante oculos ſibi proponerent; non enim vt ſplendide equitarent, equorumq; multitudinẽ ſecum ducerent, eccleſiæ patrimonium effunderent, & pauperum fructus diriperent. Ac ſummam Chriſti manſue-

tudinem

tudinem imitemur, ſicut prædictum fuit, & celebri fama diuulgatum; quod is erat venturus in Hieruſalem humilis, & manſuetus: Et ideo videntes legis periti prędictionem in eo completam eſſe, maieſtatis ſuæ ſe contēptores oſtenderunt, quia non receperunt eum, ſed fraudatorem magis inſectati ſunt; & triduo poſt morte turpiſsima dixerũt, condemnemus eum; cuius rationem opinor extitiſſe, quòd cum ipſi in terrena immerſi eſſent, & Regem expectarent, qui eos à tributo Romano liberaret, videntes eum Hieroſolymam ingreſſum eſſe, nec regnum occupaſſe, ſtatim voluntatem immutarunt, atque ad perdendum eum totis viribus ſe prępararunt, tandemq; illum occiderunt. Ac certe ſtupor me opprimit, cum poſt tantum triumphum,

& plebi,&pueris,qui Oſanna clama uerunt, quatriduo poſt perſuaſum fuiſſe perſpicio, vt ij in Chriſti interitum conſpirarent, & eum tolli, & cruci affigi exclamarẽt; ſed nos, fratres charißimi, magnopere lætemur,quòd eorum nequitia, ac peruerſitas nobis valde profuit, atque eorum obſtinatio effecit, vt nos qui Chriſti præcepta obſeruare pro viribus conamur, filij Dei vocemur,reprobi autem illi habeantur; Clamemus quoq; Oſanna, vt ad ſalutẽ nobis dandam veniat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & vitam æternam largiatur. Qui viuit & regnat ſemper glorioſus. Amen.

FINIS.

INDEX HOMILIARVM.

Errata

Pag.	lin.	Err.	Corr.
Pag. 13	lin. 16	Iesu Christus.	leg. Iesus Christus.
46	17	Quid significat	quod significat
49	3	notitiā vobis donet	notitia vobis donetur
63	15	permissit	promisit.
93	13	exibendam	exhibendam.
107	15	nullam re	nulla in re.
118	9	inquient	inquiens.
125	3	demonstrat	demonstret.
136	12	sidorum.	Siclorum.
147	2	ab ea genua	ab eo genua.
eadem	10	amplexatæ	amplexata.
149	11	percipisti	percepisti.
165	14	vestos	vestes.
168	10	fidem	fide.
172	2	mons	mens.
178	12	at	et.
182	19	quam	qua.
184	20	intolerantur	intoleranter.
188	2	gsset	esset.
191	13	cum	cum.
192	1	pius	peius.
	17	nescat.	noscat.
	vlt.	Dæmone	à Dæmone.
195	4	supradixi	supra dixit.
197	10	solet. Et	solet; et
206	4	vt tabernacula sed	vt tabernacula poenas, sed
213	12	per perpessionis,	perpessionis.
220	15	non nondum	nondum
226	2	quære	quare.
228	10	ac prior	at prior.
229	15	irriti	irretiti.
	vlt.	decepto	deceptos.
245	15	emanus	emamus.

Pag. 258

pag:	lin.	Err.	Corr:
252	19	imaginationē, alias,	Visum
254	11	cum ab alijs	cum.
256	5	versabuntur.	versabantur
ead.		Non verò.	nos vero
270	13	discentes.	dicentes.
271	11	cum post.	cum poſt.
273	15	nontinebatur.	continebatur.
280	3	vt p-testatis.	at potestatis.
2,8	vlt.	vt nobis.	at nobis.
300	17	diseruit.	diffruit.
319	vlt.	spexei unt.	respexerunt.
331	18	effusum.	effusim.
340	11	effundi.	offundi.
345	19	sed cum asp.	sed cum asp
346	22	Curante.	Cur ante.
347	6	secundum ita dicere.	secūdū.s.ita dicere.
348	vlt.	quæ in honore.	quæ Deus in honore.

FINIS:

BONONIAE.

Apud Alexandrum Benatium.

Superiorum concessu. 1588.

